BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
G
60
NAPOLI

XV
G
60

VIII. A. 99

VIII. B. 96

ELOGIA PATRIARCHARUM,

&

CHRISTI JESU DEI HOMINIS.

EMANUELIS THESAURI
Patritii Taurinenſ.

&

ALOYSII JUGLARIS
è Societate Jeſu.

Quibus ob præſtantiam & Antiquitatem adjunctum eſt

TESTAMENTUM XII. FILIORUM JACOB,

Longiſſimo tempore Judæorum Invidia ab uſu Chriſtianorum ſubtractum & abſconditum, abhinc vero annis CCC XXII. latinitate donatum ab Epiſcopo Lincolinenſi Roberto II.

Cum Permiſſu Superiorum & Privilegio, &c.

MOGUNTIÆ,

Sumptibus JOANNIS BAPTISTÆ SCHÖNVVETTERI.

ANNO M DC LXV.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI
VITTORIO EMANUELE NAPOLI

CHRISTUS JESUS

Hoc eſt

DEI HOMINIS

ELOGIA.

ALOYSII JUGLARIS, NICIENSIS
è Societate Jeſu.

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

CHRISTO JESU,
DEO, DOMINO,
DUCI, AC JUDICI SUO,
ALOYSIUS JUGLARIS,
PRO FELICITER DEDUCTA
AD ANNUM CENTESIMUM
COGNOMINE SIBI FAMILIA,
SÆCULARE SACRIFICIUM
HECATOMBEM VERBALEM
HISCE CENTUM ELOGIIS
IMMOLABAT.
Anno à Partu Virginis M. DC. XL.

SACRIFICIUM, quod unius ſæculi reſpicit beneficia, non aliud eſſe deceat, quàm Hecatombem. Gratis hominibus, quales nos tua cogit eſſe Societas, capitale piaculum ſit, ſi quis annus ſine ſua victima fluxerit. Myſtam me tamen hæc non poſcit occaſio, cui Paupertas, in uno bonorum votiva genere, in aliis neceſſaria, interdiceret immolationis hujus impenſas. Debitas ſummo cuipiam Hierarchæ partes male occupat ſacrificulus de Flaminum plebe poſtremus, qui ubi ſe diu torſerit, è promptuario ſuo educere demum non aliud, quàm verba poſſit. Qui nihilominus mei noſti medullam conſilij tolerabis temeritatem, quæ ſi dignitati non conſuluit tuæ, neceſſitati conſulit meæ. Omnium & ipſe notarum peccator forum tuum declinare non ſperans placare te mihi judicem ſtudeo. Solennis hæc Reis induſtria, ut largitione aliqua ſuppleant, quod æquitati cauſæ defuerit. Agnoſcitur quædam in muneribus vis venefica, quæ vel te Leonem jam factum poſſit in veterem Agni formam transferre. Meum ſane hoc,

quia te continet, tibi vile non ſit. Ne attendas in eo, aut phreneſim ingenij ſupra ſuas vires audentis, aut infelicitatem facundiæ infra ſenſuum merita perſiſtentis; Ubi te ipſum potes inſpicere, non debes quæ te circumſtant ſcrutari. Pulchritudo tua libertatem hanc non relinquit ſpeculatoribus ſuis, ut ubi oculos in eam ſemel intenderint, torquere illos aliò poſſint. Placare iſta te debeant, quia ea ipſa ſunt, quibus tu olim Patrem placaſti. Facere ut poſſis omnia, hoc non potes, ne tu idem ipſe ſis, quem laudamus. Non officiat pretio muneris inurbanitas offerentis; Nam & ad aras victima incruenta mactatus, etſi nihil accipias de mali ſacerdotis virtute, nihil amittis de tua. Omnibus omnia factus es, malo etiam poetæ Mœcenas. Cave tamen ne eâdem mihi lege decernas præmium operis, qua olim ineptiſſimo Rabulæ laudatori ſuo Sylla, atque ita me muneres non quod de te dignum aliquid ſcripſerim, ſed ne ſcribam in poſterum tam indigna. Nolim ſejungas argumentum ab opere, quòd ſine te nullum eſt. Quidquid hoc vivit in libro, vivit ex te; Te illi ſi igitur ſubtrahas, adempta corpori anima cadaver feciſti. Cætera omnia ornatum omnem à forma, hoc unum opus, inverſo naturæ ordine, formam omnem accipit à materia. Licet Elogia hæc Elogium à te nullum expectent, & is ego non ſim, qui à te, qui ſolus Veritas, & non Aſſentatio es, quod bene de te ſcripſerim, audire confidam; Si quam tamen adhuc, pro ſingulari etiam in immeritos munificentia tua, mihi feceris optionem mercedis, felicioris ingenij electionem ſequutus, Non aliam exigo, quam te ipſum.

MENS

MENS AUCTORIS
IN HOC OPUSCULO.

AUDAX conſilium hominis Deo Elogium ſcribere molientis. Non laudatur Divinitas per injuriam, quam illi utique palmarem infligit, quiſquis de ea credat dignum aliquid promi poſſe. Encomium illi omne de conſcientia Magnitudinis ſuæ; cætera, ſi quæ accipit, ejus magis tolerantiam, quam excellentiam produnt. Loqui citrà piaculum de tanta Majeſtate vix poſſumus, cum & habeat notam impietatatis vituperatio, nec vacat temeritatis ſuſpicione laudatio. Chriſto verò quid opus Elogiis, cui ſtat pro Elogio Mundus ipſe, tot levatus oneribus, tot auctus commodis, tot expiatus impenſis? Elogia Chriſti ſunt quæcunque honeſtè cogitamus, aut facimus humanum genus laus noſtra omnis redundat in eum, à quo lumen habemus, unde poſſimus recta perſpicere, & robur, unde audeamus ardua ſuperare. Ex quo ejus Encomiaſtes ad fluenta Jordanis factus eſt Pater, piaculare cœpit e[illegible] mortalibus idem ſibi munus aſſumere. Ipſa Petr[illegible] Divinitate confeſſio non admiſſa, niſi quia venie[illegible] Patre; excepit injurias tacitus, præconia rejecit i[illegible] nec unquam durius increpiti ſpiritus deſertores, [illegible] cum de illo potiora jactarent; Adeo peculiare [illegible] voluit, non aliunde, quam è cœlo laudari. Aſſe[illegible] nis organa dedignata Veritas eſt; timuit ne peri[illegible] quid de laudibus ſuis, ſi per ea ipſa ora tranſirent, quæ tam multa mendacia laberentur.

Mihi nihilominus debitum verius eſt, quam c[illegible]

ſiliun

filium iſta temeritas. Loqui ſine culpa non poſſum, at nec poſſum ſine culpa tacere. Non eſt innocens ſilentium debentis Deo facundiam, ſi quam habet. Par eſt, ut auctori ſuo pendant univerſa vectigal, nec id effugium relinquendum ingratis, ut excuſare ſe poſſint, ſe Deo dignum aliquid non habere. Æternus Agricola terræ noſtræ, non niſi pro ſemine, quod commiſerit exigit Meſſem; nec ab Anſere Luſciniæ Modulos, nec ab Ulula Aſcredulæ concentus expectat; Solitus nos ex tenuitate noſtra non ex ſua dignitate metiri, magis quid poſſimus, quam quid debeamus attendit. Adde, quod usque ad laudum noſtrarum tolerantiam patiens Deus eſt, cui diſplicere vix poſſunt, ſola placendi voluntate peccantes.

Nec quia Chriſti gloria per Elogia noſtra non creſcit, ideo, aut ingrata illi ſunt, aut inutilia nobis. Neſcit Chriſtus usque ad damna noſtra ſuas laudes odiſſe; utut gloriam non quærat ſuam, eam per diſpendia noſtra non deſpicit; amat etiam quod ſibi honorificum eſt, quoties id ſit utile laudatori. Ad quid in eo theſauros omnes ſapientiæ conderet Pater, ſi capitale eſſe debuiſſet ingeniis ſuæ inde mendicitati remedium poſcere? Cur prohiberentur ex hac eruere fodina pretioſiſſimos ſenſus qui meliores habere aliunde non poſſent? Mihi ſanè durior [illegible]la lex ſit, quam quæ jubeat de eo uno tacere, de quo loqui prima mihi ambitio eſt. Non alium nactus [illegible]ntem Gratia, non alium ſortitus ducem Militiæ, in Societate ab anno Quarto decimo ſtipendia me[illegible]pellex mea omnis, donum ejus eſt, & adhuc de [illegible] ut cogitare poſſim, aut ſcribere? Male vigil ut [illegible]ondum ita cœcutio, ut non intelligam, quam mihi inutilis ſit de Chriſto tractatio. Faſciculus Myrrhæ, [illegible]lis amittit in manibus odorem ſuum; uſu ipſo ſuavi[illegible] ejus intenditur; quò contrectatur frequentius, eò

ſuavius

ſuavius halat. Ut facilè afficimur ad ea ipſa, quæ ſcribimus, ſpero utique futurum, ut per exercitationem ingenii, accendatur voluntas, & ut æterna utriusque potentiæ commercia ſunt, amor excitetur in corde, qui per recordationem aſſiduam præparatur in mente.

Quamquam, ut hanc mihi proponerem laborum metam, non tam electio, quam genius fuit. Ut alienum Natura me fecit ab iis, qui aut per calumniam inſidiantur Virtuti, aut per aſſentationem vitiis lenocinantur, eum ſelegi præ omnibus, in quo eſſet utriusque vitii nulla capacitas, cum nec tanta ſanctitas, convicio, nec tanta Veritas aſſentationi locum relinquat.

Nec negarim me in eo etiam egiſſe rem meam, quod perituro operi argumenti æternitate conſului. Non hæc mihi de me opinio eſt, ut hæc diù victura confidam; quidquid tamen carpſerit livor, ſupererit ſemper aliquid, quod vel ab invito laudetur; improbari poterit manus artificis, materies non poterit non probari. Qui ſcierit difficultatem operis multa in ejus gratiam condonabit Auctori. De Chriſto quidquid dixeris, infra debitum & meritum eſt. Sepeliuntur lumina, quæ feruntur ad Solem, & quæ de aliis dicta niteſcerent, de Deo dicta vileſcunt.

Hoc unum prodeſt in hoc ſcribendi genere, quod in alio plurimum obfuiſſet, rerum dicendarum notitia. Obſcura ſunt ingenii lumina, ubi caligo aliqua rerum eſt; Quæ narratione indigent, amittunt, dum explicantur, acumen. Phrygionum more telam ſupponimus, cui ſuperinducamus ornatum. Cæterum præmitiæ iſtæ ſunt, quas ſuo ſibi jure vendicat is, à quo ſterile ingenium habuit, ut ad laudem usq; fœcunditatis proficeret. Cave, Lector, ne à primitiis maturitatem omnem exquiras. Acerbitatem, quam habent, titulus novitatis excuſet.

MONITA
AD LECTOREM.

CORAM te Reus à præceptis abſtineo; moneo tantum pauca pro cauſa. Genus hoc ſcriptionis jam noſti. Noſtro ſeu natum, ſeu renatum in ſæculo, pleraque nobilitavit ingenia. Periodos tamen qui quæris, & Latini medullam ſermonis, aliam omnem officinam adito. Acutus videri qui vult, ſæpè Latinus eſſe non poteſt. Libera Poeſis hæc ſuis ſolum propemodum legibus vivit; vel cum Grammaticorum injuria tolerat plerumque barbariem. Ornatum omnem ex nitore luminum quærit, quæ veſtire voluiſſe, tegere eſt. Mihi verò ratione argumenti venia aliqua major debetur. Tullii verbis præferri Chriſtus vult ſua; ſacra hiſtoria profanam non uno in loco elegantiam rejicit. Amavi ſuper acumina gravitatem, quam non ſemel à vocibus illis accepi, quæ cum ab Auctoritate Dei habeant pondus, graviores eſſe non poſſint. Cave ne opſonium

hoc,

hoc, panem putes. Genus hoc cibi, excitandis ingeniis natum eſt, non paſcendis. Niſi cum moderatione ſumatur, nimium avidis mentibus nauſeam creat. Perpenduntur hæc, non percurruntur; ideo cum violentiam quandam legenti inferant, à quo, non quamcunque, ſed omnem attentionem expoſcunt, diù tolerari non poſſunt. Farta Laconiſmis oratio, quia minimum imitatur naturam; ut illam exhilarat prima illa ſpecie artis, ita paulò poſt lædit, dum nihil illi obvium exhibet, ſed omnia talia, ut niſi eruantur, non prodeant. Flores hi ſunt, carpuntur per ſe ſinguli ſummis digitis, non tota immiſſa falce metuntur. Ubi unum, aut alterum delibatis Elogium, ne faſtidire alia debeas, novam famem expecta. Scio deſideraturum te in hoc opere illud ipſum, quod ego, ſingulis videlicet Elogiis peculiarem imaginem, in quam divertere identidem oculos poſſes meis ineptiis fatigatus. At juratus Chriſto Pauper, præter me ipſum nil habui, quod in Chriſti laudem impenderem. Id aliunde Chriſtus expectet.

)(5

ELOGIORUM INDEX.

Chriſtus Ieſus Dei filius ab æterno. 1
A Cœli Caduceatore ejus nunciatur adventus. 2
Matris in utero Ioannem inviſit. 3
Naſcitur in Bethleem Iudæ. 4
Ortus ejus multiplici prodigio illuſtratur. 5
Auctus nomine carne minuitur circumciſus. 6
Novi ſideris judicio innoteſcit Aſtrologis. 7
Advenis adoratur à Regibus. 8
Per Magos Herodem illudit. 9
Ejus cauſa Innocentum cædes. 10
Simeonis in Vlnis ſiſtitur Deo. 11
Herodem fugiens exulat in Ægypto. 12
Ejusdem inter Ægyptos commoratio. 13
Herode mortuo revocatur in Patriam. 14
Inter Doctores invenitur in Templo. 15
Vsque ad annum 30. lignariam exercet. 16
Ioannis Baptiſmate abluitur. 17
In Deſertum ſecedens tentatur. 18
Secus Mare ſcholam aperit, & Apoſtolos vocat. 19
Nuptiarum hilaritatem miraculo geminat. 20
In Monte diſcipulos erudit ad ſublimia. 21
Quinq; panibus totidem hominum millia paſcit. 22
Tempeſtates ſedat, & ambulat ſuper Mare, 23
Seipſum transfigurat in Monte. 24
Magdalenæ amores honeſtat dum facit ſuos. 25
Samaritanæ ſalutis fontes aperit. 26
Patrocinatur Adulteræ. 27
Zaccheum vocat. 28
Cananeæ filiam curat. 29
Centurionem per ſervum lucratur. 30
Non habenti hominem ad piſcinam occurrit. 31
Hæmorrhoiſſam à fluxu ſanguinis curat. 32
E decem Leproſis novem experitur ingratos. 33
Cœco nato novam aperit diem. 34
Surdos facit audire, & Mutos loqui. 35
Filium viduæ ſuſcitat. 36
Archiſynagogi filiam in vitam revocat. 37

Lazarum

Lazarum ſororibus reddit. 38
Ad Crucem triumphali pompa diſcedit. 39
Negotiatores è templo ejicit. 40
In Bethania cœna unguentis perfunditur. 41
A Diſcipulo venditur. 42
Agnum cum diſcipulis comedit. 43
Convivarum ſuorum abluit pedes. 44
Novum ſuis de ipſo convivium parat. 45
Hymno dicto in hortum diſcedit. 46
Orans ſanguineum in ſudorem liqueſcit 47
Dormientes increpat, & hoſtibus occurrit. 48
Oſculo proditur. 49
A ſuis deſeritur. 50
Accuſatur coram Caipha. 51
Petrum reſpiciens ſolvit in lacrimas. 52
Vexatur per noctem. 53
Pilato ſiſtitur, & accuſatur. 54
Ad Herodem miſſus illuditur. 55
Ad Pilatum reducitur. 56
Flagellis caditur ad Columnam. 57
Spinea redimitur corona. 58
Oſtenditur populo, & exſibilatur. 59
Poſthabetur Barrabbæ, & condemnatur. 60
Crucem bajulat in Calvariam. 61
Nudatur veſtibus. 62
Affigitur Cruci. 63
Rex Iudæorum inſcribitur. 64
Medius inter Latrones. 65
Ejus calamitas cœlum cæcat. 66
Torquetur mali Latronis exitio. 67
Hilaratur boni Latronis ſalute. 68
Sitiens felle, & Aceto potatur. 69
Pro hoſtibus rogat, 70
Diſcipulum Matri, Spiritum Patri commendat. 71
Anhelantis mortem clamor, & gemitus, 72
Deſertum à Patre ſe quæritur. 73
Inclinato capite moritur. 74
Mortuo tota parentat natura. 75
Ex aperto latere manat ſanguis, & aqua. 76
Mortui pendentis in Cruce myſteria, 77

E Cruce

E Cruce depoſitus tumulatur. 78
Epitaphium ſepulto. 79
Sepultæ Cruci Epitaphium. 80
Spinis, & cæteris dolorum ejus inſtrumentis Epitaphium. 81
Iudæ ejus Proditori Epitaphium. 82
Amorem ſuum colorat in Sindone. 83
Ad Inferos deſcendit. 84
Redivivus ſurgit è tumulo. 85
Vulnera retinet. 86
Apparet matri, & mulieribus. 87
Apparet Mariæ Magdalenæ. 88
Apparet euntibus in Emaus. 89
Apparet diſcipulis in Cœnaculo. 90
Apparet Piſcantibus. 91
Aſcenſurus ſuis valedicit. 92
Aſcendit triumphator in Cœlum. 93
Linguarum imbrem pluit in ſuos. 94
Gloria ſua Mundum implet. 95
Stephani Agonem ſtans ſpectat. 96
Saulum ex equo deturbaturus deſcendit. 97
Venientis ad Iudicium apparatus. 98
Iudex ſedet in Valle Ioſaphat. 99
E tribunali in ſolium migrat, ubi regnat in æternum, & ultra. 100

ELOGIUM

ELOGIUM I.
CHRISTUS JESUS DEI FILIUS AB ÆTERNO.

Amicus Silentii Deus eſt:
Semel in tota Æternitate loquutus
Uno omnia dicit in Verbo.

Pſalm.61.verſ.12. ſemel loquutus eſt Deus, &c.

Prima ſui fœcunditate facundus
Ipſa ſui conceptione fit parens.
Usque adeo in Dei filio

Generatur enim à Patre per notionem ſui ipſius.

Nativitatem Conceptio non præcedit,
Cui ipſum Concipi, Naſci eſt.
Ita Patris fœcunditatem exhauriens,
Ut illi Fratrem dare non poſſit,

Implicat enim dari alium ab eo Dei filium naturalem.

Unus cum ſit,
Numeri damnum compenſat.

Numeri damnum Proſerpina penſat Claud. de raptu.

Ipſa ſui Apprehenſione Comprehenſio,
Ipſa Intellectione Loquutio,
Sapientia ſine litteris,
Imago ſine lineamentis,
Cum prodierit ante Luciferum,
Adhuc in ſplendoribus natus eſt.

Pſalm.109. verſ.4. In ſplendoribus ante Luciferum genui te.

Citra diſſidium oppoſitus Patri,
Tota ab eodem accepta Subſtantia Emancipatus,

Ex oppoſitione enim diſtinctio perſonarum.

Adhuc habet omnia cum illo communia.

Dicit enim. Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.

Abavos, Proavosque ne quære.
Illi tota Nobilitas Pater eſt.
Antiquiſſimus genere Majores non habet;
Adeo eſſe vera Nobilitas
Sine majoribus poteſt.

Nobilitas Dei, vera nobilitas, & tamen majores non habet.

Nunquam morituri Hæres æternus;

Hic eſt Hæres, venite occidamus eum.

Viarum Domini initium idem, Et finis:
Adhuc naſci non ceſſans tot annos natus,
Quia ſemper Vivens eſt, ſemper ſpirat.

Spiritus enim Sanctus à Filio procedit, ac Patre.

Eſaia cap. 51.

Pſalm. 109. *v.* 1.

Speculum ſine macula & imago bonitatis illius. Sap. 7.

Mens, & Brachium Domini,
Cum omne in illo ſit robur A' Dextris eſt.
Sui Speculator, & Speculum
Radios, dum accipit, reddens,
Non minus ideò Patre contentus,
Quia avidus Matris,
Quam naſcendo non potuit,
Renaſcendo quæſivit.

Arius enim Verbum creaturam dicebat. Hæretici Grammatici.

Non enim procedit per ſe ex cognitione contingentium.

Apage hinc, Ari, cùm tuis;
Grammaticus enim ut ſis,
Hoc nimis Anomalum Verbum eſt.
Omni Præſens, & Infinitum in tempore,
Cum nullis regatur Caſibus
Nullius eſſe ordinis poteſt.

ELOGIUM II.
A' COELI CADUCEATORE EJUS NUNCIATUR ADVENTUS.

Lucæ 1.

Tempus, quo ſolent Reges ad bella procedere, vernum eſt.

Conceptio Chriſti die 25. *Martij ex traditione Eccleſiæ.*

Aprilem memorant ab aperte tempore dictum.

Virga Ieſſe Maria cum cæteris virgultis in vere floruit.

Peperit enim Chriſtum die 25. *Decembris.*

Dies conceptionis Chriſti circa Æquinoctium vernum.

Veritas è terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit. Pſal. 84.

Gabriel interpretatur Fortitudo Dei.

Fortitudinis autem eſt, ærumnis ultro ſe objicere.

Capacitas patiendi non aliud, quam humanitas.

Menſis idem & terris bellorum,
Et Cœlo fœderum eſt.
Martio nomen Martis adimite,
Ex quo finem ejus
Noſtræ Pacis initia conſecrarunt.
Deputentur Aprili Dies,
Quibus tam ingens facta Cœlorum apertio eſt.
Virga Jeſſe,
Vel in Miraculis Naturam obſervans
Datura fructum in hyeme
Florem concepit in Vere.
Ubi facta dierum, & noctium æqualitas fuit
In terram uſque redundavit
Ex Cœli æquitate Juſtitia.
Ita diebus iiſdem,
Et unus Sol in Ariete,
Et alius in Agno eſt.
Fortitudo Dei
Miſſa Deo quærere capacitatem patiendi,
Quia ad perditos venerat,
Legationem incipit à Salute.

Plenam

Plenam gratiâ profitetur,
Et adhuc in ea Immenſitati poſtulat locum;
Uſque adeo penetrabilis cum gratia Deus eſt.
Quanta potentia fœminæ,
Quæ mundum ea ipſa voce refecerit,
Qua olim eſt factus?
Quanta claritas,
Cui vel tanta lux obumbraret?
Prævenerat Legatum ſuum Deus:
Erat jam in Virgine Dominus,
In quam admitti filius poſtulabat.
Vix igitur humaniſſimo emiſſo
Diviniſſimum admiſſum in utero Verbum eſt.
Parendi ſtudio merita virtutem pariendi,
Fœcunditatem Virginitati non prætulit,
Sed adjunxit.
Se tunc potiſſimum ſui Dominam probans,
Cum Dei prædicaret ancillam,
Regum Regi, Ut ſervus eſſe pateretur,
Præivit exemplo.
Impetrata facultate mœroris lætior Deus,
Noſtra provehens, & ſua non minuens,
In prædio mortis æternam ſeminat vitam.
Non ideo minus Nobilis, quia Homo novus,
Excluſos à cœlo miſerans Incluſus in utero,
Dilatare Charitatem didicit ex anguſtiis.
Sperate Mitiorem Judicem, Rei:
Cœpit aliquid habere, cui timeat.
Inhumanus eſſe non poſſit,
Qui tenaciſſimo glutino humanitati conjunctus,
Separabilis jam ab illa non eſt.

ELOGIUM III.
MATRIS IN UTERO JOANNEM INVISIT.

Luc. cap. I.

Ubi Deum conceperis
In Montana abeas neceſſe eſt.
Altiſſimus pati valles non poteſt,

Ingreſſus Angelus ad eam dixit, Ave Gratia plena, Dominus tecum, &c.

Alludit ad illud. Fiat, per quod facta ſunt omnia, & ad illud. Fiat mihi ſecundum Verbum tuum.

Virtus altiſſimi obumbrabit tibi.

Ad illud. Dominus tecum, benedicta tu, &c.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Ex Bernardo. Virginitate placuit, humilitate concepit.

Qui imperat ſibi ſervus undequaque eſſe non poteſt.

Exempla Mariæ ipſum etiam ad humilitatem moverunt Deum.

S. Leo. ſerm. 3. de Nativ.

Caro prædium mortis, in quo qui ſeminat, metit corruptionem; ex Apoſt. ad Galat. 6.

Homo novus apud Latinos idem quod ignobilis. Chriſtus autem dicitur homo novus à Paulo. Induite novũ hominẽ.

Unio hypoſt. tenaciſſimũ glutinũ, quia quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit.

Ambr. lib. in Luc. Quo enim Deo plena niſi in ſuperiora cum feſtinatione contenderet?

 Quas

Quas impleturus deſcendit.
Surſum gravitat Chriſtus;
Eum qui geſſerit pellitur ad excelſa.
In Cœli ſtare neſcientis mores Virgo degenerat,
Ex quo Divinitatis Bajula
Cœlo ſucceſſit.
Nimirum ubi Deus quieſcit
Æternus eſt ad beneficentiam motus.
Jam non ſola Nazareth Civitas florum eſt;
Incaleſcere Mundus cœpit:
Vernat vel in Montium horrore Flos Campi.
Primus Motor motus & ipſe jam movet:
Defertur ad ſterilem,
Et quem non videt oculus, Uterus ſentit.
Iterum coram Arca Choreæ.
Ad tantam Morum harmoniam
Tales Choreæ.
Giganti præcurrere nemo potuerat,
Niſi qui inciperet tam maturè moveri.
Quia Cœli Claſſicum, Mariæ vox eſt,
Ea audita Prodromus liberatur ad Curſum.
Deo conſanguinea
Adhuc ſe cognatam hominum meminit,
Et ad Elizabeth aſcendendo deſcendens
Ipſam difficultatem itineris,
Cauſam itineris facit.
Silentium abjiciens Plena Verbo,
Beatam negare non auſa,
Quam omnes dicerent,
Sortem ſuam
Ipſa ſui diminutione Magnificat.
Exultationis planè dies,
Cum in una Infans in utero,
In altera Spiritus exultavit in Deo.
Celari Chriſtus
Nuſquam minus, quam in viſceribus poteſt.
Ubi ſe non prodit, ibi non eſt.
Nullæ ſatis eum latebræ tegant,
Qui beneficiorum ſuorum
Se & magnitudine, & numero detegit.

ELO-

Tradictum ab Iſaia. Quod omnis vallis implebitur, &c.
Maria Cœlum ſape à Patribus dicta. Vide Theop. Rayn. in ſuo Nomenclatore.

Deus inimicus otij.
Nazareth Habreis idem, quod Civitas florum.
Montibus ver ſerius oritur, quā campis.
Chriſtus flos campi in Canticis. canticis.
Contra Ariſtotelis, & Philoſophorum doctrinam.
Exultavit enim in utero Infans.
Alludit ad Choreas Davidis coram Arca. Maria autē ipſa etiam Arca dicitur paſſim à Patribus.
Chriſtus Gigas exultavit ad currendam viam. Pſalm. 18.
Prodromus Chriſti Ioannes.
Ex ipſius enim ſanguinibus corpus aſſumpſerat.
Aſcendebat, quia ibat in montana, deſcendebat, quia mundi Domina ſe demittebat ad obſequia ſe minora.
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Magnificat anima mea Dominum, &c.
Exultavit infans in utero meo, ait Elizabet.
Maria vero, & exultavit Spiritus meus.

Et tamen ſi quod eſt ſecretum in homine, viſcera ſunt, Chriſtus à beneficentia, ubicunque ſit, noſcitur.

ELOGIUM IV.

NASCITUR IN BETHLEHEM JUDÆ.

Luc. cap. 2.

Dirigite viam veſtram mortales.
Factus Deus Viator eſt,
Recta incedentibus occurrit in via.
Frumentum Electorum Maturum in palea,
Quia in terram bonam ceciderat,
Non expectavit Æſtatem:
Quamvis æſtas credi potuerit,
Sole inter Taurum, & Virginem ſtabulante:
Proſtrato Deo, & in Carne captivo
Deditionem cogitat Cœlum,
Et Militiam jam non utilem bello
Fecialem deſtinat Paci,
Daturus de ſe ipſo convivium homini,
In Civitate Panis,
Opſonia ne deeſſent, factus eſt Caro:
Et qui ignem venerat Miſſurus in terras
Aptam concipiendæ flammę materiem quærens,
Deſcendit in fœnum:
Ita Deus novam plane Metaphorã fecit in Verbo;
Quod à propria ſede ſua eò tranſtulit,
Ubi locus ei non erat.
Primus, qui cum bene ageret, lucem odiſſet,
Quia dici non poterat in lucem editus,
Natus in nocte,
Cum non haberet unde tegeretur,
Detectus non eſt,
Perſonatus ideo, quia nudus.
Inter feras cicures medius
In nocte media,
Locum Virtutis, & moriens occupavit,
Et Naſcens.
Fœcunditatem à Virgine
Sterilitas omnis edidicit:
Flevere oleum ſcopuli,
Opobalſamum quercus;

Non ſine cauſa Moniti homines ut dirigerent viam ſuam, ita enim inventuri Deum erant viatorem factum.

Stabulũ, in quo natus, prope viam fuit.

Frumentum electorum dictus Chriſtus, Zach. 9.

Aliud cecidit in terram bonã, juxta parabolam ſeminantis, Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8.

Æſtiva ſigna inter Taurum & Virginẽ.

Quare militia cœli, & non aliis cõmiſſa pacis canenda cura.

Hoc eſt in Euchariſtia.

Bethlem interpretatio, Civitas Pacis; à Hieron. & aliis Patribus.

Ignem veni mittere in terram: Et quid volo niſi ut accendatur. Luc. cap. 12.

Propria Dei ſedes cœlum, ex David. Cœlũ cœli Domino.

Qui male agit, odit lucem, Iohan. 3.

Erat enim ipſe lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Nihil enim hominis oculis æque tegebat Chriſti divinitatem, quam nuditas.

Laus virtutis in medio.

Moriens inter latrones medius, & naſcens in medio noctis, & in medio duorum Animalium.

Atque ita ab eodem Solſtitio
Lux, & acceſcere cœpit hominibus,
Et diebus.
Paſtores Chriſtus primas ſibi oves elegit;
Decuit inter hos Agnum naſci,
Et natum ab his primum agnoſci.
Diſcite aſſuetudo quid poſſit;
Quando Deus ipſe
Humanitatis aſſiduè frequentans actus,
Tandem habitu inventus ut homo.
Ita, in Deo etiam, aſſuetudo
Facta [illegible]tera natura eſt.

Alludit ad prodigia, de quibus elogio proximæ ſequenti. Chriſtus natus prope hyemale ſolſtitium, à quo majores fieri dies incipiũt, & Argutia eſt D. Ambr. Cur Paſtoribus ante alios innotuerit. Ecce Agnus Dei. Ioan. 1. Conſuetudo eſt altera natura, ex Ariſt. 1. Rhet. c. de jucundo. Et habitu inventus ut homo. Paul. ad Philip. 2.

ELOGIUM V.

ORTUS EJUS MULTIPLICI PRODIGIO ILLUSTRATUR.

Spica virginis
Ubertatem hanc cœlo fecit,
Ut Sol, ad Agni nuptias & ipſe vocatus,
Spicis coronatus in. eſſerit.
Videre homines ſpicas in cœlo debuerant,
Si debuerant de cœlo panem ſperare.
Miniſtrat tellus oleum;
Ornate veſtras lampades, Sponſus venit.
Omnes homines initiaturus Athletas
Tam multis inungendis
Materiem præparat.
Non obduxerant cicatricem vulnera noſtra,
Quia circum ligata non fuerant,
Nec fota oleo;
Ideo curare illa qui venit,
Faſcias, & oleum ſecum affert.
Senſere vicinum Solem Engaddi Vineæ,
Eo in Tauro poſito floruerunt.
Ara Cœli
Novos Romæ Sacerdotes annunciat,
Et ne Plebejo numini dicata credatur,
Trina illi, in triplici Sole,

Spica Virginis Chriſtus. Iude frumentum electorum. Sol ſpicis coronatus apparuit. Baron. anno 1. Chriſti ex variis. In nuptiis coronari ſoliti antiqui. Chriſtus panis vivus, qui de cœlo deſcẽdit. Fons olei Romæ, ex Oroſio lib. 6. c. 20. Alludit ad parabolã de decem Virginibus. Non enim veni pacem mittere, ſed gladium. Matth. c. 10. Iſaia. c. 1. Plaga non eſt circumligata, nec fota oleo. Engaddi vineæ floruerunt. Baron. ibidem. Ara Cœli ex Suida, Cedreno, & aliis. Tres Soles Romæ viſi Baron. ex Plinio, & Dione, ibidem.

Lam-

Lampas appenditur.
Quam ſit efficax Dei exemplum
Hinc conjice.

Fons de novo Ortus in ſpecu Bethleem, ex eodem, & aliis.

Lugens in ſpecu,
Saxa ipſa erudivit ad lacrimas.
Coram illo egere aquæ tripudia,
Quem ſalutem prænoſcerent
Poſiturum in Aquis.

Imitari viſa ſunt ſaxa ſcatebris ſuis lacrimas Chriſti. In Sacramento enim baptiſmi poſiturus ſalutis januam erat.

Veritatis conſpectum
Pati non potuere Mendacia;
Inde caruit oraculum omne reſponſis.
Ipſiſmet ſimulacris vocem incluſerat,
Tantæ admiratio Charitatis.

Oracula pleraq; tacuerunt, ex Niceph. Chriſti charitas vel ipſis Admirabilis lapsdeis ſimulacris.

Suo Janus in templo captivus,
Sentit adeſſe ſæculum Pacis.
Ejus foribus ab Auguſto ter clauſis
Cœli fores aperit Deus.

Iani fores ab Auguſto ter clauſæ, ex Suetonio in eodem.

Quas ne claudendas iterum ſuſpiceris,
Clavem ipſam projecit in terras.
Illius uſum nemo melius,
Quam bonus latro te doceat;
Eam verſare ſi ſcieris,
Eris & tu hodie in Paradiſo.

Chriſtus clavis Davidex Apocalypſi, & ex Iſaiæ, cap. 22. Illas enim bonus latro aperuit: Luca cap. 23.

ELOGIUM VI.
AUCTUS NOMINE CARNE MINUITUR CIRCUMCISUS.
Luc. cap. 2.

Venales ſunt tituli potiores,
Sine ſanguine non habentur.
Pretioſiſſimum JESU Nomen
Tanti emitur,
Quanti & redimitur mundus.
Ita Deo, ne binæ quidem ſyllabæ
Gratis dantur.
Tamdiu ſine nomine,
Quamdiu ſine vulnere,
De Cœleſti Gymnade nobilis Agoniſta
Nudus in arenam ingreſſus

Magna veritas, ſed odioſa torpentibus. Emitur ſanguine, quo redemptus etiā mundus eſt. Ieſu enim nomen diſſyllabum eſt. Chriſtus ante circumciſionem Anonymus. Nudus enim venit in mundum, qui certaminum cavea definitur à Chryſoſtomo.

 Oleo

Oleo perungitur ſuo.
Lapis Angularis
Lapideo Cultro reciſus,
Illud ita retudit,
Ut jam ad nihil utile redderetur.
Suos expertus ardores,
Non remitti frigore, ſed intendi,
Tentavit an eos poſſet
Præpopera ſanguinis emiſſione minuere.
Per hæc ſacrificii ſui prima libamina
Initiatus Sacerdos,
Voce ſanguinis,
Quando nondum poterat gutturis,
Cœpit è terra clamare.
Stigmaticus ſervus amoris,
Nulla ejus imperia jam recuſet.
Novum perditis ſtatuens
Magiſtratum ſalutis,
Æterni ſui conſulatus auſpiciis,
Calendas Januarias dedicavit.
Anni fores,
Ne percuſſori Angelo ultra paterent;
Agni fuere ſanguine liniendæ.
Janus Alter
Geminæ naturæ, non frontis
Præfectus menſibus,
Prima hac templi ſui apertione
Nova bella portendens
Quia venit Gladium mittere,
Eum primum impulit in ſe ipſum.
Lacteam ultra Cœli viam ne credas;
Eam qui primus ingreditur
Docet eſſe ſanguineam.
Jeſu ſocium nemo ſe jactet,
Qui hoc eodem itinere non incedat.
In diverſa migrantibus nulla Societas,
Aut viæ eſſe poſſit, aut vitæ.

ELO-

Oleum effuſum Nomen tuum, in Canticis.

Fiebat enim cultro lapideo circumciſio.

Poſt Chriſtum enim inutile hoc ſacramentum.

Hac emiſſio ſanguinis unde neceſſaria Chriſto fuerit.

Prima libamina ſacrificij cruenti quod mox complevit in Cruce.

Alludit ad illud, Vox ſanguinis fratris tui. Gen. cap. 5.

Servi ſtigmatici inſimaneta apud antiques.

In Calendis Ianuariis innovabantur Magiſtratus, ut paſſim apud Tullium, Ovidium, &c.

Alludit ad Angelum, qui portas Hebræorum ſignatas Agni ſanguine in Ægypto (Exod. c. 12.) præteriit.

Chriſtus novus Ianus, antiquo major, & melior.

Corpus Chriſti, templum, de quo dicebat, ſolvite templũ hoc, & poſt triduum, &c.

Veni gladium mittere, Matth. cap. 10.

Via lactea fingebatur à Poetis Heroum via, qua cœlum aſcenderent.

Veri Ieſu ſocij qui.

Hoc eſt non terentibus laborum viam ſed voluptatũ, quam Chriſtus vel ab infantia declinavit.

ELOGIUM VII.
NOVI SIDERIS INDICIO INNOTESCIT ASTROLOGIS.
Matth: cap. 2.

Regno ſuo finem nequitia timeat;
Meliorem Mundo Dominum
Augur Cometa portendit.
Loquitur attendentibus Cœlum,
Et ignea lingua,
Pro tacente Verbo perorans,
Charitatis ſuæ nova Phænomena,
Primis prodit Aſtrologis.
Sine novo Phoſphoro,
Oriri non decuerat novam diem.
Pulchritudinem ſuam
Projecerat verius, quam expoſuerat Deus,
Niſi illius unius ſpectandæ gratia
Novum cœlo oculum condidiſſet.
Plebejus credi potuerat, Princeps luminum,
Si veniſſet ad tenebras ſine face.
Procedens tanquam ſponſus è Thalamo,
Hymeneos ſuos
Adducta de Cœlo Tæda nobilitat.
Quaſi fugitivum in terras Numen,
Accenſa Superi lucerna veſtigent,
Arcanorum Venatores emeritos,
Ad Arcanum omnium maximum
Eruendum è ſpecu,
Ingentis illicio mercedis adducunt.
Stationes ſuas
Impune jam Cœli militia deſerit,
Quando non uni Deus cuſtodiendus eſt Cœlo.
Quem tantæ Genituræ
Præficeret Dominatorem,
Niſi de novo condidiſſet,
Fruſtra natura quæſierat:
Neque enim horoſcopari par fuerat,
Aut Virginis filio Venerem,
Aut Martem Pacis parenti,

Lucanus 1. Pharſal. & terris mutantem regna cometem. Ideo ita metuitur à Regibus.

Stella hæc cœli lingua vocatur à Patribus.

Cœli enim enarrant gloriam Dei, & ex Pythagora, hæc eorum oratio auditur ab attentis.

Phænomena, idem quod apparentia.

Conjectura diei Novæ ex Novo Phoſphoro.

Nova ſtella, Novus cœli oculus.

Abjecerat enim in viliſſimum locum, hoc eſt ſtabulum.

Principibus viris de nocte proferri ſolita faces.

Hymeneicum tædis. Vide Mythologos.

Alludit ad illud, accendit lucernam, & verrit domum. De muliere, quæ drachmã amiſerit.

Militia cœli habet, & ipſa ſtationes ſuas, à quibus ſine Deo non recedat.

Deus enim erat in Chriſto, & in terris mũdũ recõcilians ſibi.

Alludit ad Horoſcopos, & genituras fieri ſolitas ab Aſtrologis.

Nullus è ſeptem planetis dignus fuit horoſcopari Mariæ fœtui, & cur?

Aut Conſtantiæ Lunam,
Aut Staturnum Lætitiæ,
Aut Clementiæ ultorem Jovem,
Aut Mendacem Mercurium Veritati.
Ex quo ſolem habetis in Terra, Mortales,
Vobis ultro ſidera cœlum cedunt.
Date vulgato Pacis Nuncio certam fidem;
Inde nulla bella vos petant,
Unde tales obſides accepiſtis.

Mercurius Deus Mercatorum, & ideo Mendaciorum.
Chriſtus ſol juſtitiæ cujus in pennis Sanitas.
Cur deſcenderit in terras ſidus hoc novũ Cecinerãt enim Angeli, & in terra pax.
Obſides à diſſidentibus dantur ſancita pace.

ELOGIUM VIII.
ADVENIS ADORATURA REGIBUS.
Matth. cap. 2.

Qualis ſit in Mundo nox, conjice,
Quando vel in Oriente poſiti diem quærunt.
Artes ſuæ Magos deſtuunt;
Trahere Sidera aſſueti
Trahuntur à Sidere.
Impellit ad iter flammeum Calcar,
Et ad portum ſalutis ſolventibus Cynoſura,
Laborem ſolatur, ac dirigit.
Ne deſpicabiles Deo Reges putares,
Ephæborum ſuorum Nobiliſſimum,
Iubet ad ſe de nocte venientibus
Facem præferre.
Cautus ille tamen, ac ſolers,
In Regione hoſtium,
Tecta facie perſonatus inceſſit.
Temerare ſe timuit illius Urbis aſpectu,
In qua periturum præſenſerat,
Quem recens Natum nunciabat.
Male agentibus, noverat,
Omne lumen inviſum;
Sed illud potiſſimum, quod è Cœlo.
Tenebrionum in Aula
Luce deſtituti cæcutiunt.
Nec ſatis, quem interrogent, vident,
Ubi tamen Dei oracula ſunt,

Tanta

Solis, & diei Patria oriens, unde Magi venerunt lumen quærere.
Fingunt paſſim Poetæ Lunam, & ſtellas trahi à magis, ut videre eſt apud Lucanum, Senecam, &c.
Calcaria enim in ſtellæ modum formantur.
Angiportus Bethleem portus ſalutis.
Honoris gratia ab Ephebis honorariis præferri ſolita Regibus faces.
Angeli Miniſtratorij Spiritus, Ephebi Dei.
Vt enim patet ex textu, quamdiu fuerunt Hieroſolymis non apparuit ſtella: Vnde Mox videntes illam iterum gaviſi ſunt.
Chriſtus enim Hieroſolymis moriturus.
Qui malè agit, odit lucem, Ioan. c.3.
Filius tenebrarum erat Herodes, qui turbaretur ad nova lucis exortum.

Tanta nox eſſe non poteſt,
Ut certa ut illum via non pateat.
Advenıſſe Judicem Mundi,
Novo argumento probat improbitas,
Dum turbatur;
Aliis ſacrificii,
Sibi Parricidii locum deſignans,
In idem cum pietate votum conſenſit,
Invenire & ipſa Deum volens,
Quem niſi inventum perdere non ſperaret.
Edocti, malo ſuo, Nobiles Advenæ,
Chriſtum quærentibus,
Quam noxia ſit omnis apud impios mora,
Herodis abjecta beneficentia
Iterum divinam merentur.
Ad agnoſcendum tam obſcuro genitum loco,
Quam habuerint neceſſitatem luminis, vident.
In muneribus deſcribentes quem colerent,
Dei Theſauris inventis
Suos abjiciunt.
Curare Mortuos venientem,
Myrrha carere non decuit.
Sperare Chriſtus cœpit amores hominum,
Ex quo & ipſe potuit Aurum dare.
Odoratus Pater eſt ſuavitatis odorem,
Ubi, quem miſiſſet in terras ignem,
Thus attigit.

ELOGIUM IX
PER MAGOS HERODEM ILLUDIT.
Matth. c. 2.

Niſi cicurari metueres, Efferænis Bellua,
Domini ſtabulum non timeres.
Schola Regum Præſepe fit;
Ibi vere Regnandi artes docentur,
Et felix nimium, qui tanti Præceptoris
Non verba ſolum, ſed & vagitus intelligat.
Cautus tamen, Herodes, ut es,
Præſepe declina;

Pecu-

Erat enim apud Iudeos ſcripturarum ſcientia. Vnde interrogati reſpondent: In Bethleem Iudæ. Sic enim dictũ, &c. Turbatus eſt Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo. Ite, & cum inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum, revera de illo perdendo cogitans.

Amiſerunt enim ſtellam, quamdiu cum Herode fuerunt. Et ecce ſtella, quam viderant, antecedebat eos, usq; dum veniens, &c. Hoc eſt genitum in antro, & in Præſepi. Aurum, thus, Myrrham Regiq;, hominiq;, Deoq;. Iuven. Presb. Myrrha condiendis cadaveribus adhibita, ut patet ex ſepultura Chriſti. Aurum enim ſequuntur homines, & vulgus amicitias utilitate probat.

Cavere ſtabulũ Domini proprium beſtiarũ indomitarũ. Veræ regnandi artes, humilitas, & manſuetudo: dictum enim: beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Herodes hic fuit omni ſcelerũ genere notatiſſimus, ut cõſtat ex Ioſepho, & Evang.

3 Pecudem te Mundus notat ex moribus,
In fœno ſi viderit,
Te illi hominem ultra probare ne ſpera.
Quid ad te reduces, latro purpuratus, expectas?
Publica nequitia tua eſt;
Ipſimet Dormientes
Te ſomniant Perduellem.
Quam ſtolidus ſis, vel hinc conjice.
Aliorum ſomnia
Tuis ſunt ſagaciora conſiliis.
Graſſator ut ſis, viam omnem non noſti;
Illam in primis,
Per quam in regionem ſuam
Nobiles animæ revertuntur.
Nulla ſpes Prædæ te paſcat:
A' Chriſto venientibus
Sola pietas Theſaurus eſt,
Quam furari, vel ſi poſſis, non vis.
A' tuis cætera ſecura ſunt manibus,
Utpote apud illum relicta,
In quo Theſauros ſuos omnes,
Deus ipſe cuſtodit.
A' Sidere ſuo Reges
Didicêre te fugere.
Hieroſolymis illud ubi te vidit, evanuit.
A' tam malo Principe,
Ne in ipſo quidem, tutum ſe credidit Cœlo.
Tibi cum Magis res eſt,
Veneficia non proderunt tua.
Ut ad omnia Tyrannus vigil intendas,
Inventa reſponſa ſunt,
Quæ ut te lateant, ſomniantur.
Cœlum ipſum,
Ne clientium ſuorum fugam videas,
Quam illis prætulerat facem extinguit.
Deũ ipſum quodammodo exterruiſti, tã ferus es.
Te ille non ut evaderet,
Sed ut non videret, aufugit.
Victorem te dicerem,

Hoc eſt in loco beſtiarum proprio.
Stoliditas Herodis quanta vel in ipſa vafritie ſua.
In ſomnis enim moniti ne redirent ad Herodem.
Graſſatorum enim proprium obſidere vias.
Nobilium animarum Regio, Dei conſpectus, quamdiu autem ſunt in hac vita, peregrinantur.
A Chriſto enim referre non poſſunt, niſi Theſauros, quibus ille abundat, qui ſunt Pietatis, ſapientia, &c.
In eo enim ſunt omnes Theſauri ſapientia, & ſcientiã abſconditi ad Col. ſſ. 2.
Fugit enim, quia Hieroſolymis non apparuit.
Longa enim Regibus manus ſunt.
Herodis veneficia peſſima illius artes.
Quis enim divinet Somnia, niſi Daniel aliquis?
Redeuntibus enim in Regionem ſuam non legimus apparuiſſe ultra ſtellam.
Chryſol. 152.

Niſi

Niſi Deum ſcirem
Parthorum quoque more pugnare.

Deus enim plerumq́, ad inſtar Parthorũ fugiendo, quam reſiſtendo gravius affigit vulnus hoſtibus ſuis.

ELOGIUM X.

EJUS CAUSA INNOCENTUM CÆDES.

Matth. cap. 2.

Orta Veritas eſt, Aula turbatur.
Scit illa nomen hoc Regibus non placere.
Sol noſter nonum menſem fixus in Virgine,
Vindemiam ſanguinis excitavit.
Inſtat ab Herode Pueris bellum:
Nam ſolis hominibus
Decantata in terra Pax eſt.
Criminoſam videri facit Innocentiam,
Deus præſens:
In hoc illa peccaſſe depræhenditur,
Quod in diebus Herodis
Non horruerit lucem pati.
Viſus in oriente Cometes
Cui micet innocens,
Si vel ipſis portendit Innocentibus necem?
Niſi fortè conſultius ſit opinari,
Flammam hanc rudibus animis
Recti ad Deum itineris Ducem datam.
Proh quam belligerum Regem
Habes, Judea?
In tanta Pace ne torpeat,
Sibi fingit hoſtem, quem petat.
Et, tu, Herodem aliud, quam larvam putes,
Quem exterrendis pupulis natum vides?
Quam non ſtabile impiis Regnum eſt,
Cui timetur etiam ab Infante pernicies!
Ardentes animæ
Moras corporis non tulerunt.
Anticipant virtutibus blandimenta,
Vulneribus oſcula.
Ne quid haberet cum Deo comune Rex impius,
Humani-

Chriſtus Veritas; dicit enim, ego ſum via, veritas, & vita, & David, veritas de terra orta eſt.

Per novem enim menſes fuerat in Ventre Virginis.

In ſigno autem Virginis ſtante ſole, Vindemiales veniunt dies.

Alludit ad illud, & in terra Pax hominibus, & non pueris, quos dicere homines non ſolemus, licet & ipſi ſint.

Fugiendum enim ab innocentibus fuerat tam noxij capitis Regnum.

Cometes indicare ſolet non ſolum Regnorum finem, ſed etiam clades populorum.

Scire enim rectam in cœlum viam non potuerant, quam Chriſtus nondum aperuerat.

Sub Octaviano enim in cujus annos Herodis regnum inciderat erat pax ſumma.

Larvis enim terrere ſolemus pueros.

Stabilius Regnum impij, eiuſdẽ corde eſſe non poteſt, quod quaſi mare fervet. Ita ad verbum Chryſol. ſerm. 153.

Humanitatem exuit,
Statim ac illam induit Deus.
Ita vecors, ut illius ſerviret gloriæ,
Cujus inhiaret ruinæ,
Ne ab ullo taceretur, quem ignorari voluerat,
Tot laxavit infantibus ora, quot vulnera.
Decoloravit purpuram ſuam,
Qui eam tinxit in ſanguine;
Et in novo Mari Rubro
Pharao alter eluſus,
Dum unum perdere Regem voluit,
Multos fecit.
Perfide! Si à ſolio te Deus amoveat,
Quo migrabis?
Regni Conſortes nõ pateris; cœlo inſerẽdus nõ es,
Ubi nemo de populo, omnes Reges.
Infantes odiſti; Abrahæ ſinum ne ſpera;
In regione ſua ſunt,
Eos inde non fuges.
Te recuſaret & Erebus, ſi Carnifice non egeret.
Nuſquam eſſe debueras,
Qui Deum, qui ubique eſt, non vis tecum.

Exuit humanitatem factus inhumanus, barbarus.
Hac enim ejus immanitas vulgabat mirificè adventum Christi, ut notant SS. Patres.
Præconium Chriſti non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt.
Pro mari rubro, intellige copiam effuſi ſanguinis.
Omnes enim qui in cœlo ſunt, Reges ſunt. Unde dicunt, feciſti nos Deo noſtro regnũ; & adoraturi Agnum in Apocalypſi, coronas ponunt.
Sinus Abraam, locus Infantium proprius antequam Chriſtus eos ſecum in cœlum aſſumeret.
Nolebat Deum ſecum qui volebat omnino ſolus regnare.

ELOGIUM XI.

SIMEONIS IN ULNIS SISTITUR DEO.

Lucæ cap. 2.

Mori nemo timeat,
Niſi qui nondum viderit Deum.
Fluento Salutis applicitus
Præcinit ſibi Olor inferias,
Manumitti ſe poſtulans,
Cum meliorem ſiſti Domino ſervum videt.
Authorem ſalutis poſitum in ruinam multorum,
Experitur primus ille, qui prævidet.
Tantæ Majeſtatis oppreſſus eſt pondere,
Qui eum in ulnas accepit.

Olim autem dictum erat à Deo, non videbit me homo, & vivet. Exodi 33.
Chriſtus fluvius egrediẽs de Paradiſo.
Hiſtoria de Cygni cantu notiſſima. Talem autem Simeonẽ vocat ab canitiem.
Poſitus eſt hic in ruinam multorum, & in ſignum cui contradicetur.

Quidni dimitti rogaret in pace,
Parari gladios præſciens,
Qui ipſam etiam animam pertranſirent?
E Senis tripudio Dei gaudia conjice;
Plura hic ſecula, quam ille annos
Mariæ victimam expectarat in templo.
Per aſſuetas fletibus Turtures
Noſtra Gaudia redimuntur.
Adeo nihil vile Deo eſt,
Quod lacrimam ſapiat.
In Pullis Columbarum
Agnoſci vult author, muneris, ſine felle.
Tacere neſciunt
Quibus tanta Verbi ſit copia.
Spiritus Veritatis
Pythoniſſas & ipſe cœpit habere,
Sed ſobrias, ſed innocentes.
Anna altera Samuelem ſecundum expectans
Eructat vaticinia Deo plena.
Ebria tamen videri & ipſa ne poſſet
Tam longa præmiſit Oeſtro iejunia.
Ex occurſu Mariæ nemo non proficit,
De Sacerdote fit Oraculum Simeon;
Acceperat ante reſponſa, nunc dabat.
Non viſurum ſe mortem jam credit,
Quia poſt Chriſtum nulla jam eſt.
Divinans Pueri genium,
Vates emeritus,
Illum crucis, cruciatuumq; memoria
Quibusdam quaſi blandimentis exhilarat.
Licet nondum cum flagello
In templum venerit JESUS,
Ex nunc vendentes, & ementes, abite.
Poſt Mariæ oblationem
Nauſeare cætera Deus cepit.
Habete vobis oves, & Boves,
Columbas, & turtures;
Uno ille contentus eſt Agno.

Et tuam ipſius Animam pertranſibit gladius.
Expectans conſolationem Iſrael: & Spiritus Sanctus erat in eo.
Turtures Animalia Flebilia.
Vt darent hoſtiam, par turturum, aut duos pullos columbarum.
Columba enim felle carere dicuntur.
Et accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit, &c.
Pythoniſſæ mulieres veriloquæ apud antiquos in pretio.
Anna Samuelis mater credita ab Heli ebria, cum aſſidue oraret ad Dominum in templo, Reg. 1.
Feſtum quo colitur hoc Myſterium, Ipapanton à Græcis, occurſus dicitur à Latinis Patribus.
Reſponſum acceperat Simeon, non viſurum ſe mortem.
Miratus enim eſt olim per prophetam, ò Mors, ero Mors tua.
Prædixit enim Simeon Paſſionem Chriſto, & inde Mariæ dolores.
Bis enim Chriſtus fugavit à templo vendentes, & ementes.
Tunc enim potiſſimum dicere potuit, Quid mihi multitudo victimarum veſtrarum?

ELO-

Chriſtus enim ſolus is fuit, in quo ſibi bene complacuit,

ELOGIUM XII.
HERODEM FUGIENS EXULAT IN ÆGYPTO.
Matth. cap. 2.

Magorum aurum accepiſti, Mi JESU,
Herodis ad te illico ferrum trahis.
Inter homines,
Et aurum, & pacem tueri.
Quando tibi non licuit, cui licebit?
Periculum tuum prope cœlites monuit,
Ne quibuscunque ſe fidant.
Qui longa olim
Cum agentibus vigilias miſcuere colloquia.
Nunc non niſi ſopitis apparent.
Ne Infanticida te tollat,
Jubetur Pater te tollere;
Nec ulla aut hyemis ratio habetur, aut noctis,
Quod arceres utramque Sol præſens.
Agnoſcit Ægyptus
Ex Maria comite novum Moyſem;
Prodigia non plagas expectet;
Virga Jeſſe clementior Virga eſt;
Licet ipſa etiam ſerpentes voret.
Illata ſub tactum cadentibus tenebris damna,
Luce tractabili rependuntur,
Nec eſt qui timeat Primogenitis ſuis,
Quamdiu inter eos eſt Primogenitus Dei.
Novo lumine Pharos accenſa
Toti rutilat ſpectabilis Cœlo.
Nunc vere mundi Horreum Ægyptus eſt,
Quando tam pinguia mundo alimenta cuſtodit.
Eo iterum ad Joſephum accurrite,
Quotquot in regione veſtra
Non habetis annonam.
Exul ut ſit & ipſe,
Tali præpoſitus Domui ditare vos poteſt,
Erudire beneficiis, Regio,
Quæ non profeciſti flagellis.
Ut Nilo hactenus multa debueris,

Poſt adorationem, & accepta Magorũ munera, videns Herodes, quod illuſus eſſet à Magis, capit ſævire.
Ex quo periclitari Chriſtus capit, viſi ſunt Angeli cautius, & difficilius ſe terris fidere; Magis enim, & Ioſeph non niſi in ſomnis apparuerũt, cum antea miſcerent cũ vigilantib⁹ paſtoribus lõga colloquia.
Tolle Puerũ, & matrem ejus, & fuge.
Accepit Puerum, & matrẽ ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.
Maria Soror Moyſis in exodo celebris.
Virga Moyſis Ægyptiis metuenda.
Virga Ieſſe ſerpentes, hoc eſt Diabolos vorat.
Chriſtus lux erat, & in carne palpabilis. Vnde dicebat, palpate, & videte. &c.
Primogeniti Ægyptiorũ una nocte deleti ab Angelo percuſſi ſunt. Exod. 11.
Pharos turris, in qua noctu accenſæ faces navigantium iter regunt, Alexandriæ in Ægypto. Plin. in Paneg. Traiani.
Alludit ad Ioſeph Patriarchã, & eius induſtriam Ægypto perutilem, cum eſſet præpoſitus Domui Pharaonis.
Familia Novi Ioſeph, Maria, & Ieſus.
Intentatis illis olim per Moyſem à Deo. *Sola enim Ægyptus non irrigatur à cælo, ſed à Nilo ſolum. Iſaia, cap. 66.*

Herodi

Herodi nunc debes omnia,
Cui Deum debes.
Derivavit in Ægyptum fluvium pacis,
Cui ſe ſe aggerem oppoſuit in Judea.
Felices Populi,
Quibus aliquis extra hortos natus eſt Deus.
Ex Aris pellite Crocodillos,& cepas;
Numina lacrimarum hæc ſunt,
Illis ciendis genita,non placandis.

Declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis.
Iuvenalis de Diis Ægyptiis loquens. Felices populi,quibus hi naſcuntur in Hortu Dii. Hi autem erant Alia & cepa, præterea Crocodilli, de quorum lacrimis notiſſima hiſtoria eſt.

ELOGIUM XIII.
EJUSDEM APUD ÆGYPTIOS COMMORATIO.
Matth. cap. 2.

Grave quidpiam ne formides, Ægypte;
Aſcendit Dominus Nubem levem.
Jactare poſthac erubeſce
Pluviam non debere te cœlo;
Effuſa ſuper te nubes eſt,
Fœcunditatem, quam dare Nilus non poterat,
Accepiſti.
Coram Arca Dagones tui corruunt,
Et in cineres ſoluti
Sepulcra, non aras expoſcunt.
Iſidi,& Oſiridi dies luctuum inſtat;
Ninivitarum exemplo
Coram novo Jona operuere ſe cinere,
Aguntque ſine victimis longa jejunia.
Qui ſequuti eſtis errantes,
Reſipiſcentes ſequimini.
Exultat futuræ ſpe frequentiæ ſolitudo;
Virtutem, unde mox Aſcetas alliciat
A Petra, Magnete cordium attrahit.
Audet jam ſe ſupra Urbes efferre,
Ex quo in iis Deo locum non eſſe
Compertum eſt.
Sperat novum Deo populum alere,
Cui jam novum de cœlo Manna cuſtodit.
Regnaturum in arbore

Iſaiæ.c.19. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem,& ingredietur Ægyptū. Accipit enim fœcunditatem omnem à Nilo.
Alludit ad hiſtoriā Idoli Philiſtinorum, quod corruit coram arca fœderis. Reg.1. cap.5.
Iſis,& Oſiris Ægyptiorum Numina. Iuxta prophetiam Iſaiæ c.19. commota ſunt, & corruerunt ſimulacra Ægypti. In cineres enim redacti Dii quamdā pœnitentiam exprimebant.
Omnia traham ad me ipsū ait Chriſtus. Nec enim fuit Chriſto locus in Bethleem: Vide Baronium anno primo Chriſti, quæ dicat de ſignis quæ acciderunt in ejus in Ægyptum fuga.

 Arbor

Manna Chriſtus; & ipſe enim erat panis vivus, qui de cœlo deſcenderat factus omnibus omnia.

Arbores dicuntur tranſeunti curvaſſe ſe Chriſto. Vide Baron.
Dij enim ſoluti in cineres quoddam holocauſtum videri poterant.
Vrbanam Animæ veſtem Tertullianus vocavit pulchritudinem corporis, ad cujus imitationem ita de amœnitate Ægypti loquimur.
In terra nova germina, in aquis novas ſcatebras.
Variis enim affecta ſuppliciis, cum retinere invito Deo ejus populum vellet.
Ægyptus ſemper inimica Iudæis, ut patet ex ſacra hiſtoria.
Non enim niſi poſt obitum Herodis reſtitutus eſt patriæ Chriſtus.
Quia non poteſt partem habere cum impio, & Hypocrita.

Arbor unaquæque
Præoccupare curat obſequiis.
Ut exaltari cum illo poſſint,
Seſe ſingulæ abjiciunt coram illo.
Demereri tantum hoſpitem
Tellus aſſentatrix intendit,
Cui ipſosmet immolat Deos ſuos.
Horrore poſito in Urbana veſte ſe ſiſtens,
Exerit artem omnem, qua placeat.
Nuſquam non florida,
Ipſammet Nazareth exhibet in Ægypto.
Datis in elemento quolibet ludis
Non abſtineret à vi,
Niſi magno ſuo malo didiciſſet alias
Inferri illam Deo non poſſe.
Cave, Judæa,
Infenſæ tibi regionis inſidias.
Non qua facilitate pellitur,
Eadem & reducitur Chriſtus.
Illum, niſi Herodem amiſeris, non acquires.
Reges duos tellus una non capit.
Regnare Herodes cum Chriſto non vult,
Chriſtus cum Herode non poteſt.

ELOGIUM XIV.

HERODE MORTUO REVOCATUR IN JUDÆAM.

Matth. cap. 2.

Regnum mortis ſuper omnes homines non patitur Herodem ſolum in Iudæa regnare.
Poſt diuturna enim tormina tandem ſublatus è medio, ut narrat Ioſephus in ſua Hiſtoria.
Prævidit hoc ille, Unde per aliena funera luctum ſuo paravit. Vide Ioſephū.

Fugaſti novum Regem, Herodes;
Adhuc tamen ſolus in Judæa non regnas.
Regnat Mors tecum;
Imo vero etiam ſupra te.
A te illa didicit,
Regni non tolerare conſortem.
Gaudere potuit nemo te vivo,
Mœrere nemo te mortuo.
Quod ſerò pereas id unum eſt,
Quod queri de te præfica debeat.

Perduel-

Perduellis tumulum caveto, Viator;
Sitit adhuc ſanguinem BibaxCinis.
Geminavit Judæis lætitiam unum Paſcha;
Una cum Agnis
Immolatus etiam Lupus eſt.
Ut quid egerit ſcias,
Quid quisque ſit paſſus, interroga.
Nunquam Herodes innocens,
Niſi eum talem
Ab Innocentia deleta de nominées,
Domui ſuæ non mitior, quam alienæ,
Suo facto ſe capitalem confeſſus,
Similitudinem ſui punivit in filiis.
Hæc tota illius juſtitia eſt, quod ſe oderit;
Hæc tota bellica gloria,
Quod arcem pietatis inter ubera expugnarit.
Pueri animam quærens
Qui ſuam perdidiſſet,
Quam tandem exhalaverit neſcias,
Cum neutram habuerit.
Nunquam minus felix,
Quam cum aſſequutus votorum apicem,
Ita ſolus regnavit,
Ut regnaverit etiam ſine Deo.
Quem tamen collegam noluiſſet
Judicem paſſus,
Mundum magno monſtro,
Aulam magno propudio liberavit.
Arcano ab igne doloſos ſolutus in cineres,
Suppoſitas Erebi prunas fovet.
Theſauros Iræ qui quæris
Hoc ſepulchrum effodito.
Nusquam luculentius habet illa depoſitum.
Innocentiæ hoſte deleto
Refloreſcit in Nazareth innocentia.
Ingenti lucro amittit Judæa Regem,
Pro quo recuperat Deum.

Quod ſequitur, eſt veluti Epitaphium, & ſepulcralis inſcriptio peſſimi Principis.

Mortuus Herodes prope Paſcha, ex Ioſepho, & ex eo Baron. In Paſchate immolati Agni à Iudæis.

Quo ſenſu dici Herodes innocens poßit.

Ut dicti apud Romanos Numantini, à deleta Numantia, & Africani ab Africa ſubacta.

Non nullos enim è filiis ſuis barbare perdidit, adeo ut diceret Cæſar, in domo Herodis ſatius eſſe porcum eſſe, quam filium. Vide Egeſippum, & alios.

Chryſol ſerm. 152.

Erat is qui quærebat animam pueri, &c.

Moritur exoſus non minus ſibi, quã aliis.

Hoc eſt cum fugato Chriſto viſus eſt jam ſolus regnare.

Deus enim non regnavit, ubi regnavit ambitio, Avaritia, &c.

Peßimo principe nullum majus in mundo monſtrum.

Ebullierunt enim illi viſcera, & prope vivus exarſit, ut habetur ex hiſtoricis.

In ſepulcris condi ſolebant Theſauri.

Defuncto enim Herode rediens Chriſtus habitavit in Nazareth.

 ELO-

ELOGIUM XV.

INTER DOCTORES INVENITUR IN TEMPLO.

Luc. cap. 2.

Licet educatio negligi in Chriſto potuerit,
In quo humanam omnem culturam
Divinitas naturæ prævenerat;
Deeſſe tamen partibus ſuis,
Nec Maria poteſt, nec Joſeph vult.
In moratiſſima Domo,
Æterna conſuetudo eſt Dei cultus.
Indicti à pietate labores
Ibi ne primæ quidem condonantur infantiæ:
Parentes optimi
Quamdiu filiis mores non dederint ſuos
Nihil dediſſe ſe reputant;
Nemo enim ſumme diligitur,
Niſi cui amicus optatur Deus.
Licet Domi templum Maria habeat,
(Nullibi magis præſente numine,
Coram quo ipſa & Maritus, nobiles myſtæ,
Perenne ex ſe ipſis immolant holocauſtum;)
Imminente tamen popularibus feſto die,
Venire properat publicæ pietatis in partem.
Et ſane quod Paſcha celebrari dignè potuit
Sine Agno?
Aut quæ Pentecoſte ſine oblatione primitiarum
Telluris Virgineæ, ſed fœcundæ?
Hæc habuit Trieterica
In quibus exhilararet ſe totam Pietas Chriſti.
Toto emiſſet anno tres dies,
Quos, non deſtitutus Matris ſolatio,
In Domo Patris tranſigeret.
Omnis debita ad Dei cultum attentio,
Ne tantis quidem indulget Parentibus veniam,
De tanti Pueri cuſtodia cogitandi.
Ab affectu decepti ſuo,
Quia illis adhuc aderat præſens in corde,
Non niſi ſero cognoſcitur ab oculis aufugiſſe.
Nunquam,
Amiſſus ſine ulla prorſus culpa,

Educatio enim inſtituta propter errantis directionem naturæ.

Partes optimorum parentum recta filiorum educatio.

Qualis fuit Mariæ domus: in qua factum eſt ut irent ſecundum conſuetudinem in Hieruſalem ter in anno.

Contra quod peccant parentum plerique.

Utinam hoc intelligerent omnes qui amant.

Dicebat Macrobius ideo Mundum dici Dei templum, ut quiquis illud ingreditur, ſciat ritu ſibi vivendum Sacerdotis. Multo magis Mariæ domus templū Dei dici debuit.

Ter in anno volunt auctores aſcendiſſe Mariam & Ioſeph in templum, in Paſchate, in Pentecoſte, & in Scenopegia.

In Pentecoſte etiam oblatæ primitiæ frugum.

Trieterica vocat, licet hæc non fierent ter in anno, ſed tertio quoque anno.

Intenti enim orationi, & cultui Dei non animadverterunt in templo abſentiam Chriſti.

Ita enim ſæpe decipiuntur amantes. & cum ingenti dolore quæſitus per triduum.

Nunquam, aut minori piaculo amiſſus,
Aut majori ſolertia quæſitus eſt Deus.
Amicus ſolitudinis nō creditur miſcuiſſe ſe turbæ,
Unde nec de illo turba rogatur.
Suſpicatum quempiam miror,
Potuiſſe Jeſum pro alio, quam pro Patre,
Tam bonam Matrem deſerere.
Inter Cognatos inveniendus non fuerat,
Qui ab iis quandoq; fugam ſuaſurus,
Salutarem doctrinam ſi tradidiſſet præcepto,
Deſtruxiſſet exemplo.
Atqui ultra triduum non meruere torqueri,
Qui talem nullo demerito jacturam incurrerant;
Errorem quærentium prodit inventio:
Docet hæc publicam Mundi Victimam,
Male alibi, quam in loco ſacrificii veſtigatam;
Nec bene creditum, omnis centrum ſapientiæ
Alias, quam Doctorū in medio, latebras habuiſſe.
Gemit ſub loquentis Pueri Majeſtate
Seniorum tumor oppreſſus;
Seu modeſtiam interrogantis,
Seu Authoritatem reſpondentis, attendant,
Tot ſuſpiciunt in illo monſtra, quot verba;
Ut mundum tamen utilius ad ſalutem erudias,
Deſcende, mi Jeſu, de Cathedra,
Et eſto ſubditus Matri.
Me ſapere non doceas,
Quamdiu non docueris obedire.

Nunquam minori piaculo, quia nullo.
Chriſtus non quæſitus in turba, ſed ſolum inter cognatos, & notos.
Dicturus enim erat, veni ſeparare hominem, &c. & inimici hominis domeſtici ejus, Matth. c. 10.
Locus ubi inventus Chriſtus eſt, docuit ubi & quærendus fuerit.
Chriſtus publica Mundi victima obtulit ſe ſacrificium pro peccatis.
Omnis enim ſapientia tendit ad Chriſtum tanquam centrum.
Invenerunt illum inter Doctores interrogantem.
Proprium Chriſti docere id, quod in Mundo didicerat, hoc eſt obedientiam, teſte Paulo.

ELOGIUM XVI.
USQUE AD ANNUM TRIGESIMUM LIGNARIAM EXERCET.
Luc. 2.

Itane igitur,
Lux mundi, in mundum veneris, ut lateres?
Nobis natus, tibi cur vivas?
Theſaurus ignoratus neminem ditat,
Et Lucerna ſub modio
Demeretur lumen quod habet, quia nulli dat.

Lux venit in Mundū. Mundus autem eam non cognovit.
Parvulus enim natus eſt nobis. Ex Iſaia, & Angelus ad Paſtores, Natus eſt vobis, &c.

Celata virtus ſterile bonum eſt,
Prodita & admiratores parit, & amatores.
Atqui omnes Domi habens in Marte delicias,
Eas alibi renuis veſtigare.
Supplet tibi Athenæum Maria,
Cujus aſſidua contemplatio,
Encyclopedia eſt.
Non alia fuit in terris eruditio
Cognitore te digna;
Ideo præ hac, aliam omnẽ literaturã contemnis.
Male loqui vel ſi velis, non potes;
Qui ipſius probitatis es Verbum;
Adhuc tamen novus è cœlo Pythagoricus,
Sextum taces quinquennium.
Negotium Æternitatis
Præcipitandum in extremo non fuerat.
Rei magnitudinem apparatus minor non decuit;
Quæ ſemel ſancita retractanda non forent.
Attentionem hanc prævìam meruere.
Æternæ vitæ Verba.
Quidni poſtea ſis depræhenſus habere?
Facile peritura nunquam ita diu concepiſſes,
Cum Ephimerum nihil ſit,
Niſi quod patit impetus.
Mundi Magiſter,
Doctrinarum tuarum difficilimam
Proponens primam,
Uni Dogmati annos triginta,
Aliis ita multis, tres dumtaxat aſſignas;
Quia qui in ſchola tua didicerit ſcire neſciri,
Facile demum cætera doceatur.
Alia omnia philoſophari per ſe homines poterãt;
Demiſſionem honeſtaret,
Præter Altiſſimum, nemo.
Idolatriam ſui diſſuadere mortalibus
Minor non ſuffeciſſet auctoritas.
Vitæ difficultatibus otium perſequutus,
Cum de Parentum poſſes ſubdoribus vivere,
Nutriri maluiſti de tuis.
Levigaturus ſingulis Cruces,

Ligna-

Nemo accendit lucernam, & ponit ſub modio.

Paradiſus enim Chriſti, & locus deliciarum Mariæ locus item omnis eruditionis.

Encyclopedia circulus artium liberalium quibus eruditur adoleſcentia.

Eruditio enim hominum, vel vana, ut Poetarum, vel mendax, ut hiſtoricorum, vel plena ignorantiæ, ut Philoſophorum.

Pythagoreorum Tirocinium quinquennale ſilentium.

Ita vocat incarnationem Chryſologus.

Cœlum, & terra tranſibunt. verba autem mea non præteribunt.

Ait Petrus ad Chriſtum, verba vitæ æternæ habes.

Ephymerum id, cujus duratio eſt unius ſolum diei.

Antonomaſtice Chriſtus vocatus Magiſter, ut paſſim in Evangelio.

Doctrinam ſcilicet de abnegatione ſui, & animi demiſſione.

Nihil enim difficilius homines exuunt, quam ſe ipſos.

Adorant enim ſe ipſos magis, quam idolum quodcunque mortales.

Artes Chriſti, ut jugum Crucis fieret hominibus leve.

Lignarius faber ex Figulo,
Ad Dolabras accurris.
Tractat idem manus,quod animus.
Labores tui omnes,vel à ligno ſunt,vel in Ligno.
Quando talem conducere Operam licet,
Ne negligite opportunitatem,
Extruendæ vobis domus æternæ,Mortales.
Ubi Majus illi otium eſt,
Minori pretio excitetur ad opus.
Exercete ſine metu, fatigari neſcias vires;
Hæc ipſa Deo irreverentia, ſacrificium eſt.
Id unum memineritis,
Fabri hujus diurnam mercedem
Non aliam,quam vos eſſe.

Figulus enim olim viſus eſt fuiſſe Deus, cum in creatione hominis lutum tractaret in campo Damaſceno.
Peccatum enim, quod ſummus eſt Christi labor, ab arbore, de cujus fructibus Adam comedit.
In cœlo enim perenne Chriſto Sabbatum eſt.
Amat enim Deus nos operâ ſuam exigere, & adhibere in commoda noſtra.
In præmium enim collocata nobis opera ait, Fili præbe mihi cor tuum.

ELOGIUM XVII.
JOANNIS BAPTISMATE ABLUITUR.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Qua per Joannis hortamenta,
Qua per exempla tua,
Homines in aquas allicicns,
Ingenii tui peritiam profitentibus,
Non levem ſalutaris cujuſpiam fraudulentiæ
Suſpicionem feciſti.
Qui jam apud te deſignaveris hominū piſcatores,
Provide præparas illorū ſagenæ nobilem prædā.
Ignorant te adhuc Navicularii Tyberiadis,
Et jam illorum in gratiam
Terrenum animal fieri jubes aquatile;
Ne deſit unquam lucri materies
Exeuntibus in capturam,
Illis frequentiam Urbium,
In elementum piſcium transfers.
Mergis & tu bona Mater, Achylles tuos,
Quos omni cuperes ſecuros à vulnere;
Iis ſolidandis quælibet tibi Lympha ſtyx eſt.
VindicaſtiPœnitentiam ab omniprorſus infamia,
Dum Reorum virtutem,
Juſtitiæ ſupponere.

Prædicabat Ioannes baptiſmum pœnitentiæ, ad quod ſuo exemplo populos invitavit etiã Chriſtus. Venite poſt me; faciam vos piſcatores hominum.
Hoc eſt, Apoſtoli qui in Mari Tiberiadis vacabant retibus.
Turba enim multa confluebant in Iordanem ab baptiſmum Ioannis.
Alludit ad fabulam Thetidis, quæ mergendo ſæpius Achillē in Styge invulnerabilem illum fecit.
Pœnitentia enim videtur ſemper quodammodo peccatum

Juſtitiæ complementum feciſti.
Nocentum remedia admittis innocens,
Et cū ſordes non habeas, quas relinquas in aquis,
Habes quas ab aquis aſportes.
Inter hædos poſitus, adhuc Agnus deſcriberis,
Et dum tua deponere te fingis peccata,
Tollere proderis aliena.
Acceptum à Joanne Verbis honorem,
Illi cum fœnore factis rependens,
Abjectum infra calceamentorum corrigia,
Supra tuum uſque elevas caput.
In demiſſionis ſtudio parem non ferens,
Honorificam obedientiam detrectantem
Jubes ſe tibi ſervum magis probare,
Quàm Æmulum:
Sterili tingeris ſacramento,
Qui omni jam plenus gratia
Egere fœcundo non poteras.
Quandoquidem baptiſmus homini
Nova regeneratio eſt,
Ne quid tale ſuſpicaremur in tuo,
Monemur illico voce de cœlo
Non mutaſſe te Patrem.
Initiari vis iis ritibus,
Quibus tuæ nos authorare militiæ deſtinaſſes;
Accenſo circa te novo lumine
Fidejuſſor te Spiritus levat è fonte;
Qui dici in poſterum debeas clarè pronunciat,
Et Cathecumeno ſuo concolor.
In Albis & ipſe, ut pote Columbam indutus,
Totam divinitatem ſuam pro te vadem exhibet.
Ad ſpectaculum plane novum in terris,
Aperto cœlo omne ſe ſuperum vulgus effundit.
Cum vix credant, quæ vident,
Suas Jordani propius admovent faces,
Rati Majus non eſſe Charitatis divinæ miraculū,
Quàm quod fontium gerere perſonam potuerit.
Stupidus es, quisquis hoc ipſum non ſtupes:
Homo injurius famæ ſuæ,
Tibi (jure) monſtri ſit loco;
Quanto

Complementum, quia dixit Chriſtus, ſine modo, oportet nos implere omnem juſtitiam.

Videns illum venientem ait Ioannes, Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata Mundi.

Nobilitavit enim Sacramentum, quo tingi voluit.

Ad illud, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti.

Ego magis à te debeo baptizari.

Sacramentum Ioannis ſterile, & gratia non fœcundum, ut definitur in Tridentino, quod Chriſti ſolum Sacramentis fœcunditatem hanc tribuit.

In baptiſmo regeneramur, & ſimus nova creatura, Vnde & aſſumimus novum patrem.

Audita illico vox de cœlo: hic eſt filius meus dilectus.

Alludit ad ritus, quibus baptizari Chriſtiani ſolemus.

Cathecumeni olim & nunc etiam in baptiſmo albis induti veſtibus.

Apertum cœlum hic dicitur, & non fractum, ut notant Patres.

Hac eſt charitas, quam nimiam vocat Paulus, videtur enim non ipſum ſolum peccatum, ſed & peccati ſimilitudo Deum dedecere.

Quanto æquius Deus
Quem voluiſſe ſordidum fingere, deſtruere eſt.

ELOGIUM XVIII.
IN DESERTUM SECEDENS TENTATUR.
Matth. 4. *Marc.* 1. *Luc.* 4.

Quia Energumenum mundum invenit,
In oratione,& jejunio Chriſtus
Curare illum aggreditur.
viaticum probitatis jejunium eſt,
Sine il'o ne quidem Dei filius
Ingreſſus eſt viam ſuam.
Ductus à Spiritu, qui in pernicem carnis exibat,
De bono Palæſtrita in Domo Matris
Optimus in Eremo factus eſt miles.
Amoturus ab urbibus urbium obſeſſorem,
Occaſione pugnæ
Illum quam potuit ab illis procul abſtraxit.
Amat emeritus Agoniſta
Victoriam, non theatrum;
Jejunium non reputat,
Quod admirantium approbatione ſe paſcit,
Illius unius ambit oculos,
Cujus à manibus coronam expectat.
Nunquam minus ſolus,quam cum ſolus,
Contubernio Divinitatis ſuæ felix,
In ſanctarum cogitationum ſumma frequentia,
Solitudinis tædia non agnoſcit.
Stat illi pro cibo,ſolius abſtinentiæ ſapor;
Ipſamet illum querela ventris impinguat;
Poſt ſe pugnaturis per exempla parat auxilia;
Cogitat unde veris clypeis vana tela retundat,
Et artes,quas difficilius ſit invenire,
Quam vincere,
Vel impediat, vel eludat
Ingerit adverſario
Divinitatis ſuſpicionem jejunium;
Majorem homine reputat.

Omnis enim imperfectio deſtruet conceptum Dei.

Energumenus Mundus, quia malignis obſeſſus ſpiritibus.
Ex Chryſologo.ſerm. de jejunio; & S. Leo ait jejunium fuiſſe ſemper cibum virtutis.
De Græcis dictum, quod eſſent boni palæſtritæ, ſed mali milites.
Dæmon enim in Vrbibus dominatur propter fraudes, & cætera Vrbium vitia.
Ipſemet enim ſibi ſufficiens Theatrum eſt.
Hipocritarum jejunium, non jejuniũ.
Et pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.
Adverſus tædia ſolitudinis, quæ habuerit remedia Chriſtus.
Saginatus enim dicitur voluptate patientiæ à Tertulliano lib. de pat.
Ex Hieron. in hunc locum.
De Liguribus ait Florus. Quos difficilius fuit invenire, quam vincere.
Ex Chryſologo ſerm. 12. de jejunio, &c.

Quem à ventris ſervitute liberum videt.
Famis opportunitatem improtunus expectat,
Et invidiam miſeratione colorans,
Duris gaudentem, oblatis irridet lapidibus.
ReligioChriſto eſt, minuere Dæmoni cibũ ſuum,
Quem damnatumab initio meminit,
Ut terram comederet,
Rejicit il'ũ legis teſtimoniis, nõ poteſtate virtutis,
Ut ſic plus honoraret hominem,
Adverſarium plus puniret,
Qui non quaſi à Deo,
Sed quaſi ab homine vinceretur.
Inſtaurat novo aſtu prælia verſipellis;
Ad alta deducit quærens præcipitio locum;
Quem præſtigiatorem non potuit,
Studet funambulum facere,
Dum in Pinnaculo Templi
Ad indecoros eum ſaltus ſollicitat,
Non vindictam.
Rogatus ut caderet, cui diſplicuiſſet aſcenſus,
Irridens liberalitatem, quæ donaret non ſua,
Agit ſermone pugnã, peragit Majeſtate Victoriã.
Spiritus nequã, quaſi abhomine victus obmutuit,
Quaſi à Deo juſſus abceſſit.
Cœlo, milita, Lector,
Ut & tu, cum Chriſto habeas annonam è cœlo.

Ex eodem. ſerm. 11. Habebat enim ſpeciem miſerantis illa propoſitio lapidum. Dictam olim Serpenti à Deo, Terram comedes. Sana autem utiq; terra ſunt. Catena in hunc locum, ex Hieron. Reſpondit enim, ac ſi eſſet homo non Deus.

Ex gloſſa ordinaria.

Funambuli enim in edito loco, & coram populo ſe exercent. Mitte te deorſum. Gregor. hom. in Evangelium hoc. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Maxim. Taurin. ſerm. 1. in Dom. Quadrag. Idem ſerm. 2. ubi ſupra. Et Angeli miniſtrabant ei.

ELOGIUM XIX.

SECUS MARE SCHOLAM APERIT, ET APOSTOLOS VOCAT.

Matth. 4. Luc. 6.

Continete vos Stoa, pheripatho Lycæo,
Qui pro legitimis Philoſophiæ partibus
Spurios adoptatis errores.
Publico gaudet Veritatis Magiſter,
Et ſcholam generis capacem humani,
Ne quis ſe cauſetur excluſum,
In littore aperit.

Erant hi loci Athenis, à ſua quiq; philoſophorum ſecta frequentati. Schola Chriſti nullis d finita limitibus, utpote in aperto littore.

Philoſo-

Philoſophandum, etiam ſine Pallio eſt;
Vel nudi præoccupare Cathedras Piſcatores.
Andreæ tamen, & Petro,
Quia utriusque prævisa Crux eſt,
Apud Amaſium Crucis nemo primas ademerit.
Eſt hæc hæreditas Domini filii merces,
Et nullius magis quam Primogeniti.
Ne reficite lacera Patris retia, Zebedei;
Nova quærenda ſunt.
Ubi extra mare piſcandum
Invento ſecus littus Theſauro abundè ditati,
Quæ ultra per artes pauperum lucra poſcatis?
Surgas & tu de Throno avaritiæ,
Callidus Trapezita;
Eget & Deus rationum ſuarum cenſore,
His præſertim diebus,
Quibus tā multos hominū ſaluti ſumpt' impēdit.
Stertat in pluma deſes Nobilitas;
Summis donis delicatos Deus bajulos nō apponit
Ingenis intentus ornare non genera,
Mores muneratur in homine, non majores.
Acturus ipſi omnia,
A ſolo patientiæ uſu audatos aſſumit.
Antagoniſtas Dæmonum
Non niſi ſevera educit è Gymnade.
Humanis prius laboribus exercitos voluit,
Quos indefeſſos cuperet in divinis.
Mollium humeris æger imponendus
Mundus non fuerat;
Nec par erat à bono Patrefamilias,
Alios præfici gregi ſuo cuſtodes,
Quam qui aſſiduis pridem aſſueti vigiliis
Tyrocinium patientiæ poſuiſſent.
Diſertis oratoribus bona cauſa non eguit,
Nec emeritis bellatoribus, doctrina pacis.
Exclusit & divites philoſophia hæc profeſſores,
Ne haberet latrocinii ſpeciem ſalutis negotium,
Si qui Creſos ad Iri ſordes abjiceret,
Videri poſſet veniſſe
Spoliare potius homines, quam ditare.
Quam-

Pallium propria philoſophorum nota, ut Tertull. lib. de Pallio.

Vtriq; enim in Cruce mortui.

Amor Crucis Andreæ hæreditas, utpote primogeniti Chriſti, & ante alios vocati: Vnde non mirum, ſi moriturus in Cruce diceret, O bona Crux.

Sequere me, ait Chriſtus, & habebis theſaurum.

Ars piſcatoria, ars pauperum.

Vocatio Matthæi.

In triennio ſcilicet prædicationis ſuæ, & paſsionis.

Cur nobiles non vocaverit, ſed plebeios.

In rebus quæ vires noſtras excedunt, agit omnia Deus.

Cum tu enim colluctatio eſt, teſte Paulo. Non eſt nobis colluctatio, &c. Chryſol. ſerm. de S. Andrea.

Apoſtoli paſtores Gregis Chriſti, & ideo aſſueti vigiliis ab initio, utpote piſcatores quorum labor ferme nocturnus.

Cur divites non elegerit Chriſtus. Dicebat enim: Vendite, quæ poſſidetis.

Ex Chryſologo ubi ſupra.
Miſit eos binos, & binos ante faciem ſuam.
Chryſol. ſerm 170. Binos mittebat, ne deſtituta ſingularitas, aut negaret, ut Petrus, aut fugeret, ut Ioannes.
Ecce ego mitto vos ſicut Agnos in medio luporum, nolite portare ſacculum, neq; peram. Luc. 10.
Licet non interdixerit, non monuit tamen ut ferrent.

Quamquam bonorum erat illa translatio ,
Non jactura.
Triumphi ſui currum tracturos,
Ante faciem ſuam binos,& binos diſponit.
Iugum ſuum, ſuave illud quidem,
Sed adhuc jugum.
Tolerabile facere ſtuduit ſocietate trahentium.
Ad latrones ituros , eſſe ſine ſarcinis jubet;
Peram,& ſacculum providentiæ ſuę ratus injuriã,
Utriuſque uſum ſeverè prohibet.
Debet ipſe pro ſe laborantibus alimenta,
Quæ cum ubique preſens ubique poſſit apponere
Ad quid in iis ferendi conſuetudinem tolerare ?
Interdicit & baculum,
Qui vult regere ſolus quos dirigit,
Et ſpem ſtandi non alii patitur initi, quam ſibi.

ELOGIUM XX.

NUPTIARUM HILARITATEM MIRACULO GEMINAT.

Joann. cap. 2.

Ante Chriſtum unaquæq; res plures habuit Deos, ut fusè Auguſt. de Civ. Dei.

Chriſtus raro admodum cum felicibus, cum miſeris frequens.

Miraculum hoc dicitur à Ioanne primum ſignorum Chriſti.
Zodiacus Solis noſtri totus è ſignis, non Herculeis, ſed ſuis.
Præſentia Chriſti magnum convivij condimentum.
In nuptiis caniſolita Epithalamias, & adhibiti tibicines.

Qui aliã omnem mundo divinitatẽ ſuppleverat,
Supplere & nuptiis debuit Hymeneum.
Abundè docturus homines
Qualiter in adverſis ſe gerant,
Præbere ſe quoque debuit normam in Proſperis ;
Ne odioſum fieret mundo numen,
Si contubernium haberet perenne cum miſeris,
Cum felicibus nullum.
Sol noſter ſuo jam eminens in Zodiaco.
Vindemiarum hilaritatem primo fecit in ſigno.
Sedet Magiſter temperantiæ in convivio,
Et conſecrans honeſtam celebritatem,
Quam tolerat,
Dignitate præſentiæ ſuæ,
Epithalamium ſponſis ſupplet ampliſſimum.
A ſuavitate comedentis.
Geminantur obſoniis condimenta.
Etſi nulli ſint vocati Cantores,

Ubi

Ubi Jeſus,& Maria eſt,
Cœleſtem omnia ſapiunt harmoniam.
Sed ut apud homines
Inequitat omni gaudio ſuus dolor,
Et ibi potiſſimum proditur,
Ubi magis diſſimulatur paupertas,
Vel apud ſobrios,in cœna media,vinum deeſt.
Ad Aram indigentium Pincerna decoctor
Accurrit.
Ante Mariã pudẽdę calamitatis nemo fit cõſcius.
Quia quæ per illam non exponuntur Filio mala,
Remedium vel nullum habent,vel ſerum.
Subiraſcitur hominum amantiſſimus,
Quod rem ita noxiam multis exigatur producere;
Deſiderari tamen vinum pati non poteſt,
In quo ad inducendam ſanam mundo Ebrietatẽ,
Suum propinare ſanguinem deſtinaſſet.
Eruditur Mater,non læditur reſponſo duriore;
Memor quæ indiderit filio viſcera.
Ex illorum inſpectione,
Certa futuræ benignitatis captat auſpicia.
Præter obedientiam nihil Miniſtris injungit,
Quam ſolam ſubdere homini Deum poſſe,
Abundè didiciſſet experta.
Jubentur vaſa,& aqua parari,
Ne geminentur ſine neceſſitate miracula.
Et quia nunquam Avaritiam redolent,
Dei Dona,
Cum una ſufficere fortaſſe Hydria
Convivis potuerit,
Liberaliſſimo Domino,
Ad huc paucæ ſunt quotquot adſunt.
Facturus olim è vino ſanguinem,
Gaudet experiri potentiam in minore prodigio;
Et ut quæ ageret ſupra naturæ ordinem,
Eò ſcires omnia tendere;
Ut Sacramento ſuo fidem omnem aſtrueret,
Credibile illud facere,
Vel in primo conatus eſt ſigno.
Differ,Architricline,

In nuptiis enim etiam pauperes ſplendidi videri curant.
Maria Ara indigentium.
Deficiente vino dicit Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent.
Et dicit ei Ieſus.
Quid mihi,& tibi mulier? nondum venit hora mea,
Ex vino fit ſanguis Chriſti in Euchariſtia.
Hæc eſt viſcera miſerationis, & pietatis, ex quorum inſpectione, conſtabat tota Haruſpicina ſua.
Dicit miniſtris.
Quodcunq; dixerit vobis,facite.
Cum potuerit Chriſtus & vaſa, & aquam creare.
Vt potuit etiam cum pavit turbas.
Vtpote ſobriis.
Erant ibi Hydriæ ſex, & impleverunt eas uſq; ad ſummum.
Eo modo, quo dicit Plinius, rudimenta naturæ lilia facere prædiſcentis.
Myſterium enim creditu difficilimum Euchariſtia. Vnde ut conſtat ex Aug. Non proponebatur Neophitis, niſi poſt baptiſmum, & dicebatur ſecretum Chriſtianorum.

In convivium Auguſtius admirationem.
Ubi Vitem, cujus nos Palmites ſumus, agnoveris,
Mirari deſines

Ego ſum vitis, & vos palmites.

Tam ſapidum ab illa vinum veniſſe.

ELOGIUM XXI.

IN MONTE DISCIPULOS ERUDIT AD SUBLIMIA.

Matth. cap. 5.

Videns turbas aſcendit in montem, & cum ſediſſet. &c.

Vulgare dogma ne crederes,
Quod enodandum mundi Magiſter aſſumit,
Promiſcuæ multitudini fidere illud recuſat,
Ne tamen Doctrinæ reverentia

Se contemptos putaſſent, ſi ab eo eſſent rejecti, non ſic cum relicti.

In contemptum cederet turbæ,
Neminem à ſe auſus repellere
Omnes ſtuduit declinare.
Auditores ſuos

Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus.

Non numerat bonus orator, ſed ponderat.
Sat illi magna concio Piſcatores duodecim,
In quibus tamen omnes mundi Tribus erudiat.

Eructabat enim abſcondita à conſtitutione Mundi.
Hic enim dicitur fuiſſe Mons, in quo aſcendit.
Conſtantia ſymbolum ſeſſio.

Sublimia loquuturus
Parem argumento Cathedram exigens
In ipſam Thabor ſummitatem aſcendit.
Monet advenas locus
Ne quid humile ſapiant,
Situs vero ne quid inſtabile.
Soli ſine fragore profluũt Divinę torrẽtes ſapiẽtię;

Ortgo hæc Chriſti guttur.
Hi enim ambulando philoſophantur.
Sermo Chriſti totus de beatitudine, de qua inter homines magna litigia.

Vel cum ab originis ſuæ ſublimitate labuntur,
Imitantur ſoni moderatione ſilentium.
Peripateticus Chriſtus non eſt,
Nec philoſophia ejus ambulatoria;
diſciplina quietis traditur a ſedente ſedentibus;
Nec enim ea eſt de Beatitudine quæſtio,
Quæ hominibus in eam unam intentis
Curſim, & non per otium debeat enarrari,

Alludit ad ſeſſiones Conciliorum quales ſunt Tritendini, &c.

Utiliori argumento dedicari non potuit,
Hæc Ortodoxi Senatus ſeſſio prima;
Par fuit ante omnia

Anathe-

Anathema dici univerſæ mundi ſapientiæ,
Et vulgatiſſimam de felicitate Hæreſim,
Oppoſio veritatis decreto damnari.
Præcipitat crudelem indolentiam Stoicus,
Indulgeat Bacchanalem licentiam Epicurus;
Beatitas eſt illa ſaxorum, beſtiarum iſta,
Et neutra Dei cadit in Theſes,
Quæ totæ ſolis pene pro miſeris ſtant.

Vulgus enim felicitatem vel in divitiis, vel in delitiis, vel in amicis conſtituit.

Debent ærumnæ hoc privilegium Chriſto,
Quod felicitatis humanæ definitio ſunt.
De illius bonitate manavit,
Quod jam non numerentur in malis.

Theſes Chriſti ſingula beatitudines. Beati enim pauperi ſunt qui lugent, qui perſecutionem patiuntur, &c.

Declamantium in illas os clauſit,
Qui pro illis ſuum aperuit.

Et aperiens os ſuum docebat eos, dicens.

Et ſanè par fuit æternæ ſapientiæ
Hanc deſcēdendi ad homines occaſionē relinqui,
Ut nemo præter ipſum detegeret
Felicitatis arcanum,

Idem ferme ſenſus Lactantij, ubi agit de vera ſapientia.

Quod ne divinaret quandoque Græcia,
Ibi ſepultum,
Ubi illud quæſiſſe crederetur Amentia.
Bonus præceptor
Deſcripſit ſua in Doctrina ſe totum:

Collocavit enim felicitatem in paupertate, in lacrymis, & his ſimilibus.
Tota vita Chriſti ejus doctrinæ concordat.

Seu egeat ſeu lugeat, ſeu occumbat,
In tuto poſuit beatitudinem ſuam,
Cui nihil horum officere definivit:
Callidiſſima ſimplicitatis imitatione,
Profunda ſua tegens conſilia,
Ea ponit Philoſophiæ novæ Theoremata,
Quibus, vel argumento ad hominem,
Probetur Deus.

Ita de exordio orationis pro Milone loquitur Quintilianus.
Ex conceſſis enim poteſt convinci omnium feliciſſimus, quia omnium pauperrimus, miliſſimus, &c.

ELOGIUM XXII.
QUINQUE PANIBUS TOTIDEM HOMINUM MILLIA PASCIT.
Matth. 14. Marc. 6. Lucæ. 9. Ioann 6.

Vide, ne juſta ſint in te urbium odia,
Quando eas, ſi miraculis imples, Civibus vacuas.
Ubi tu fueris, ibi illico Juſtitium eſt;
Vacat

Odioſus Urbibus Chriſtus; in iis enim locum non invenit, & ab iis expulſus, &c.

Omnes enim ſequebantur illum videntes ſigna, quæ faciebat.

Vacat à lucro Inſtitor, Faber à Malleo,
Et ne ipſi quidem morborum compedes,
Ægros, quo minus ad te confluant, tenent.
In Mari Galilææ Siren innoxia,

Sirenum fabula notiſſima apud Poetas.

Ubi auditus ſemel es,
Reſiliendi libertatem imminuis.
Inſtillas ſui oblivia te ſequutis,
Nec majore fortaſſe prodigio,

Mirum enim eſt, tot hominum millia ſequi Chriſtum in Eremum potuiſſe, nec cogitaſſe de alimentis.

Chriſtus ſolitudinis maxime amicus.

Paſcuntur tam multi ſine horreo,
Quam ſine ſacculo, peraque trahantur.
Solus qui dare omnia potes homini,
Potes homini adimere curam ſui.
Non tamen difficile ceſſat ventris eſuries,
Ubi mentes pinguiore alimento paſcuntur.
Sectatoribus tuis
Odioſam fieri Eremum non vis,
Quibus perutilem eſſe poſſe ſat noſti.
Ornatur illico à te, quæ te ſuſcipit;
Mitigas illi, & ex frequentia coëuntium

Nullius enim de tanto populo querelas legimus.

Horrorem ſolitudinis,
Et ex ſaturitate diſcumbentium
Ignominiam ſterilitatis.
Ineſt tacitæ turbæ quædam ſublimitas patientiæ,

Cum ſublevaſſet ergo oculos, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, &c.

Quam inſpecturus oculos elevas.
Attendis in cœlo liberalitatis exempla,
Cum quæ imiteris non habeas in tellure.
Pro ſe non ſollicitis ſis ipſe ſollicitus;
Unus induis curas, quas omnes exuunt.

Hos eſt Angelos, quorum manibus olim manna paratum.

Et illo quaſi nutu luminum,
Accerſis Patris è domo Piſtores,
Qui navatam olim Moyſi in eremo operam,
Pari ſolertia navent & tibi.

Vnde ememus panes ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum.

Exigis à Diſcipulis fidem, magis quam Panes;
Nec hos tamen, nec illam ſatis inveniens,
Quo eos poſt beneficium
Et minus tumidos habeas, & magis gratos,

Eſt puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos.

Occaſionem præſentiſſimam exhibes
Suam prius & palpandi penuriam, & fatendi.
Juvat, non improbat Divina providentia
Studia, & conatus humanæ.
Talis, ac tantus Paterfamilias

Non

Non dedignaris quinque panibus oblatis à puerõ
Tuum inchoare convivium.
Quia nos usque in delicias amas,
Poſt panem ſuperaddis opſonium.
Peregrinum illud eſſe non vis, ſed parabile,
Quale collectam è triviis decuit turbam.
Eduliis tuis ſemper intendis
Famem non tam irritare, quam paſcere.
Vel in ipſa redundantia memor es parſimoniæ,
Qui perſuaſum Mundo volueras
Liguriendis Patrimoniis nata fercula,
Inventa gulæ eſſe, non dona tua.
Regem te ſaturi ambiunt: acquieſce.
Recuſare onus hoc juſtè non potes,
[b] Quia & Medicus es,
Et in domo tua panis redundat.

Vsq; in delicias amati mur: ajebat olim Seneca de Dei providentia loquens. Dedit non pretioſa opſonia, ſed panem, & piſces.

Iuſſit enim etiam colligi quæ ſuperfuerant.

Cum cognoviſſet quod venturi eſſent, ut facerent eum Regem: fugit, &c.

Alludit ad excuſationem illius apud Iſaiam. Non ſum Medicus, & panis non eſt in domo mea.

ELOGIUM XXIII.
TEMPESTATES SEDAT, ET AMBULAT SUPER MARE.

Luc. 8. Ioan. 21. & alij.

Tenete littus, Turbæ degeneres;
In ſocietatem periculi Chriſtus
Niſi proximos non aſſumit.
Superbiam tamen,
Quam ita honorifica facere poſſit electio
Superinducta illico formidine medicatur,
Qui è cœlo deſcenderat cum ſilentio,
Semper viſus deſcendere cum tumultu.
Aſcendit in Crucẽ; factus motus magnus in terra;
Aſcendit in Naviculã; factus motus idem in mari;
Adeo in Mundo
Nullus unquam fit aſcenſus cum quiete. [a]
Vero ſopito Æolo excitantur procaces auræ;
Bacchanali licentia pontum per inane trahentes,
Aperiunt ubique Erebum, claudunt Cœlum.
Diviniſſimorum ex quo revereri non habet
Oculorum cenſuram,
Omnis immemor Natura modeſtiæ

Chryſoſt. Vbi miraculorum oſtenſio erat, plebem permittit adeſſe. Vbi autem timorum acceptio, Athletas orbis terrarum, quos excitaturus erat, hos ſolos aſſumit.

Idem ibidem. Domine ſalva nos, perimus.

Cum aſcendiſſet in naviculam factus eſt motus magnus in mari.

Cum etiam aſcendit Hieroſolymam, commota eſt univerſa Civitas.

Cum aſcendit ab inferis, reſurgens terra tremuit.

Quia venti, & mare obediunt ei.

 In

[a] Mare ipſum componit oculus Chriſti, et modo quo Sol Mundi oculus dicitur à S. Ambroſio placare tempeſtates exortu ſuo.

Et acceſſerunt ad eum, & ſuſcitaverunt eum, Matth. 8.

In antiquum rapitur Chaos.
Timidas mentes plus terret præſens periculum,
Quam recreet præſens Deus.
Reverentiam omnem excutit metus.

Quid ſacramenti habuerit ſomnus Chriſti.

Naufragatur ligno nondum fracto fiducia,
Donec illam quaſi larvam dormientis exueret,
Qui illa ſecuritate ſoporis
Erudire ſuos intenderat, non turbare.

Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna, ut ipſo dormiente factus fuerat in Mari magnus motus.

Deus à Plin. lib. 2. definitur totus oculus, totus manus. Poetæ ſane id Argo concedebant centoculo.

Trepidis exprobrat,
Quam clauſis oculis viderat, exiguam fidem.
Excitatus ſomnum imperat Mari,
Ventis ſilentium;
Animorum motibus, fluctuumquē compoſitis
In utriſq; parem procellæ tranquillitatē inducit.
Modicæ plane fidei homines,
Qui Deum ſuum non plures quàm duos
Habere oculos crederent,
Quibus ſopitis
Agere ultra excubias Mundo non poſſet.

Illi enim aquarum montes à facie Domini exultarunt ſicut Arietes, & Agni ovium.

Tollens in cœlum undas: & portans per inania pontum, ut ait Statius.

Qui Deum habet, cœlo minus nil habet.

Terrebantur unde hilarari debuerant,
Cum eſſet illa ex Dei ſui præſentia
Undarum exultatio, non procella.
Nobilis ſarcina tumorem illum fecerat Mari:
Audebat etiam cum cœlo confligere;
Cum auctoris ſui bajulum
Nihil jam Cœlo minus haberet.
Cicuratum imperiis elementum effræne;
Suæ ſæpè parum memor naturæ
Nunquam immemor ſervitutis,
Se conculcantem patientia ſaxorum ſuſtinuit.

Alludit ad illud, quando ambulavit Chriſtus ſuper Mare. Venti, & Mare obediunt, & homines non obediunt Chriſto.

Ambulavit & Petrus, licet mox haſitans in fide indiguerit manu Chriſti ne mergeretur.

Erat enim Petra, quæ pondere ſuo fertur in ima.

Et adhuc non pudeat homines,
Quod majorem Deus in undis,
Quam in iis fidem invenerit?
Fluctuavit Petrus ubi fluctus nulli jam erant;
Quia recordatus ſe Petram eſt, emergi timuit;
Dignus infidelitatem pati, quam in undas intulerat,
Dum magis attendit quid eſſet,
Quam cum quo eſſet.

ELO-

ELOGIUM XXIV.

SEIPSUM TRANSFIGURAT IN MONTE.

Matth. cap. 17.

Videre Deum volentibus
Valedicendum multitudini eſt,
Et telluri etiam quantum licet.
Neſcit Chriſtus per plateas, & vicos
Propolam agere pulcritudinis ſuæ.
Daturus ex illa ſpectaculum
Habet delectum in teſtibus,
Nec alibi ſcenam aperit detracto Sipario,
Quam ubi Thabor Aſtris conterminus;
Exemptos ſolo, inſerit Cœlo.
Ne Jovis quidem noſtri
Plures tribus Gratiæ ſunt,
Quæ illum in receſſu quocunque ſequantur:
Licet fulminatorem non agat,
Sine Tonitrui filiis eſſe vix poteſt.
Arcanum reticendum quo ad reſurgeret,
Non ſperavit poſſe tegi, ſi pluribus proderet;
Nec credi, ſi paucioribus.
Induit in Epiphania ſua
Urbanam veſtem Divinitaš,
Et Urbibus à ſe negatum honorem
Amicæ ſolitudini ultro concedit.
Imbuta radiis diſcutit ſpectantium noctem,
Incluſa nivibus temperat propinquantium ignẽ.
Amori cognata cum ita rutilat,
Innocentiæ concolor dum ita candicat.
Novus Rubus invitat iterum Moyſem.
Adducitur legem ſuam ex moribus auctoris corrigere,
Et quia jam exemplaria viderat,
Spectare Prototypon.
Adeſt & Helias; nullius tamen Nuncius cladis.
Irarum oblitus miſerationes jam loquitur,
Et humanis placatus exceſſibus
Solum diſſerit de Divino.

Aſſumpſit ſecum Petrum, &c. & duxit illos in Montem excelſum ſeorſum.

Non enim elegit niſi chariſſimos.

Per montes terra cœlo finitima eſt.

Gratiæ credebantur Iovi aſſidere, ſicut & juſtitia.

Iacobus, & Ioannes dicti à Chriſto Boanerges, hoc eſt, tonitrui filij.

Nemini dixeritis viſionem, quoad filius hominis à mortuis reſurgat.

In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne Verbum.

Nunquam tale de ſe ſpectaculum Urbibus dedit.

Reſplenduit facies ejus ſicut Sol, & veſtimenta facta ſunt alba ſicut Nix;

Hic enim etiam ardet, & non abſumitur.

Omnia enim in figura contigerant ei.

Apparuerunt illis & Moyſes, & Helias cum eo loquentes de exceſſu, quem completurus erat in Hieruſalem.

De Moyſe ſcriptum quod fuit homo mitiſſimus; Heliam vero ſeverioris ingenij hominem ſcriptura deſcribit. Reſpondens Petrus dixit. Domine bonum eſt nos hic eſſe. Vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Heliæ unum.

Aſpectu enim illo docent Patres intendiſſe Chriſtum, ſuos ad tolerantiam incitare.

Ibi enim eos Chriſtus reliquerat, & de illis nulla Petro cogitatio.

Et ecce, vox de nube. Hic eſt filius meus dilectus, &c.

Ipſi enim etiam cœli peribunt; tu autem permanes.

Inter mitem, & ſeveram animam medius;
Male deliberare non poteſt.
Habet hinc unde accendatur ad pœnam,
Illinc unde incitetur ad veniam.
Petri oculos ſpectaculum hilarat,
Non item aures colloquium.
Odioſa de exceſſu mentio,
Ubi tam beata ſtatio eſt.
Decernens aliis tabernaculum, oblitus eſt ſui,
Niſi ſuum credidit, quod Chriſto ceſſiſſet.
Arguitur tamen neſciſſe quid diceret,
Qui inde diſponeretur ad requiem,
Unde Deus
Accendere illum intenderat ad laborem,
Injurius bono, quod ad tres ſolum arctaret,
Diuturniorem voluptatis uſuram non meruit,
Cujus in partem
Relictos in Montis radice ſocios non vocaret.
Attonitis nova oritur in nube ſerenitas,
Et bono contentis præcipitur in meliora progreſſus.
Datur axioma de Cœlo
Audiri Chriſtum utilius, quam ſpectari.
Aſportat omnes importunus fragor delicias,
Experiuntur vel in ipſis oblectamentis,
Quæ à Deo ſunt,
Evaneſcere quoque omnia, præter auctorem.

ELOGIUM XXV.

MAGDALENÆ AMORES HONESTAT, DUM FACIT SUOS.

Luc. cap. 7.

Cum diſcubuiſſet in domo Phariſæi, ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, &c. Stetit enim retro poſt Chriſtum,

Parce ſumptibus, Phariſæe.
In Convivio tuo Chriſtus
Paſcendus eſt dape non tua:
Providit ille ſibi poſt ſe ſymbolum ſuum,
Et in arcanæ famis ſolatium,
Nobilem de venatione ſua feram adduxit.

Aſſueta

Aſſueta inſidiari hominibus fœmina,
Inſidias nectit & Deo.
Ne ſedentis judiciã toleret,
Occupat recumbentem,
Et hujuſcemodi violentiæ avidum
Capillis irretiens,
Licet ſe apud illum non depoſuerit,
Quia tamen ſervator omnium eſt,
Repetit ab illo ſe perditam.
Conſcia graveolentiæ Spiritus ſui,
Nõ auſa ſine antidoto lectiſſimi odoris accedere,
Adhuc procul à Dei naribus retro ſe ſiſtit.
Phaleras, & fucos exoſa jam diſcipula veritatis,
Nullo ultra cultu corporis diſſimulans
Maculas mentis,
Liberam ſe à Nugarum ſervitio
Soluta vinculis profitetur in Coma.
Contemplata quid fecit,
Renuit moderari quid faciat.
Ultro confeſſa ſe ſauciam,
Quæ cum unguentis properaret ad Medicum
Pia quærit impudentia ſanitatem.
Ut accipiat gaudia
Felici commutatione dat lacrimas,
Et Agricultura Sanctorum,
Plantas, à quibus fructum ſalutis decerperet,
Eliquato per oculos irrigat corde.
Quæ diu male ambulaverat,
Veſtigia recta doceri Sanctis quærit à pedibus.
Silentio explicans plura, quam voce potuiſſet,
Fletus, & oſcula
Fidos affectus ſui habet interpretes.
Amores Magdalena non exuit, ſed mutavit.
Seu de Virginibus una non eſſet,
Sumpſit tamen oleum ſecum,
Et ne excludi poſſet à nuptiis,
Seſe ſponſi pedibus alligavit.
Miratur Pharisæus venientis audaciam,
Magis tamen indulgentiam admittentis.
Serio tamen per parabolam Monitus diſcit,

Venatus illam fuerat telis charitatis ſuæ; & venabulo Verbi ſui, quod eſt penetrabilius omni gladio.

Ingreſſus Domum Phariſæi diſcubuit, & ecce mulier, &c. Lucæ 7. v. 37.

Chryſol. ſerm. 93. Non ad ſtantem, non ad ſedentem auſa venire peccatrix: diſcumbenti retro ſe ſiſtit.

Chriſtus venit colligere perdita, ut ſervaret.

Attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus.

Comà vincta, indicium ſervitutis, ſoluta, libertatis. Gregor. in Evang.

Vulnerata enim erat amoris telo. Auguſt. lib. 50. homil. 23.

Et lacrimis cœpit rigare pedes ejus. & capillis ſuis tergebat, & oſculabatur.

Cur ita adhæſerit pedibus Chriſti. Auguſt. ubi ſupra.

Explicant hæc cordis affectus, ideo interpretes eorundem. Petr. Chryſol. ſerm. 93. Mulierem fudiſſe oleum alio Evangeliſta referente cognovimus.

Videns Phariſæus, ait, hic ſi eſſet propheta, ſciret utiq; quæ & qualis eſt mulier.

 Exem-

Duo debitores erant cuidam fœneratori, &c.
Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.

Exemplum quod improbaſſet,
Sibi ad imitationẽ propoſitum, non ad cenſuram.
In pace dimittitur,
Quæ ſe ipſa triumphata
Jam non haberet hoſtem quem vinceret.
Audiri à Chriſto qui vis,
Quo eum ſitu alloquaris, attende.
Habet & ille aures in pedibus.
Cœleſtis creditor totum debitum charitate compenſat,
Et ad incrementum totius fœnoris,
Amoris ſolius exigit, & requirit uſuram.

Ariſtippus excuſaturus olim ſe quod nimis ſe dimitteret Dionyſio, reſpondit culpam eſſe Dionyſii, qui haberet aures in pedibus. Ita ad verbum Chryſol. ſerm. 94.

ELOGIUM XXVI.
SAMARITANÆ SALUTIS FONTES APERIT.
Joan. cap. 4.

Venatio Chriſti in meridie uſq; adeo laborioſa, qualis.

Venationem Hominum
Ut omnium laborioſiſſimam ſcires,
In ea ipſemet fatigatus eſt Deus.

Id eſt à Iudæis, ad Samaritanos.

A popularibus in Alienigenas migrans,
Quia Charitati ſuæ violentum erat hoc iter,
Ingentes in eo vires attrivit..

Fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem: erat autem hora quaſi ſexta.

Ferenti ſemper ſecum ardores ſuos,
Hora omnis quaſi ſexta eſt, & meridies.
Alieno pudori magis conſultum volens,
Quam famæ ſuæ,
Arcana Mulieri ſcelera detecturus,
Captata emendi cibi occaſione,
Teſtes omnes amovit.

Dicturus enim illi erat: quinq; viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.
Mulier, da mihi bibere, & non dixit de aqua putei.

Sitis ſolarium non ab Hydria,
Sed ab anima haurientis expectans,
Rogat hauſtum aquæ,
Pro quo det fluvium Gratiæ.
Non impetrat tamen à fœmina,
Quæ in ſupplice ſuo

Quomodo; tu Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana.

Originem magis, quam neceſſitatem attendit.
Miratur quod à Samaritæ petat Judæus,
Quanto mirari juſtius licuit, quod & Deus?

Excuſat

Excuſat ignorantiam,
Qui potuiſſet Inurbanitatem arguere.
Detegit quam non ſit indigus,
Quam nec avarus aquarum;
Sepultis in puteo,
Suas per ſe ſalientes opponit,
Et ex habendi facilitate, earum excitans ſitim,
An illa rogatura ſit, vertit in dubium,
Non item an ipſe daturus.
Cum muliere notæ intemperantiæ,
Ut pote, quæ quinque jam viros habuiſſet,
Diuturna Chriſtus colloquia,
Quantumlibet de ſalute non miſcet.
Volentem nectere verba verbis,
Ut ſine nota poſſit audiri,
Jubet virum vocare.
Confeſſa ſe viduam,
Celare ſtuduit male nuptam.
At ſua met reſponſione convicta,
Arguit ex Hiſtoriæ narratione Prophetam.
Mavult alii eam laudem accedere.
Quod divinare arcana potuerit,
Quam eam ignominiam ſibi,
Quod neſcierit ſua probra celare.
Refugit illico à ſui cognitione noxius animus,
Transferendo quæſtionem opitulatur pudori;
Illi tamen adhuc inhærent aculei ſalutares,
Quos Hydria relicta fert ſecum.
Telo ſuo ſauciam ſagax venator non deſerit;
Credi poſſit abeuntem ſequutus,
Adeo jam non eſt, ubi eſt.
Attentio illi omnis ad concionem mulieris.
Quæ pro uno viro,
Totam jam ad illum Samariam convocat,
Communes faſtidit cibos, qui proprios jã haberet
Coquis ſuis gulæ ſuæ genium proditurus,
Compertum vult apud eos,
Nunquam epulari ſe lautius;
Quam cum peccata comederit.

O mulier ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui tibi dicit, &c.

Et dediſſet tibi aquam vivam. Et fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Forſitan petiiſſes ab eo, non item forſitan dediſſet, ſed abſolute & dediſſet tibi aquam vivam.

Ab aqua digrediebatur mulier ad alias celebres quæſtiones, quæ protrahere colloquium potuiſſent.

Voca virum tuum.

Virum non habeo.

Bene dixiſti; quia nõ habeo virum, &c.

Domine, ut video, propheta es tu.

Patres noſtri in Monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, &c.

Reliquit Hydriam ſuam mulier, & abiit in Civitatem.

Interea rogabant eum diſcipuli, Rabbi manduca, &c.

Exierunt de Civitate, & veniebant ad eum.

Coqui Chriſti Apoſtoli ejus, qui etiam Sal dicti, tanquam Dei palato mundum condire ſoli poſſent.

ELOGIUM XXVII.
PATROCINATUR ADULTERÆ.
Joann. cap. 8.

Perrexit in Montem Oliveti, & diluculo iterum venit in templum.
Chriſti labores æterni: quies admodum rara.

Quem bene divinitatis imbutus es viribus
Qui pernox, & perdius
Nullas laboris inducias pati potes?
Oliveti vigilias templi lites excipiunt,
Et quocunque perrexeris,
Te curæ vel præveniunt, vel ſequuntur
Miraculo tamen impotentis nequitiæ,

Ipſi enim Phariſæi, qui eum cavillare volebant, venerunt paulo poſt ipſum in templum.

Tibi par propemodum inventus excubitor.
Quantumlibet diluculo in templum veneris,
Ex eo vix es ante calumniatorem ingreſſus
Cavillandi pruritus ſomno'entiæ remedium eſt.
Excitatore Gallo non indiget,
Quem in craſtinum opificia livoris expectant.

Iejuniis, & cæteris corporu afflictationibus ſe deditiſſimos profitebantur Phariſæi.
Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent accuſare eum.
Contumelia Chriſti, erat gravius Adulterio malum.
Qui ſine peccato eſt, veſtrum primus in illam lapidē mittat.

Jejunantis Phariſæi matutina jentacula,
Ex famæ tuæ morſibus ſunt.
Unde te Reum faciat, judicem elegit.
Conſulit de Adulteræ pœna,
Ut te aut pietati injurium probet, aut legi.
Miraris violatæ fidei zelum in perfidis;
Indignaris corrigi vitia
Majore piaculo, quam patrentur.
Et in foro Veritatis
Tantam in eſſe dolis audaciam,
Ut agere etiam accuſatores non dubitent.
Quam ſceleratos eos eſſe par fuit,
Quibus oppoſita videri prope innocens potuit

In quo ut plurimum peccant, qui præſunt.
Scribarum ars ſcriptio, qua uſus in illos eſt.
Docent Patres Chriſtum ſcripſiſſe ſingulorum peccata.
Alludit ad illud: In digito Dei ejicio Dæmonia.

Tam mala Mulier?
Non is es tu, qui Majorē diſſimules improbitatē,
Ut omne mox in minorem evomas virus,
Terres artibus ſuis ſcribas,
Et ſubducens è rationario tuo cujusque debita,
Retrahis univerſos ab alienæ pœnæ ſtudio,
Metu ſuæ.
In Dei digitio hæc quoque dæmonia ejicis.
Spectatus is efficit,

Ut ad

Ut ad Nequitiæ diruenda ſacraria,
Tota tibi manu opus non ſit.
Jactantibus aſſidue pœnam Balthaſſaris,
Omen triſtiſſimum Deus ſcribens.
Indigitantem peculiaria
Singulis in Erebo parata ſupplicia,
Sibi peſſime conſcii diu non fuerunt.
Niſi ſuſpicari quis malit,
Objicere illum in terra cuique pulverem ſuum;
Unde ante alios læſi Senes,
Quorum propior cineribus flamma eſt.
Scribit Deus quoque læſus in Marmore;
Inde in illius hoſtibus tantus timor.
Eodem quo leges, alias exaraverat digito,
Eam nunc, item in lapidibus, imprimit,
Quà nemo in poſterum inferat alteri,
Quòd non vult ſibi.
In foro Chriſti præjudicium nullum eſt,
Ab aliis fuiſſe damnatum.
Amotis accuſatoribus
Abit illico ſeveritas judicis in ſollicitudinẽ Patris;
Quamdiu poſſunt prodeſſe monita
Ne putate, Mortales.
Poſſe Deum intentare ſupplicia.

Balthaſſaris cœna turbata ſpectro pollicis ſcribentis in pariete. Vide Daniel. cap.

Alia interpretatio ſcriptionis Chriſti.

Alia rurſus diverſa.

Audientes autem hæc, Vnus poſt unum exibant, incipientes à ſenioribus.

Scribit in marmore læſus Adagium.

Pavimentum autem templi utiq; marmoreum fuit.

Moyſis leges dictæ ſunt ſcriptæ digito Dei.

Mulier ubi ſunt qui te accuſabant.

Nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo.

Vade, & jam amplius noli peccare.

ELOGIUM XXVIII.
ZACCHEUM VOCAT.

Luc. cap. 19.

Quid tibi, mi Samaritanæ cum Jericho?
It video, eo adhuc ab Hieruſalem deſcendentes
Opportunus Fidejuſſor expectas.
Erigere qui lapſa veniſti,
Ubi ſenſeris ruinam accurris.
[Q]uam olim urbem Sacerdotum tubæ dejecerant
Studes clamore piæ prædicationis attollere.
Theſauros pollicitus.
Avaros excitare cæpiſti;
[P]ublicanis innotuit magnũ lucrum eſſe te ſequi,
[Ho]rum plurius à fulgore auri jam anhelat ad tuũ.

Samaritanus qui curari eum jubet, qui incidit in latrones.

Hierico à Ioſua Sacerdotum tubis destructa, ut habetur Ioſua 6.

Chryſolog. ſerm. 54. Dixerat enim, & habebis theſauros in cœlu.

Ex Euſebio Emiſſeno in hom. in hunc locum.

Videri tamen turba te prohibet,
Quantumlibet ſtudioſiſſima tui;
Qui ſe ſuper illam non erigat,
Tuo non hilaretur aſpectu.

Æquivocum hoc de Cruce. quæ diminuti per peccatum hominis exaltatio eſt.

Homini diminuto ſublimitas ſuppletur à ligno.
Fit illi Arbor primus gradus in cœlum;
In ea te Venatorem expectat,
Prandio tuo debita volucris,
Si tamen ante fuerit deplumata.
Qui cæteros non æquaverat corpore,
Jam ſupra cæteros eminens fide;

Sycomorus ficus fatua.

Arborem fatuam
Cœleſtis ſapientiæ Cathedram fecit.
Puſillus in oculis ſuis homo,
Ad ſe illico traxit oculos Dei.
Jubetur feſtinans deſcendere
Qui ſuo adhuc prægravatus affectu

Omnis enim eminentia cum periculo.

In ſublimi ruinæ proximus ſtaret.
Jubetur & parare convivium Chriſto,

Et ſuſcepit illum gaudens in domum.

Cui crepundiis fidei ſuæ diem ſolennem feciſſet.
Meritus beneficium,
Quod tanta cum hilaritate ſuſcipiens
Videretur agnoſcere,
Divitias habet jam ad largitatis materiam,
Non ad incendium cupiditatis.

Hodie ſalus huic domui facta eſt, quod & ipſe ſit filius Abrahæ.

Domini ſalus totam redundat in Domum;
Conſalutatur filius Abrahæ,
Qui & hoſpes Trinitatis extiterit,

Abraam tres Angelos excepit hoſpitio.

Et Unigenitum cordis ſui deſiderium immolarit.
Epulatur Chriſtus

Hoc eſt deſiderium pecuniarum.

Lautius in Zacchei mente, quam ſigmate;
De fraudatore pecuniæ

Chryſolog. ſerm. 29.

Sibi diſtributorem Gratiæ deſtinat.

Eodem enim teſte Chryſologo poſtea factus Epiſcopus.

Adimit homini vitium, relinquit genium;
Quæſtum non perdit Publicanus iſte, ſed mutat.
Telonium magis ſuſcipit, quam relinquit,

Chryſolog. ſerm. 29. & ſerm. 54. de Zaccheo.

Ut manſura Deo, non homini peritura conquirat.
Ex quo credidit ſe poſt mortem victurum,

Idem ſerm. 54.

Illico bonorum dimidium providus
Futuram tranſmiſit ad vitam

Ne

Ne metiare, qui ſapis,
Hoc à Zacchei ſtatura miraculum;
Quod eſt vitam reddere mortuo,
Hoc dare largitatem Avaro.

Chryſolog ſerm 28. de Matthæo, & Publicanu.

ELOGIUM XXIX.
CANANEÆ FILIAM CURAT.
Matth. 15. *Marc.* 7.

Itane ſunt Emporia inſtitore te digna
Sidon, & Tyrus,
Ut ibi quoque mercaturam exerceas animorum?

Seceſſit in partes Tyri, & Sidonis, & ecce mulier Cananea, &c.

Fallit ſpes tuas
Deſtituta jam cœli bonis Judæa;
Inutiles experiris cum illa contractus;
Aliò transferendæ ſalutis Nundinæ
Ut tuæ avaritia charitatis
Lucro pleniore pingueſcat.

Similis fuit Chriſtus homini negotiatori quærenti bonas margaritas.

Ethnicorum in finibus Hæbreum præmones
Meditari abillo te fugam.
Qui tamen poſt cætera,
Senſum quoque Juſti doloris amiſerit,
Omnia tecum aſportaturum te bona non luget.

Et ecce mulier de finibus illis egreſſa clamavit dicens &c.

Chriſtus alter Bias, qui omnia bona ſecum ferret.

Cananeo nequior male circumciſus Apella
Amiſit omne jus terræ ſuæ.
Reſtituitur in integrũ qui fugatus incola fuerat;
Ceſſavit ejiciendi ratio depravationis periculum;
Poteſt Alienigena Judæum corrigere,
Depravare ſe deteriorem non poteſt.

Cananei expulſi olim de regionibus ſuis à populo Iudæorum.

Ideò enim juſſi occidi, & pelli, ne depravarent Hebræos.

Tuto igitur fines ſuos tranſiliat Syrophæniſſa,
Ex quo tu quoque in ditione gentium es,
Habent tua jura omnia qui te habent.
Divinitatis veſtigia
Subodorata eſt Canis ſagax;
Ne ſpera latebris venatricem eludere;
Ubicunque te ſenſerit,
Nobilem prædam clamore deteget,
Si vi tenere non ſperet.
Acclinata pedibus tuis,
Lambit blanditiis linguæ te totum;

Abiit in fines Tyri, & Sidonis, & ingreſſus domum neminem voluit ſcire. Marc. cap. 7.

Vocat illum, & Dominum, & filium David.

Nec

Non ſum miſſus, niſi ad oves, &c. & non licet ſumere panem filiorum, & dare canibus.

Ex contextu patet Chriſtum in negando violentiã quandam paſſum: tacebat enim primo, & quaſi torquebat ſe.

Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt, &c.

Nec curat interim morſus tuos,
Quia Agni ſunt.
Vis ſeverus, & aſper videri,
Sed (pace tua dixerim) neſcis.
Repulſam qui patitur,
Non ita cruciatur, ac tu, qui das.
Mœrore ipſo negandi
Alis fiduciam obtinendi.
Agit ſophiſtam optimum dolor;
Includit tibi vocem vis argumenti;
Urgent reſponſionem diſcipuli,
Quam nec dare præceptor potes.
Si Judex es; vides teneri te plectere Dæmonem
Occupantem non ſua;

Neque enim dixit Miſerere filiæ, ſed miſerere mei, ut notant Patres.

Si Deus; incumbere tibi tui curam operis;
Si utrumque; deberi à te præmium Charitati,
Quæ beneficium ſuum reputet,
Quod alteri dederis
Extorquet tibi violentia orationis aſſenſum

O mulier: magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.

Reddidit filiæ ſalutem corporis, Matri vero animæ per fidẽ quam illi indidit.

Victus das manus,
Et quaſi à te pœnam dilationis exigeres,
Plura poſtulatis indulges.
Unica tibi exclamandi cauſa, multiplex nobis.
Tu miraris
Potuiſſe tam conſtanter fœminam petere,
Nos te tam diu potuiſſe negare.

Quæ ſunt ſecundum naturam, capacia admirationis non ſunt.

Et plane juſtior admiratio noſtra, quam tua;
Miſeris quamdiu non habent, petere natura eſt,
Non item tibi ſtatim ac rogaris non dare.

ELOGIUM XXX.
CENTURIONEM PER SERVUM LUCRATUR.
Matth. 8. Luc. 7.

Non enim venit pacem mittere, ſed gladium, & authorare violentos, qui cælum expugnant.

Accurrite ad Chriſti Ducis ſtipendia.
Pugnaces animæ,
Inferenda vis cœlo, violentis eſt opus.
Authoratur in novam expeditionem Centurio,
Cujus fides æquè Cæſaris, ac Dei caſtris probata,
Impera-

Imperatoris utriuſque
(Rara felicitate) occupavit affectus
Romanæ militiæ

Sæpe enim, qui placet hominibus, diſplicet Deo.

Una hæc jam ſupererat experientia fortitudinis,
Ut quando deerat jam prope terra, quã vinceret,
Ipſum Empyreum expugnaret.
Nobilis Advena, & origine ſua dignus, & fine,
Ferens legem in Moribus,
Quam Judeus ſolis jam in lapidibus aſſervaret,
Liberalia omnia nactus in Servo,
Amat in illo plus aliquid, quam commoda ſua;
Unde redditum ex Paralyſi inutilem,
Adhuc pretio diminutum non credit.
Affini Naturæ indulget obſequia,
Quæ fortunæ diſſimili non deberet;
Quem ſanum exercuiſſet ut famulum,
Ægrotum curat ut fratrem,
Nec aliam domum patitur fieri miniſtrã remedii,
Quam quę fuerat cauſa morbi.

Domuerant Romani eo tempore totum prope terrarum orbem.
Leges Iudæorum aſſervatæ in duabus lapideis tabulis.
Dicitur, quod hic ſervus erat illi pretioſus.
Dicebat enim, homo & ipſe ſum ſub poteſtate conſtitutus: ideo frater.

Qui ſervum bonum ex raritate æſtimat,
Vilem illum habere non poteſt.
Supellectilis tam pretioſæ jacturam
Studet induſtria quacunque redimere.
Mendicat apud Chriſtum patrocinia,
De quo plura jam crederet, quam audiſſet,
In eo uno non felix.
Quod ad hoc munus Seniores illos adhibeat,
Quibus non aliud inerat meritum, quam Ætatis,
Accipitur ab humaniſſima Divinitate legatio,
Ac ſi diu foret optata.

Servus bonus corvo albo rarior.
Adiit enim primo Iudæos quos ſibi demeruerat, per ſynagogam iis ædificatam.
Iudæis, utpote Chriſti hoſtibus, nullum meritum apud eundem.

Vix vocatus invitantes jam præit,
Doctores tumidos nil tale ſuſpicantes
Trahens in Scholam,
In qua legitimam colendi Dei rationem,
Ethnico diſcerent Præceptore.
atos expectare non poteſt amor impatiens,
enit, qui miſerat, acturus per ſe cauſam ſuam,
Ingerit violentiam precibus.
duritiem, ſi quæ ineſſe tantę lenitati potuerat,
Vel ardore fidei eliquat,

Ivit enim illico cum illis: ſed cum longe eſſet à domo, venit ad eum ipſemet Centurio.
Ait enim poſtea, non inveni tantam fidem in Iſrael.
Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum.

Vel

Vel pondere demiſſionis arietat.
Stupet Chriſtus amorum ſuorum peritiam
In Milite nondum ſuo;
Amare Romam in cive incipit,
Et quod tales in ea naſcerentur,
Æternam Regno ſuo deſtinat ſedem.
Salutem quam rogabatur dat ſervo,
Et quàm non rogabatur dat Domino:
Affinem Charitati ſuæ curam
Sine laude non præterit.
Exprobat Popularibus
In majori evidentia minorem fidem;
Conſtare volens hominibus
Nullius illum magnifacere genus,
Qui præ Nobiliori indole ſuum quoque
Contemneret.

Audiens autem Ieſus, miratus eſt. Romanus enim erat Patrum ſententia.

Sanatus ſervus, & Dominus imbutus luce cœleſti, mox etiam fuiſſe narratur Epiſcopus.
De ſervis enim ſuis ipſe Chriſtus mirè ſollicitus.
Hinc enim cœpit Hebræos ſuos quodammodo faſtidire, & Ethnicis fidere libentius dona ſua.

ELOGIUM XXXI.

NON HABENTI HOMINEM AD PISCINAM OCCURRIT.

Qui tranſigitur inter miſeros dies
Ille Chriſto eſt dies Feſtus.
Sabbatum ejus nunquam ex ſui,
Semper ex alieni laboris deſitione definias;
Pecuariæ Piſcinæ ſub porticu,
Ab infelicibus Academicis
Philoſophiam doloris exquirens;
Pacatiſſima vultus ſerenitate
Deſiderium minuit expetitæ procellæ.
Miſeratus in ægritudinibus corporum,
Infortunium multiplex animorum,
In uno Noſocomio mundum univerſũ inſpeciẽs
Adhuc languores ſolertiæ Magiſtros non abolet:
Qui non amat cauſas morborum,
Morborum non ſemper odit effectus
Gaudet inde excitari hominem, unde torquetur,
Et quod eſt vinculum membris,
Fieri mentibus libertatem,

Erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Hieroſolymam, eſt autem Hieroſolymis &c.
Ex D. Hieron. in comment. idem Probatica, quod Pecuaria; ita dicta, quod in ea pecora lavarentur.
Angelus deſcendebat in piſcinam, & movebatur aqua.

In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorũ, claudorum. &c.
Cauſæ morborum, ut plurimum peccata, effectus vero, reſipiſcentia.

Ne

Ne contemnantur remedia, ſi redundent,
Salutaris naufragii oportunitatem habentibus,
De ſuo Panario pharmaca non miniſtrat.
Supervacaneam nulli unquam operamcollocans,
Ibi dumtaxat ſuam relinquit,
Ubi aliam non invenit.
Quæ pro derelicto habentur,
Peculiarius diligit, quia ſolus.
Non habuiſſe hominem,
Neceſſitas Deo eſt accurrendi.
Annoſa ſaue calamitas
Medico minore non eguit.
Abit & ipſa in conſuetudinem patientia,
Imo vero etiam in naturam.
Malis ſuis qui diu convixerit,
Ea ſi minus amari incipit, ceſſat odiſſe,
Quare non ſine cauſa,
Trigeſimum octavum annum decumbens,
Jam non an poſſit convaleſcere quæritur,
Sed rogatur an velit.
Vecordiæ ſuæ conſcius,
Tacitus tolerat interrogationis hujus injuriam,
Videre & ipſe incipit luce auctus
Quod mala homini eveniant, vitium eſſe Naturæ,
Quod vero non abeant, voluntatis.
Qui det beneficia nunquam deeſt;
Deeſt ergo ſolum qui exigat,
Liberalitas exempta legibus Parſimoniæ,
Sollicitat ipſa per ſe ſupplices ſuos.
Effuſura ſe etiam in non rogantes,
Niſi reputaret injuriã quidquid confertur invito.
Exprimitur vox deſiderii, & eam illico ſequitur
Vox ſalutis.
Valet, ac prope volat, qui voluit,
Et qui ſe ne quidem ferre potuerat, fert Grabatũ.
Exoneratus morbo, oneratur beneficio.
Secum jubetur aſſumere utriuſque memoriam,
Indignante Judæo,
Cui operarius ſalutis, non item iniquitatis
Violator Sabbati eſt.

Alios enim, qui habebant hominem, præteriit Chriſtus.

Erat autem ibi quidam 38. annos habens in infirmitate ſua.

Hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.

Vt enim benè Philo. Neceſſe eſt ibi adeſſe divinum, ubi humanum ceſſat auxilium.

Hoc enim, ex Seneca, habet aſſidua infelicitas boni, quod quos ſæpe vexat, noviſſimè indurat.

Hunc enim vidiſſet jacentem, dixit ei, vis ſervus fieri?

Videbatur enim ea interrogatione argui ſui ipſius inimicus, ac ſtolidus.

Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit.

Excitat enim, ut petamus. Vsq; modo non petiſtis quidquam, &c.

Reſponſionem ejus illico excipit illa vox Chriſti. Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

Dicebãt ergo Iudæi. Sabbatum eſt, & nõ licet tibi tollere, &c.

Habe

Si enim aſinus incidiſſet in foveam, licebat illud attollere.

Habe tibi ferias tuas,perfida natio,
Quæ ſeveriores ſint hominibus, quam Aſellis,
Deo, & ſapientibus,qua die non licet benefacere
Nec licet vivere.

ELOGIUM XXXII.
HÆMORRHOISSAM A FLUXU SANGUINIS CURAT.

Matth. 9. Marc 5. Luca. 8.

Chryſolog. ſerm. 35.

Deſperatis in rebus fit Magiſtra neceſſitas;
Dat ſæpe ſalutare conſilium vis doloris;

Mulier quæ fuerat multa perpeſſa, & erogaverat omnia ſua, nec profecerat quidquam ſed deterius habebat. Pecunia ſecundus hominis ſanguis. Deſperaverat enim remedium.

Multis Medicinam non inveniſſe
Remedium fuit,
Immunda morbi ſui ſordibus fœmina,
Annum jam duodecimum fatigans Hipocratem,
Secundo Crumenas exhauſta ſanguine,
Venas primo,
Pro Medicina mortem expectat.
Artis non adjuta præſidiis,
Naturæ viribus deſtituta,
Inde Rea,unde miſera,

Et enim notat Hieron. in hunc locum per legem, ut immunda excludebatur ab urbibus, & à templo.

Turpi luit exilio fortunæ ſuæ crimen;
Infelix,ſeu quod ſe ipſam non poteſt deſerere,
Seu quod non ſufficit tolerare.
Fit illi ſalutis occaſio viator Deus.
Quem adire prohibebatur in templo,

Idem Chryſolog. ſerm. 36.

Inventum in itinere pia fraude circumvenit.
Habet calamitatis ſuæ prima ſolatia
Tantæ lenitatis aſpectum.

Ibat enim tunc Chriſtus ad excitandam Archiſynagogi filiam.

Creit paſſurũ ſe tãgi,qui ſe pateretur & opprimi.
Verecundi tamen conſcia ulceris

Turba enim comprimebant illum. Chryſol. ſerm 34.

Nolens doloris remedium,cum pudoris injuria,
Studet facere occultum de publico,
De turba ſecretum,
Retro ſe ſiſtens,

Venit in turba retro, & tetigit veſtimentum ejus, &c.

Ac ſi non habuiſſet etiam retro oculos Deus,
Emens ſupplicis reverentia beneficium,
Cum medicinam poſcere non auderet,

Chryſol. ſerm. 33.

Admota fimbriis manu furata eſt ſanitatem.

Nulli

Nulli non utile latrocinium,
Quod Fides imperavit, Spes fecit.
Non habuit Phariſæorum fimbrias Chriſtus;
Tulit ille ibi remedia vulnerum,
Ubi ipſi vulnerum cauſas.
Infecerat amabili contagie
Benignitatis Genius veſtes ipſas.
Ne laciniæ quidem videri voluerant,
Ill magis ad pompam, quam nobis ad utilitatem
ſervire.
Paſſus eſt à modeſtia ſimilitudinē violentię Deus;
Tactum impreſſum in fimbria, ſenſit in corde.
Excitare alios ad idem latrocinium voluit,
Cujus artificium non paſſus eſt tegi.
Partes ſuas putat erigere fœminam;
Quæ ſe, quo ad usque potuerat, depreſſiſſet.
iliam vocat, quæ ſe bis Patrem eſſet experta.
Ad valetudinem adjicit alia quietis viatica,
Illum unum illi dolorem relinquens,
uod Medicis indigens cum poſtremū adiiſſet,
Quem primum debuerat.
elix; quæ talem ad Deum acceſſum invenerit
Quem impedire turba non poſſet.
Nos infelices è contra,
i quotidie Chriſtum tangimus, nec curamur,
Utpote ii, quibus ad remedium
Jam non Chriſtus deeſt, ſed fides.

Catena in hunc locum notat ex Hieronymo, quod Phariſæi ſpinas in fimbriis ferrent, ut cruorem elicerent.

Veſtes Chriſti quodam infectæ contagio.

Non enim auſus negare beneficium modeſtia

Hoc eſt ad rapiendam ſalutem per fidem.

Proprium Dei munus ſuperbos deprimere, jacentes erigere.

Chryſoſt. hom. 32. in Evang. Matthæi.

Quæ major hujus mulieris culpa.

Chryſolog ſerm. 36.

Ad Sacerdotes ſacerdos alludit, qui quotidie celebrant.

Idem Chryſolog. ſerm. 33.

ELOGIUM XXXIII.
DECEM LEPROSIS NOVEM EXPERITUR INGRATOS.

Luc. cap. 17.

Alit calamitas reverentiam Dei,
Et Ærumnoſi modeſtiam
Felix nullus exæquet.
Supplices ut multos Chriſtus habuerit,
Nullos leproſis pares invenit.
Ne ſalutem minus mererentur audacia,
ctere, quaſi parati ad omnia, ſed à longe.

Steterunt enim à longe leproſi implorantes opem Chriſti.

De alio legimus, quod acceſſerunt ad eum.

 Acceſſum;

Qui ſtat videtur imperium expectare paratus ad omnia.
Et levaverunt vocem dicentes; Ieſu præceptor miſerere noſtri.

Acceſſum, quem ſuadebat
Opinio de Clementia Medici,
Diſſuaſit pudor ex conſcientia morbi.
A deſiderii vehementia clamore reſpirant,
Et demittentes animum, vocem attollunt.
Nulla tamen conatus hujus neceſſitas,
Ubi qui rogatur is eſt,
Ad cujus aures illico venit
Quidquid ſecum, ſtans item à longe
Publicanus obmurmurat.
Magiſtri titulum non recuſat à miſeris,
Qui ſe ad talium eruditionem,
Aperuiſſe meminerat in Bethleem ſcholā novam.
Ipſamet doña ſua
Deberi Sacerdotibus volens,
Non contemnentis, ſed venerantis affectu
Immundas ad eos victimas legat.
Præfeſtinato diſceſſu
Sacroſanctæ Dignitatis conſpectum
Reverita lepra declinat.
Facilis Chriſto miſeratio erga leproſos,
Quorum quaſi unus ſit quandoque futurus.
Beneficentiæ illius amabilis impatientia,
Semel promiſſa differre vix tolerat.
Dandi velocitate præveniens euntum greſſus,
Deſtinata iter abſolventibus præmia,
Vix inchoantibus elargitur.
Per obedientiæ veneficia
Retrocedunt novi Æſones in juventam;
Squammis edacibus libera pellis
Refloreſcit Vere decoro.
Quærunt jam cicatrices, non vulnera,
Et neutris inventis hærent incerti
Cui de tam multis affectibus primas donent.
Evaneſcit tamen, (Proh Pudor,)
Una cum Morbo memoria beneficii,
Munditiies acquiſita corporibus,
Ingerit mentibus novas ſordes.
Donati valetudine
Primum illius fructum agnoſcunt,

Alludit ad parabolam, ſeu hiſtoriam de Publicano.

Venerat Chriſtus artem patientiæ docere.

Ite, & oſtendite vos Sacerdotibus.

Et factum eſt, dum irent mundati ſunt.

Iſaiæ cap. 53. Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo.

Æſon Iaſonis Pater à Medea recoctus, & in juventam revocatus. Ovid. in met.

Affectus, vel gratitudinis, vel admirationis, vel gaudii.

Unus autem ſolum ex iis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt magnificans Deum.

Quod

Quod jam poſſint Medicum fugere,
Mundo magis odibiles cum ingrati;
Quam antea cum Leproſi.

Leproſi maximè odioſi, utpote qui arcerentur à templo, & ab urbibus.

Unicum Alienigenam
Populare Judæorum malum non inficit.
Novem abeuntibus in perniciem,
Redit Decimus in ſalutem,
Auctoris adoratione

Non eſt inventus qui rediret, niſi hic alienigena: erat enim Samaritanus.

Probat quam magni fecerit donum,
Et rogatus de ſociis
Ingens illis creat ſua taciturnitate convicium.
Et miraris, mi Jeſu, mores hos tanquam novos?
Mirari magis debueras ſi redirent.
Ingratitudo inter homines nihil habet jam novũ;
Gratitudo, ſi quæ ſit,
Ea jure monſtri locum obtineat.

Admiratio Chriſti: nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt? Admiratio enim non eſt de iis, quæ ut plurimum accidunt, ſed de iis, quæ raro.

ELOGIUM XXXIV.
COECO NATO NOVAM APERIT DIEM:

Ioan. cap. 9.

Quidni miſeris ſæpe Chriſtus occurrat;
Si Chriſtus miſeros ſemper quærit?
Neſcit illos prætterire prætteriens;

Præteriens vidit hominem cæcum à nativitate, &c.

Seu videatur, ſeu videat,
Omni ſe ipſum prodigit via.
Ne homo jam floccipendat hominem,
Impendit Deus Mendico,
Vel in die quietis ſuæ publicam ſervitutem,

Chryſol ſerm. 176. pene ad verbum. Hoc eſt in Sabbato.

Duri creante verius; quam medicante manu
Inde ſupplevit homini lumina,
Unde hominem fecerat totum:
Operanti ſalutem noſtram,
Stat pro Sabbato omnis nobis utilis Dies;
Quiſquis calamitoſis labor impenditur,

Idem Chryſolog. ubi ſupra. Homo enim ex luto. Erat autem Sabbatum, quo quievit Deus ab opere ſuo.

Summa illi ceſſatio eſt.
Licet videri non appetat,
Adhuc pati cœcitatem non poteſt,
Quæ in tãta copia lucis nimis accidat importuna.

Frequenter enim abſcondit ſe ab hominum oculis fugiens plauſum, & et

Prius enim unctus cæcus, mox juſſus adire natatoriam Siloes antequam curatus.

Obſiſtit ſalutari collyrio contumax malum;
Ubi cætera ſolis pulſa ſunt nutibus,
Hoc poſt linimentum, etiam lotionem expectat.
Nimirum difficile, coæterna non ſunt,
Quæ fuerint unicuique coæva.

Alludit ad primam hominis creationem & ad lutum, quod hac occaſione ex-puens fecit.
Chryſolog. ibidem, ad verbum.

Atqui ſi ſuum Deus lutum retractet,
Plus poteſt tandem corrigere,
Quam Natura delinquere.
Sancti roris gutta baptizat oculos peccatores;
Aperit venia, quos culpa non clauſerat;
Accendũtur abaquis lumina, quib' ſolẽt extingui;
Emitur obſequio gratuitum beneficium;
Licet cœca obedientia fuerit,
Certo itinere cœcum deduxit ad lucem.

Et tamen ſi cœcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.
Cur ita ſollicitè ſtuduerint Phariſæi hoc miraculum tegere.

Eidem vix invenit miraculi magnitudo;
Dubitat Sophiſta peſſimus Livor,
An fieri potuerit, quod factum videt,
Triſtatur nequitia creſcere
Oculatos turpitudinis ſuæ teſtes;
Quem mendacem non poteſt facere,
A Synagoga facit extorrem.

Audivit Ieſus quia ejecerunt eum foras, & cum inveniſſet eum, dixit ei, &c. Credis in Filium Dei.
Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt. Et procidens adoravit eum.
Nutrit enim hac cogitatio humilitatem, quæ ad Dei lumen praparatio eſt.

Novum à Deo beneficium
Nova hominum injuria provocat.
Mentem ſine luce non deſerit,
Qui amovit à corpore cœcitatem.
Detegit illi etiam Solem ſuum,
Cujus ſe ferendis imparem radiis profitens,
Coram illo victus proſternitur.
Qui ſedes mendicus in tenebris,
Quo itinere venias ad lucem, attende.
Nihil æque illuminat hominem,
Ac ſi aſſidue ferat in oculis lutum ſuum.

ELOGIUM XXXV.
SURDOS FACIT AUDIRE, ET MUTOS LOQUI.

Marci cap. 7. & 9.

Ingenium Dæmonis ſicut Aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas à voce incantantis ſapienter.

Agnoſco verſipellis ingenium Aſpidis.
A voce incantantis Sapientiæ aures obturas

Verbo

Verbo quid magis inimicũ opponeres ſurditate?
Factus in Dei odium de Lucifero Veſperugo
Eripis oculos quibus jam Solem non potes,
Et ibi tantum ſecurum te ſciens,
Ubi audiendum non ſit JESU nomen,
Vocis unius odio ſonum omnem excludis.

Æternam enim attulit Mundo noctem.

Nomen Ieſu, ingens tormentum Dæmonum.

Ita, ne mors,
Per quas olim feneſtras intravit,
Per eaſdem & exeat,
Senſus ſingulos durus excubitor obſediſti.
In uno tamen Dei digito
Totam ejuſdem ſenties manum.

Intravit mors per feneſtras in hominem, hoc eſt per oculos, aures, guttur, &c.

Seras omnes Clavis David aperiet,
Et procellarũ Spiritus tenuem coactus in ſpumã,
Silentium, quod aliis feceras, tolerabis.
Sit tantum in Contribulibus Charitas,
Quæ non loquentis agat interpretem;
Fiet muto copia Verbi,
Et ſoluta vinculis lingua
Rectis ligatos legibus exultabit in ſonos.

Arripit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, &c.

Dicit enim, & adducunt ei ſurdum & mutum.

Excipiendis turbæ tumultibus,
Ne quis factas aures putaret,
Surdũ Chriſtus, niſi à turba ſeductum non ſanat.
Quo verba venire non poterant,
Manum injiciens,
Digito pro terebra uſus in cor uſque deſcendit,
Et ſuæ linimento Salivæ
Inſulſis ſermonibus parat antidotum.

Et apprehendens eum de turba ſeorſum miſit digitos ſuos in auriculas ejus.

Et expuens tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in cœlum ingemuit.

Reparaturus lubricas facultates,
Cum quibus homo tam malus eſt,
Sine quibus tam miſer,
Quod à cœlo tam multos excluderent,
Cœlum ipſum optimæ mentis ſuæ conſcium
Intuitu conteſtatus ingemuit.
Doluit enimvero exigi à ſe beneficia,
Quæ majori ſæpe beneficio negarentur,
Et invitus linguam ſolvere viſus à vinculis,
Quæ ſoluta vix ullis bene regatur habenis.
Natalitia novæ facundiæ
Acclamationibus celebrantur.

Lingua, & aures lubricæ admodum in homine facultates.

Quæ cauſæ Chriſto ſuſpiciendi cœlum, & gemendi.

Ex D. Iacobo enim vix ullus refrenat linguam ſuam.

Uſu vocis conceſſo fruſtra jam ſilentium imperat,
Qui vel ubi laudari ſe prohibet,

Quantò plus præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur.

Obedientiam Plebs hilarata detrectat;
Dei vota meritur ex ſuis,
Honeſta penre credens facinora, cum tacentur,
Pace tamen tantæ modeſtiæ,
Æquiſſima fuit admiratio poteſtatis,

Dixi diſcipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt. In ſolo enim Ieſu nomine morbos curabant Apoſtoli.

Quæ ſingularis in illo,
Quacunque excipi acclamatione non debuit.
Diſcipulis, quia ſolum Magiſtri nomen
Tota curationum ars fuit,
Cum illud fruſtra ſurdis occinerent,
Surdis beneficos eſſe non licuit.

Roganti enim reſpondit, ò generatio incredula quamdiu apud vos ero?

Quod ſuorum tamen detraheretur ſ otentiæ
Detractum reputans ſuæ,
Adducentem ad ſe filium non curatum ab iis,
Præter morem patientiæ ſuæ ſubiratus excepit.
Morbos cavete, Mortales,

Aliæ ægritudines ſola voce curatæ à Chriſto, hæc manibus ejus indiguit, miſit enim digitos in aures, &c.

Quorum tam rara, quam difficilis curatio eſt.
Amica Dæmoni Statio Auris, & lingua;
Has ſi ceſſeritis,
Ad eum expellendum jam non verba ſufficiant,
Ipſis Dei manibus opus eſt.

ELOGIUM XXXVI.
FILIUM VIDUÆ SUSCITAT.
Luc. 7.

Ait Evangeliſta, quod totus populus ſuſpenſus erat audiens illum.
Alludit ad Herculem Gallicanum, cujus fabula notiſſima.

Ligaſti verbis tuis Populos
Hercules Paleſtinus,
Catenati per aures poſt te trahuntur.
Theatrum circumductile factus es Mundo;
Deſerere te neſciunt avidi ſpectatores,
Quibus identidem aperis,
In novo miraculo novam ſcenam.
Orcheſtra Divinitatis ut es,

Tres perſonæ in Chriſto erant per concomitantiam.

In qua ſub perſona triplici
Idem ſemper ſe Deus actor exercet,
Vel cum terrueris homines, adhuc trahes.

Quam

Quamdiu tantus Roſcius egeris,
Concionem, quam fatigare non potes
Fugare ne ſpera.
Mortuis ipſis excitaſti deſiderium tui;
Qui venire ad te minus poſſunt, feruntur.
Occurrit tibi extra Naim Viduæ filius,
Et hac officii ſpecie
Quæſiturus meritum vitæ
Facundus in ſuórum lacrimis, mutus in ſuis,
Rogat ſibi feretrum in cunas converti.
Facit illico de novo ſpectatore ſpectaculum.
Quod in te inciderit, fortunam vis eſſe, non caſū.
Et quia finis omnium es,
Te invento quietem imperas.
Mariæ ſimilitudinem revereris in Vidua,
In unigenito tuam.
Orta miſeratio ex prænotione affinis miſeriæ;
Qualiter & tu flendus quandoque fores vidiſti;
Et quia nullum undequaq; miſerum vis,
Solatium quod erat unicum, illico reddidiſti.
Prohibes lacrimas, & facilis obedientia eſt,
Quando earum removes cauſam.
Sola hæc tua eſt vera forma ſolatii;
Cæteri fluxum doloris impediunt,
At fontes non ſiccant.
Mortem ſuo dejecturus è Curru
Applicas loculo manum.
Stillant tibi digiti vitam,
attollente te vocem, attollit mortuus caput.
Ingens eruditio experientia mortis.
Sedet adoleſcens jam Magiſter idoneus,
rtis Mundo tam neceſſariæ quam non gratæ,
Et quam per aures biberat vitam
Cæteris per verba propinat.
Orationis argumentum
Timorem in audientibus excitat,
Ipſa vero oratio admirationem.
Utroque tamen Deus laudatur effectu,
m ex uno quidem conſtet quod poſſit dare.
Ex altero quid eripere,

Cœleſtis Roſcius Chriſtus in actionibus maxime excellens.

Extra portam enim occurrere ſolemus iis, quorum maximè deſideramus adventum.

Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat.

Et ſteterunt, qui portabant loculum.

Obtento fine, ceſſat actio, finis autem & initium omnium Chriſtus.

Erat & ipſe filius unicus matris ſuæ non habentis virum.

Cauſa fletus mors filii, qua removetur reſtituta vita. Vnde dicebat Iob, Vani conſolatores omnes vos eſtis.

Hæc enim myrrha prima, quam diſtillare dicitur manus ſponſi in Canticis.

Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: Quid autem loquutus ſit, tacetur ſubdit tamen: accepit omnes timor, & magnificabant Deum, &c. Quia Propheta magnus ſurrexit, & quia Deus viſitavit plebem ſuam.

Novus enim Pater dedit illum matri ſuæ.

Vim facit in illo verbo, & dedit illum.
Dicit enim, noli flere; & illico amovet fletus cauſam.

Oblita ſe Viduam eſt,
Quæ filio ſuo videt ſuperfuiſſe te Patrem;
Cœpit illum tibi ſecundo debere,
Quem à te bis acceperat,
Quamquam olim illum commodaveras,
Nunc dediſti.
Exigere potes, mi JESU,
Hilaritatem ab ægris quamvis,
Qui ſolus das
Eam ipſam, quam jubes.

ELOGIUM XXXVII.
ARCHISYNAGOGI FILIAM IN VITAM REVOCAT.

Matth. 9. Marc. 5. Luca. 8.

Ecce Princeps unus acceſſit, & adorabat eum dicens. Domine filia mea modo defuncta eſt.
Abjecerat enim ſe ad pedes Chriſti, quem, utpote ſynagogæ metuens, declinaverat hactenus.
Major amor minorem pellit, & thorace propior pellis.

Sed veni; impone manum tuam ſuper eam, & vivet.

Per impoſitionem manuum dabatur ab Apoſtolis Spiritus Sanctus.
Manus enim tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu.

Et ſurgens Jeſus ſequebatur eum.

Synagogæ caput ad Chriſti pedes abjicitur;
Et à Chriſto ſibi male ominetur exitiũ Synagoga?
Jayro initium vitæ, mors filiæ.
Jam non princeps, quia totus Pater,
Calamitatis ſuę memor, dignitatis prorſus oblit*
Quem felix neglexerat, adorat miſer.
In trahendis ad Deum hominibus
Omnipotentia ærumnarum hæc eſt.
Multi perimimur beneficiis, beamur pœnis.
Periclitantis filiæ amor
Zelum omnem pereuntis legis excuſſit.
Nora tamen imperii genium vel in rogante.
Præſcribit ſummo Medico modum curationis:
Jubet illum ſalutem deferre
Cum poſſit mittere,
Et impoſitione manuum
Spiritum non tam reddere, quam mutare.
Peritiſſimus legis interpres
Ad artes ſuas revocat auctorem Naturæ,
Sciens iis ſolum à digitis probe refici hominem,
A quibus primum eſt factus.
Miſerationum bajulus non laſſatur itinere;
Daturus beneficium accepturi celeritate feſtinat;
Illum ipſum, quem ſequitur paſſu, præit affectu;
Hæmor-

Hæmorrhoiſſæ cōtactū vel ipſa ſentit in fimbria ;
Nolens tamen ita uni intentus videri,
Ut non adeſſet & alteri,
Per ſanitatem Mulieris annum duodecimū miſerę
Probat excitationem Virginis
Annum duodecimum natæ,
Minori miraculo fidem majoris inſinuans,
Siſtendo fluxum ſanguinis
Suadet poſſe & ſe ſiſtere fluxum vitæ.
Extinctus nunciatur ſenſus omnis in filia
Et extinguitur prope fides omnis in patre.
Accuſat inutilem diligentiam, quia ſeram;
Adhuc tamen profanatam funeris injuria Domū,
Expiare tanti hoſpitis præſentia ſatagit.
Non dimidiat Chriſtus beneficia,
Quæ ſemel inchoavit.
Fiducia ſua excitat alienam;
Somnum definit, quod Nuncii Mortem deſcrip-
ſerant;
Ut tamen facile in deriſionem degenerant,
Qui violenti detinentur inluctu,
Quæ de ſomno narrantur
Exploduntur ut ſomnia.
Pergit Chriſtus donis promiſſa firmare,
Et latentem detegere verius Spiritum,
Quam abſentem reducere.
E domo, quam ingreditur,
Illico & turbam abigit, & Mœrorem.
Offenſus Poëſi illa luctuum,
De tam multis gementibus,
Solos qui vere doluerāt ſolari Parētes aggreditur.
Apprehendit Medicus Manum,
Non tam exploraturus Motum Arteriæ,
Quam daturus,
Et acquiſita aliis hilaritate, quā ſua gloria lætior,
Solo ſilentii ſacrificio
Coli ſe jubet muneris hujus auctorem.
Adeo vel in iis, quæ ſolam admirationem ſpecta-
rent,
Suum ſemper imitationi locum aperuit.

Et ecce Mulier, quæ ſanguinis fluxum, &c. quis me tetigit?

Et converſus, & videns eam dixit: Confide filia; fides tua ſalvam te fecit.

Hæc Jayri filia ætas deſcribitur in textu, & hoc tempus ægritudinis Hæmorrhoiſſæ.

In ſanguine enim ſummum vitæ præſidium.

Dum irent, occurrerunt ei qui jam mortuam nunciabant.

Cum veniſſet jam in Domum Principis, & vidiſſet Tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat. Recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit.

Et deridebant eum, & cum ejecta eſſet turba, intravit, & tenuit manum.

Non quia non periiſſet, ſed quia Chriſto non erat difficilius excitare à ſomno, quam à morte revocare.

Inerat enim in illis luctibus multa fictio.

Aſſumpſit enim ſecum tres ex ſuis diſcipulis Petrum, Iacobum, & Ioannem, & cum eis Patrem & matrem puellæ, præterea nullum. Monuit enim more ſuo: Nemini dixeritis, &c.

ELOGIUM XXXVIII.
LAZARUM SORORIBUS REDDIT.

Ioann. cap. 11.

Cauſa ægritudinis Lazari, ex abſentia Chriſti: ſi enim fuiſſes hic non fuiſſet mortuus, &c.

Jeſum abire ne ſinite,
Qui ægritudines, & Mortem timetis.
Excubant circa nos diſpoſita in inſidiis mala,
Quæ quia præſente illo non audent erumpere
Captant ex illius abſentia opportunitates nocēdi.

Miſerunt ante omnia Sorores ejus ad eum dicentes: Ecce quem amas, infirmatur.

Retineret adhuc Bethania Lazarum,
Si non dimiſerat Chriſtum;
Digna tamen eſt, quæ utrumque recuperet,
Quæ Deum ante Medicos accerſivit.
Feſtinant Nuncii dies fugitivos præcurrere;
Narrant ægritudinem, nec referunt ſanitatem.

Vt audivit quia infirmatur, manſit in eodem loco duobus diebus.

Lazarus Amicus noſter dormit, ſed vado, ut excitem, &c.

Prodit non egere ſe nunciis
In amicorum periculis Chriſtus.
Ut ſit tamen infortunio locus
Nectit moras per biduum;
Ut pote cui eſſet in diſpari gloria par facilitas,
Mortem vincere, ac removere languorem.
Proficit morbus, ſpes deficit.

Domine jam fœtet, Quatriduanus enim eſt.

Et mortuo conſepulta
Ad fœtorem uſque putreſcit.
Serus adeſt Medicus, adhuc tamē etiā opportun*,

Ex Chryſolog. ſerm. de Lazaro ſuſcitato.

Diu enim cum utraq; colloquutus antequam ad ſepulcrum veniret.

Et vivis non minus conſulturus, quam mortuo.
Vocatus pro Lazaro
Videri diu potuit pro Maria ſolum,
Et Martha veniſſe.
Geminavit illa dilatio beneficium,
Cum iis fidem reddiderit, antequam fratrem.
Otioſum neminem incomitatu patitur ſuo;

Tollite lapidem. Chryſol. ubi ſupra. adſit materni bajula nominis Maria.

Inter divinas virtutes humanum requirit auxiliū,
Jubet tolli lapidem, ſpem attolli.
Illaturus vim Erebo,
Tremendi bajulam nominis
Vult ſecum eſſe Mariam.

Lazarus mortuus eſt, ſed gaudeo propter vos. Infremuit Spiritu, & turbavit ſe ipſum.

Qui amici mortē enuncians gaudere ſe dixerat,
Ubi eum ita miseræ redditurus eſt vitæ
Tota viſcerum commotione turbatur.

Fiebat

Fiebat illa excitatio cum injuria dormientis,
Unde ad illam venit cum Mœrore benevolus
Ad quam tripudio feſtinaſſet iratus.
Elevatis in Cœlum oculis
Dimenſus hominis lapſum ingemuit,

Ieſus autem elevatis surſum oculis dixit, Pater, &c.

Et ſpelunca ſpectata
Recordatus Latrocinium Dæmonis,
Lavare voluit oppreſſi Viatoris vulnera vino ſuo.

Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat, &c.

Qui jam omnia jura mortis intraverat,
Fœtet Sorori, ſed nondum Deo,
Quem uno putredo noſtra
Ad miſerationem ſollicitat, non ad fugam.
Omnium funera in unius ſpectans interitu,
Quia adhuc ſolum Lazarum,
Non etiam omnes mortuos ſuſcitabat,
In ſemetipſum ſibi iratus infremuit.

Dixit ei Ieſus, nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, &c. cum Martha dixiſſet, quia fœtet. Eſt ferme ſenſus Chryſolog. Vbi ſupra.

Coram omnium Judice
Furti comperta mors ſiſtitur,
Et redimens reddēdi celeritate rapinæ demeritū,

Corpus Lazari, quaſi corpus delicti à morte commiſſi.

Educit è ſpecu
Incluſum adhuc laqueis captivum ſuum.
In Liberto Chriſti,
Nulla veteris ſervitutis tolerantur veſtigia.

Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis.

Solutus ſuum experiri libertatem jubetur,
Et de mortuo nihil præter ſilentium retinere.

Solvite eum, & ſinite abire.

Stat pro luculenta gratiarum actione
Ipſamet muta admiratio beneficii.
Levia loquuntur gaudia, ingentia ſtupent.
Et non jure luxeris ſurditatem viventium,
Qui mortuos ita tibi attentos invenias?

Nulla enim legitur vox Lazari recens ſuſcitati.

ELOGIUM XXXIX.
AD CRUCEM TRIUMPHALI POMPA DISCEDIT.

Matth. 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19. *Ioann.* 12.

Certa Chriſto de hoſtibus victoria eſt;
Ante pugnam palmas expoſcit.

Chriſtus Victor vel ante pugnam.

Mors tamen nuper in Lazaro victa
Juſtam triumpho potuit cauſam dare.

Quæ Chriſto triumphi cauſa.

Auxit

Auxit illi, non minuit animos Crux ſperata,

Iam enim loquebatur tanquam poteſtatem habens: ſolvite, & adducite, &c.

propediem regnaturus in illa
Formam ſervi viſus exuere.
Libertatis Aſſertor
Ne aſinam quidem patitur alligatam teneri.
Solutam à diſcipulis jubet adduci,

Libertas omnis à Chriſto, ut ab Auctore.

Tolerantia nec in jumento à Deo ſine mercede relinquitur.

Homines amoturus ab otio,
Cum laborum patientiam, ne in Jumento quidẽ
Sua ſine mercede derelinqueret,
Avelli pullum à matre non vult,
Ne ille quidem facturus
Ex ſua hilaritate triſtitiam.

Aſinam, & pullum cum ea. Matth. 21.

Quare Aſinam, non equum aſcenderit.

Princeps pacis
Dum inter Oleas bella damnaret
Natum bellis Equum deſpiciens
Mitioribus dicatum laboribus animal
Conſecravit.

Chriſtus omnis violentia hoſtis.

His plane mitiſſimus Dominus opus habuit,
Quibus nulla eſſet inferenda violentia,
Ut ſe ferrent;

Obſequia quæ Deo inviſa.

Execrare ſuetus obſequia,
Quæ à coactis extorqueat.
In celebritate triumphi ſui
Tota illi pompa parabilis,

Triumphi hujus quare tota pompa parabilis.

Quia lætitia, quæ ex Deo eſt,
Ulli unquam modeſtiam non excuſſit.
Hominum Plauſus,
Ne ideo ſolum ab eo neglectos crederes,
Quod eos ignoraſſet nunquam expertus,

Hos plauſus cur Chriſtus admiſerit?

Suo daturus authoritatem contemptui,
Ita illos ſemel admiſit,
Ut ſecundo non quæreret.

Pueri vellebant ramos de Arboribus.

Notavit eorum levitatem in frondibus,
Quas quilibet excuteret turbo.

Videns Civitatem, flevit ſuper illam.

Lætis animum commodavit, non dedit;
Ne totus hæreret in præſentibus
Futura proſpiciens,

Bonus augur ex lætis præſagit triſtia.

Bonus Augur excidium ex tripudio
Præſagivit.
Seniorum perfidiæ

Inno-

Innocentiam puerorum opponens,
In honore ſuo benevolentiam magis,
Quam reverentiam aucupatus,

Chriſti vel in triumpho ſumma modeſtia.

Quo Frater agnoſceretur,
Davidis dici filius, quam Dei maluit

Oſanna filio David.

Ab iiſdem arboribus Crucem expectans,
A quibus ramos habuiſſet,
Condonavit hominibus,
Quod ſe ſolis colerent frondibus.

Crux ex olea & palma ſecundum multos. Vide Gretſerum de Cruce.
Fructus enim Deo vix ullos dant.

ELOGIUM XL.
NEGOTIATORES E TEMPLO EJICIT.
Matth. 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19.

Ingreſſus Hieroſolymam Chriſtus
Cujus adiret diverſorium ante, quam Patris?
Non hanc traxerat urbanitatem e cœlo,

Statim ac ingreſſus eſt Hieroſolymam venit in templum.

Ut Deo debita officia poſthaberet humanis.
Expiatio urbis ſacrilegæ, quam intendebat,
Inchoari niſi à templo non debuit,

Ita Chryſoſt. apud Sà in hunc locum.

Unde & auctoritas vitiis,
Et origo ſolet eſſe virtutibus.
Non ea frons homini Deo,
Ut in aliena poſſet domo corrigere,
Quod necdum emendaſſet in ſua

Bonum, & malum populorum, à bonis, vel malis Sacerdotibus.

Populi nequitiæ obſtetrix avaritia Sacerdotum,

Unde de hoc eos ſæpe arguit Chriſtus.

Quam qui ante omnia non everteret,
Mala in ramis reſcinderet, in radice lactaret.
Abominationē in loco Sancto ne is quidē tolerat,
Cui ipſamet tolerantia natura eſt.

Alludit ad illud, cum videritis abominationem ſtantem in loco Sancto.

Cæterorum criminum Judex,
Hujus etiam lictorem agit.
Armat flagellis aſſuetam beneficiis manum,
Et indignatus ibi attolli rerum pretia,
Ubi à ſe omnia gratis dantur,
Ulciſcitur liberalitatis injuriā ſeveritatis exēplo.

Fecit quaſi flagellum de funiculis.
Funiculi hi ligandis mercibus ſunt allati à mercatoribus.

Atqui niſi ferremus ipſi nobiſcum,
Non haberet Deus unde nos puniat.

Radet eos in novacula conducta, ait Iſaias.

Noſtris

De Iuda dixerat, unus ex vobis diabolus eſt, Ioan. 6.

Occaſionem ſui criminis faciunt.
At qui ejecerat a Maria ſeptem Dæmonia;
Octavum hoc moleſtum illi eſſe
Non patitur.
Ne deſpondete animos, Sectatores Pietatis.

Ingens ſolatium veris Chriſti cultoribus.

Accuſante Mundo
Patronus eſt idem ipſe qui Judex;
Et lucri plenum eſt damnum,
Judæ diſplicuiſſe
Unde Chriſto plus placeas.

ELOGIUM XLII.
A DISCIPULO VENDITUR.

Matth. 26. *Marci.* 14. *Lucæ.* 22.

Prodigalitas Avaritia Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.

Semel prodiga extitit Avaritia;
Inexhauſtum unica effuſione
Ligurivit ærarium.
Dæmens, quæ non minori pretiò
Emeret malum ſuum;

Abiens enim laqueo ſe ſuſpendit.

Cœca dum non agnoſceret crimen,
Impia dum corrigeret.
Carioſus Iſcarioth,

Malus utiq; ſibi qui ſibi & vitam, & Deum eripuit.

Cui bonus unquam eſſe potuerit,
Qui fuit uſque adeò malus ſibi?
Mercator non melior, quam Apoſtolus,

Apoſtoli vocati ut non ſolum ipſi ſalutem conſequerentur, ſed ut per ipſos & alij.

Depeculator ſalutis ſuæ,
Ubi lucrari etiam alienam debuerat,
Quò vilius venderet Deum
Ignorantes pretium ejus adivit.
Mendaces plane filii hominum in Stateris,

Ponderator Spirituum Dominus. Prov. cap. 16.

Qui Ponderatorem Spirituum
Triginta argenteis vix appendant.

Iniquitatis Iudæ initia ab odio pauperum quibus eripibat quæ in eorum uſus jubebantur impendi.

Profecit per ſuos gradus impietas;
Alimenta primum pauperibus abſtulit,
Mox vero etiam Deum ſibi.

Pater enim Pauperum Chriſtus eſt.

Mirari volueram
Si potuiſſet perſeverare cum Chriſto,
Qui pauperes non amaret,
Liberalem pietatem.

Quid-

Quidni ante alios avarus argueret,
In quem tota illa profuſio declamabat?
A diſpergente, ne ultra colligeret,
A Vaſe fracto ne ultra obdureſceret
Monebatur.
Ita malus, ut vel à bono depravaretur
Unguento;
Continuit dentes ab eſca;
Ut interim morderet inſontem.
Quia fur erat, & latro;
Ne ſua quidem reliquit convivio gaudia,
Tam lucri avidus, quam non capax,
Semper quid vendi,
Nunquam quid emi poſſet attendens
Properat urgere facinus,
Quod mox tanquam omnium maximum
Laqueo coronaret.
Peſſime de Sacerdotibus judicans,
Qui Deum
Niſi à ſe emerent, non haberent,
Eorum manus oblata illis re tam ſanctâ
Profanat.
Demens, qui Deo amiſſo non quæreret;
Non quid dare ſibi homines poſſent,
Sed quid vellent;
Cum Deum non habenti
Dare quidpiam vel ſi velint, non poſſint.

Ex Lactantio; Condemnare videtur, quicunq; diſſentit.

Inde enim ſumpſit occaſionem calumniandi piſſimam effuſionem.

Ioan. cap. 12.

Potuit unguentum hoc venundari, & dari pauperibus.

Quod enim majus ſcelus, quam Deum prodere?

Qui volebat iis Deum tradere, ſupponebat eſſe illos ſine Deo.

Ponderat illud, quid vultis mihi dare, oblitus quærere quid poſſent.

Quid enim habeat qui Deum non habet;

ELOGIUM XLIII.
AGNUM CUM DISCIPULIS COMEDIT.

Matth. 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Ioan.* 13.

Hoc qui Cœnaculum ſubis,
Feras & tu aquæ lagenam
In ardoris in te excitandi remedium.
Ignem omnia ſpirant;
Ubi aſſandus eſt Dei Agnus.
Huc imbres ipſi è Cœlo ſi venerint,
Flammei fient.

Occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, Marc. 14.

Alludit ad imbrem flammarum in die Pentecoſtes.

Uſu vocis conceſſo fruſtra jam ſilentium imperat,
Qui vel ubi laudari ſe prohibet,
Obedientiam Plebs hilarata detrectat;
Dei vota metitur ex ſuis,
Honeſta perire credens facinora, cum tacentur,
Pace tamen tantæ modeſtiæ,
Æquiſſima fuit admiratio poteſtatis,
Quæ ſingularis in illo
Quacunque excipi acclamatione non debuit.
Diſcipulis, quia ſolum Magiſtri nomen
Tota curationum ars fuit,
Cum illud fruſtra ſurdis occinerent,
Surdis beneficos eſſe non licuit.
Quod ſuorum tamen detraheretur potentiæ
Detractum reputans ſuæ,
Adducentem ad ſe filium non curatum ab iis,
Præter morem patientiæ ſuæ ſubiratus excepit,
Morbos cavete, Mortales,
Quorum tam rara, quam difficilis curatio eſt,
Amica Dæmoni Statio Auris, & lingua;
Has ſi ceſſeritis,
Ad eum expellendum jam non verba ſufficiant,
Ipſis Dei manibus opus eſt.

Quantò plus præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur.

Dixi diſcipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt. In ſolo enim Ieſu nomine morbos curabant Apoſtoli.

Roganti enim reſpondit, ô generatio incredula quamdiu apud vos ero?

Aliæ ægritudines ſola voce curatæ à Chriſto, hæc manibus ejus indiguit, miſit enim digitos in aures, &c.

ELOGIUM XXXVI.

FILIUM VIDUÆ SUSCITAT.

Luc. 7.

Ligaſti verbis tuis Populos
Hercules Paleſtinus,
Catenati per auros poſt te trahuntur.
Theatrum circumductile factus es Mundo;
Deſerere te neſciunt avidi ſpectatores,
Quibus idemtidem aperis,
In novo miraculo novam ſcenam.
Orcheſtra Divinitatis ut es,
In qua ſub perſona triplici
Idem ſemper ſe Deus actor exercet,
Vel cum terrueris homines, adhuc trahes.

Ait Evangeliſta, quod totus populus ſuſpenſus erat audiens illum.
Alludit ad Herculem Gallicanum, cujus fabula notiſſima.

Tres perſonæ in Chriſto erant per concomitantiam.

Quam

Quamdiu tantus Roſcius egeris,
Concionem,quam fatigare non potes
Fugare ne ſpera.
Mortuis ipſis excitaſti deſiderium tui;
Qui venire ad te minus poſſunt, feruntur.
Occurrit tibi extra Naim Viduæ filius,
Et hac officii ſpecie
Quæſiturus meritum vitæ
æcundus in ſuorum lacrimis,mutus in ſuis,
Rogat ſibi feretrum in cunas converti.
acit illico de novo ſpectatore ſpectaculum:
od in te inciderit,fortunam vis eſſe, non caſū.
Et quia finis omnium es,
Te invento quietem imperas.
Mariæ ſimilitudinem revereris in Vidua,
In unigenito tuam.
ta miſeratio ex prænotione affinis miſeriæ;
aliter & tu flendus quandoque fores vidiſti;
Et quia nullum undequaq; miſerum vis,
olatium quod erat unicum,illico reddidiſti.
Prohibes lacrimas,&facilis obedientia eſt,
Quando earum removes cauſam.
Sola hæc tua eſt vera forma ſolatii;
Cæteri fluxum doloris impediunt,
At fontes non ſiccant.
Mortem ſuo dejecturus è Curru
Applicas loculo manum.
Stillant tibi digiti vitam,
attollente te vocem, attollit mortuus caput.
Ingens eruditio experientia mortis.
Sedet adoleſcens jam Magiſter idoneus,
Atis Mundo tam neceſſariæ quam non gratæ,
Et quam per aures biberat vitam
Cæteris per verba propinat.
Orationis argumentum
Timorem in audientibus excitat,
Ipſa vero oratio admirationem.
Utroque tamen Deus laudatur effectu,
Cum ex uno quidem conſtet quod poſſit dare.
Ex altero quid eripere,

Cæleſtis Roſcius Chriſtus in actionibus maxime excellens.

Extra portam enim occurrere ſolemus iis,quorum maximè deſideramus adventum.

Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat.

Et ſteterunt, qui portabant loculum.

Obtento fine, ceſſat actio, finis autem & initium omnium Chriſtus.

Erat & ipſe filius unicus matris ſuæ non habentis uxorem.

Cauſa fletus mors filij: qua removetur reſtituta vita.

Unde dicebat Iob, Vani conſolatores omnes vos eſtis.

Hæc enim myrrha prima, quam diſtillare dicitur manus ſponſi in Canticis.

Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: Quid autem loquutus ſit, tacetur: ſubdit tamen: accepit omnes timor, & magnificabant Deum, &c. Quia Propheta magnus ſurrexit, & quia Deus viſitavit plebem ſuam.

Novus enim Pater. dedit illum matri ſuæ.

Oblita ſe Viduam eſt,
Quæ filio ſuo videt ſuperfuiſſe te Patrem;
Cœpit illum tibi ſecundo debere,
Quem à te bis acceperat,

Vim facit in illo verbo, & dedit illum.

Quamquam olim illum commodaveras,
Nunc dediſti.

Dicit enim, noli flere & illico amovet fletus cauſam.

Exigere potes, mi JESU,
Hilaritatem ab ægris quamvis,
Qui ſolus das
Eam ipſam, quam jubes.

ELOGIUM XXXVII.
ARCHISYNAGOGI FILIAM IN VITAM REVOCAT.

Matth. 9. Marc. 5. Luca. 8.

Ecce Princeps unus acceſſit, & adorabat eum dicens. Domine filia mea modo defuncta eſt.

Synagogæ caput ad Chriſti pedes abjicitur;
Et à Chriſto ſibi male ominetur exitiũ Synagoga?
Jayro initium vitæ, mors filiæ.

Abjecerat enim ſe ad pedes Chriſti, quem, utpote ſynagogæ metuens, declinaverat hactenus.

Jam non princeps, quia totus Pater,
Calamitatis ſuę memor, dignitatis prorſus oblitꝰ
Quem felix neglexerat, adorat miſer.
In trahendis ad Deum hominibus
Omnipotentia ærumnarum hæc eſt.

Major amor minorem pellit, & thorace propior pellis.

Multi perimimur beneficiis, beamur pœnis,
Periclitantis filiæ amor
Zelum omnem pereuntis legis excuſſit.

Sed veni; impone manum tuam ſuper eam, & vivet.

Nora tamen imperii genium vel in rogante.
Præſcribit ſummo Medico modum curationis:
Jubet illum ſalutem deferre
Cum poſſit mittere,
Et impoſitione manuum

Per impoſitionem manuum dabatur ab Apoſtolis Spiritus Sanctus.

Spiritum non tam reddere, quam mutare.
Peritiſſimus legis interpres
Ad artes ſuas revocat auctorem Naturæ,

Manus enim tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu.

Sciens iis ſolum à digitis probe refici hominem,
A quibus primum eſt factus.
Miſerationum bajulus non laſſatur itinere;

Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum.

Daturus beneficium accepturi celeritate feſtinat;
Illum ipſum, quem ſequitur paſſu, præit affectu;
Hæmor-

Hæmorrhoiſſæ cõtactũ vel ipſa ſentit in fimbria ;
Nolens tamen ita uni intentus videri,
Ut non adeſſet & alteri,
Per ſanitatem Mulieris annum duodecimũ miſeræ
Probat excitationem Virginis
Annum duodecimum natæ.
Minori miraculo fidem majoris inſinuans,
Siſtendo fluxum ſanguinis
Suadet poſſe & ſe ſiſtere fluxum vitæ.
Extinctus nunciatur ſenſus omnis in filia
Et extinguitur prope fides omnis in patre.
Accuſat inutilem diligentiam, quia ſeram;
Ad huc tamen profanatam funeris injuria Domũ,
Expiare tanti hoſpitis præſentia ſatagit.
Non dimidiat Chriſtus beneficia,
Quæ ſemel inchoavit.
Fiducia ſua excitat alienam;
Somnum definit, quod Nuncii Mortem deſcripſerant;
Ut tamen facile in deriſionem degenerant,
Qui violenti detinentur inluctu,
Quæ de ſomno narrantur
Exploduntur ut ſomnia.
Pergit Chriſtus donis promiſſa firmare,
Et latentem detegere verius Spiritum,
Quam abſentem reducere.
E domo, quam ingreditur,
Illico & turbam abigit, & Mœrorem.
Offenſus Poëſi illa luctuum,
De tam multis gementibus,
Solos qui vere doluerãt ſolari Parẽtes aggreditur.
Apprehendit Medicus Manum,
Non tam exploraturus Motum Arteriæ,
Quam daturus,
Et acquiſita aliis hilaritate, quã ſua gloria lætior,
Solo ſilentii ſacrificio
Coli ſe jubet muneris hujus auctorem.
Adeo vel in iis, quæ ſolam admirationem ſpectarent,
Suum ſemper imitationi locum aperuit.

Et ecce Mulier, quæ ſanguinis fluxum, &c. quis me tetigit?

Et converſus, & videns eam dixit, Confide filia; fides tua ſalvam te fecit.
Hæc Jayri filia ætas deſcribitur in textu, & hoc tempus ægritudinis Hæmorrhoiſſæ.
In ſanguine enim ſummum vitæ præſidium.
Dum irent, occurrerunt ei qui jam mortuam nunciabant.
Cum veniſſet jam in Domum Principis, & vidiſſet Tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat. Recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit.
Et deridebant eum, & cum ejecta eſſet turba, intravit, & tenuit manum.
Non quia non periiſſet, ſed quia Chriſto non erat difficilius excitare à ſomno, quam à morte revocare.
Inerat enim in illis luctibus multo fictio.
Aſſumpſit enim ſecum tres ex ſuis diſcipulis Petrum, Jacobum, & Joannem, & cum eis Patrem & matrem puellæ, præterea nullum.
Monuit enim more ſuo: Nemini dixeritis, &c.

ELOGIUM XXXVIII.

LAZARUM SORORIBUS REDDIT.

Ioann. cap. 11.

Cauſa ægritudinis Lazari, ex abſentia Chriſti: ſi enim fuiſſes hic non fuiſſet mortuus, &c.

Jeſum abire ne ſinite,
Qui ægritudines, & Mortem timetis.
Excubant circa nos diſpoſita in inſidiis mala,
Quæ quia præſente illo non audent erumpere
Captant ex illius abſentia opportunitates nocēdi.

Miſerunt ante omnia Sorores ejus ad eum dicentes: Ecce quem amas, infirmatur.

Retineret adhuc Bethania Lazarum,
Si non dimiſerat Chriſtum;
Digna tamen eſt, quæ utrumque recuperet,
Quæ Deum ante Medicos accerſivit.
Feſtinant Nuncii dies fugitivos præcurrere;
Narrant ægritudinem, nec referunt ſanitatem.

Vt audivit quia infirmatur, manſit in eodem loco duobus diebus.

Prodit non egere ſe nunciis
In amicorum periculis Chriſtus.
Ut ſit tamen infortunio locus
Nectit moras per biduum;

Lazarus Amicus noſter dormit, ſed vado, ut excitem, &c.

Ut pote cui eſſet in diſpari gloria par facilitas,
Mortem vincere, ac removere languorem.
Proficit morbus, ſpes deficit.

Domine jam fœtet, Quatriduanus enim eſt.

Et mortuo conſepulta
Ad fœtorem uſque putreſcit.
Serus adeſt Medicus, adhuc tamē etiā opportun[9]
Et vivis non minus conſulturus, quam mortuo.

Ex Chryſolog. ſerm. de Lazaro ſuſcitato.

Vocatus pro Lazaro
Videri diu potuit pro Maria ſolum,
Et Martha veniſſe.

Diu enim cum utraq; colloquutus antequam ad ſepulcrum veniret.

Geminavit illa dilatio beneficium,
Cum iis fidem reddiderit, antequam fratrem.
Otioſum neminem incomitatu patitur ſuo;

Tollite lapidem. Chryſol. ubi ſupra. adſit materni bajula nominis Maria.

Inter divinas virtutes humanum requirit auxiliū,
Jubet tolli lapidem, ſpem attolli.
Illaturus vim Erebo,
Tremendi bajulam nominis
Vult ſecum eſſe Mariam.

Lazarus mortuus eſt, ſed gaudeo propter vos. Infremuit Spiritu, & turbavit ſe ipſum.

Qui amici mortē enuncians gaudere ſe dixerat,
Ubi eum ita miſeræ redditurus eſt vitæ
Tota viſcerum commotione turbatur.

Fiebat

Fiebat illa excitatio cum injuria dormientis,
Unde ad illam venit cum Mœrore benevolus
Ad quam tripudio feſtinaſſet iratus.
Elevatis in Cœlum oculis
Dimenſus hominis lapſum ingemuit.

Ieſus autem elevatis ſurſum oculis dixit, Pater, &c.

Et ſpelunca ſpectata
Recordatus Latrocinium Dæmonis,
Lavare voluit oppreſſi Viatoris vulnera vino ſuo.

Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat, &c.

Qui jam omnia jura mortis intraverat,
Fœtet Sorori, ſed nondum Deo.
Quem uno putredo noſtra
Ad miſerationem ſollicitat, non ad fugam.
Omnium funera in unius ſpectans interitu,
Quia adhuc ſolum Lazarum,
Non etiam omnes mortuos ſuſcitabat,
In ſemetipſum ſibi iratus infremuit.

Dixit ei Ieſus, nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, &c. cum Martha dixiſſet, quia fœtet, Eſt ferme ſenſus Chryſolog. Vbi ſupra.

Coram omnium Judice
Furti comperta mors ſiſtitur,
Et redimens reddēdi celeritate rapinæ demeritū,
Educit è ſpecu
Incluſum adhuc laqueis captivum ſuum.

Corpus Lazari, quaſi corpus delicti à morte commiſſi.

In Liberto Chriſti,
Nulla veteris ſervitutis tolerantur veſtigia.
Solutus ſuum experiri libertatem jubetur,
Et de mortuo nihil præter ſilentium retinere.

Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis.

Solvite eum, & ſinite abire.

Stat pro luculenta gratiarum actione
Ipſamet muta admiratio beneficii.
Levia loquuntur gaudia, ingentia ſtupent.
Et non jure luxeris ſurditatem viventium,
Qui mortuos ita tibi attentos invenias?

Nulla enim legitur vox Lazari recens ſuſcitati.

ELOGIUM XXXIX.
AD CRUCEM TRIUMPHALI POMPA DISCEDIT.

Matth.21. Marc.11. Luc.19. Ioann.12.

Certa Chriſto de hoſtibus victoria eſt;
Ante pugnam palmas expoſcit.
Mors tamen nuper in Lazaro victa
Juſtam triumpho potuit cauſam dare.

Chriſtus Victor vel ante pugnam.

Quæ Chriſto triumphi cauſa.

Auxit

Auxit illi,non minuit animos Crux ſperata,

Jam enim loquebatur tanquam poteſtatem habens: ſolvite, & adducite, &c.

propediem regnaturus in illa
Formam ſervi viſus exuere.
Libertatis Aſſertor
Ne aſinam quidem patitur alligatam teneri.
Solutam à diſcipulis jubet adduci,

Libertas omnis à Chriſto, ut ab Auctore.

Homines amoturus ab otio,
Cum laborum patientiam, ne in Jumento quidẽ

Tolerantia nec in jumento à Deo ſine mercede relinquitur.

Sua ſine mercede derelinqueret.
Avelli pullum à matre non vult,
Ne ille quidem facturus
Ex ſua hilaritate triſtitiam.

Aſinam, & pullum cum ea. Matth. 21.

Quare Aſinam, non equum aſcenderit.

Princeps pacis
Dum inter Oleas bella damnaret
Natum bellis Equum deſpiciens
Mitioribus dicatum laboribus animal
Conſecravit.

Chriſtus omnis violentiæ hoſtis.

His plane mitiſſimus Dominus opus habuit,
Quibus nulla eſſet inferenda violentia,

Obſequia quæ Deo inviſa.

Ut ſe ferrent;
Execrare ſuetus obſequia,
Quæ à coactis extorqueat.
In celebritate triumphi ſui

Triumphi hujus quare tota pompa parabilis.

Tota illi pompa parabilis,
Quia lætitia, quæ ex Deo eſt,
Ulli unquam modeſtiam non excuſſit.
Hominum Plauſus,

Hos plauſus cur Chriſtus admiſerit?

Ne ideo ſolum ab eo neglectos crederes,
Quod eos ignoraſſet nunquam expertus,
Suo daturus authoritatem contemptui,
Ita illos ſemel admiſit,

Pueri vellebant ramos de Arboribus.

Ut ſecundo non quæreret.
Notavit eorum levitatem in frondibus,
Quas quilibet excuteret turbo.

Videns Civitatem, flevit ſuper illam.

Lætis animum commodavit, non dedit;
Ne totus hæreret in præſentibus

Bonus augur ex lætis præſagit triſtia.

Futura proſpiciens,
Bonus Augur excidium ex tripudio
Præſagivit.
Seniorum perfidiæ

Inno-

Innocentiam puerorum opponens,
In honore ſuo benevolentiam magis,
Quam reverentiam aucupatus,
Quo Frater agnoſceretur,
Davidis dici filius, quam Dei maluit
Ab iiſdem arboribus Crucem expectans,
A quibus ramos habuiſſet,
Condonavit hominibus,
Quod ſe ſolis colerent frondibus.

Chriſti vel in triumpho ſumma modeſtia.

Oſanna filio David.

Crux ex olea & palma ſecundum multos. Vide Gretſerum de Cruce.

Fructus enim Deo vix ullos dant.

ELOGIUM XL.
NEGOTIATORES E TEMPLO EJICIT.
Matth. 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19.

Ingreſſus Hieroſolymam Chriſtus
Cujus adiret diverſorium ante, quam Patris?
Non hanc traxerat urbanitatem e cœlo,
Ut Deo debita officia poſthaberet humanis.
Expiatio urbis ſacrilegæ, quam intendebat,
Inchoari niſi à templo non debuit,
Unde & auctoritas vitiis,
Et origo ſolet eſſe virtutibus.
Non ea frons homini Deo,
Ut in aliena poſſet domo corrigere,
Quod necdum emendaſſet in ſua
Populi nequitiæ obſtetrix avaritia Sacerdotum,
Quam qui ante omnia non everteret,
Mala in ramis reſcinderet, in radice lactaret.
Abominationē in loco Sancto ne is quidē tolerat,
Cui ipſamet tolerantia natura eſt.
Cæterorum criminum Judex,
Hujus etiam lictorem agit.
Armat flagellis aſſuetam beneficiis manum,
Et indignatus ibi attolli rerum pretia,
Ubi à ſe omnia gratis dantur,
Ulciſcitur liberalitatis injuriā ſeveritatis exēplo.
Atqui niſi ferremus ipſi nobiſcum,
Non haberet Deus unde nos puniat.

Statim ac ingreſſus eſt Hieroſolymam venit in templum.

Ita Chryſoſt. apud Sà in hunc locum.

Bonum, & malum populorum, à bonis, vel malis Sacerdotibus.

Unde de hoc eos ſæpe arguit Chriſtus.

Alludit ad illud, cum videritis abominationem ſtantem in loco Sancto.

Fecit quaſi flagellum de funiculis. Funiculi hi ligandis mercibus ſuis allati à mercatoribus.

Rades eos in novacula conducta, ait Iſaias,

Noſtris ipſi flagellamur inventis,
Et quos funiculos patimur,
Ipſimet nobis in libertatis damna texuimus:

Perpenditur illud. quod ait Evangeliſta; fecit quaſi flagellum, &c.

Tam benevoli tamen Parentis à dextera,
Venire filiis quidpiam ſiniſtrum non poteſt.
Benficia ſunt ea ipſa,
Quę nos æſtimatores peſſimi appellam⁹ flagella:

Nos enim, quæcunque nos vexant, etiamſi nobis utilia ſint, odimus.

Horruit Veritas odioſam iis vocem affigere;
Adulata dumtaxat aliquantulum errori noſtro,
Mitigato nomine, quaſi flagella vocavit.

Menſas nummulariorum evertit.

Qui Sacerdotium jam nollet eſſe quæſturam,
Menſas, in quibus Hirudines Pauperum,
Æternum agerent in aſſiduo lucro convivium,

Inſtabat enim tempus paſſionis, quo tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem.

Providus magis, quam iratus evertit.
Domui ſuæ diſponens mox abiturus,
Illius probat verè ſe Dominum,
Cujus cum Invidi vulgaverant everſorem:

Oves, & Boves in templo ad uſum ſacrificii.

Fugat inde oves, & Boves
Qui Sacrificium concepiſſet Auguſtius.

Soli enim divites hujusmodi victimas pretioſas offerre poterant.

Nauſeat victimas ſaginatas Plebis cruore;
Minus divites videri jam non vult minus pios
Certus ibi ut plurimum magis abundare virtutes,
Ubi minus pecuniæ.

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

Non ſuffert latrocinium ſecurum in Templo,
Quod cum periculo exercetur in ſylvis.
Nec celebrari coram ſe alias,
Quam Sanctarum cogitationum
Nundinas pati poteſt.

Vocat hoc Martyrium avaritiæ, quia propter illam flagella illa tolerabant.

Martyrium avaritiæ taciti tolerant,
Quos acrius conſcientia, quam Chriſtus flagellat.

Flagellorum cauſa peccata, quæ quia non fugiebant, eos jam ſecundo pellebat.

Indigna venia, qui fugiant redituri,
Quocunque digni ſupplicio,
Qui flagellis terga ſubtrahant, & non cauſas.

ELOGIUM XLI.

IN BETHANIÆ COENA UNGUENTIS PERFUNDITUR.

Matth. 26. Marci. 14. Ioann. 12.

Miſeri-

Miſeriarum illicio Chriſtus attrahitur;
Extra Cœlum
Sine calamitoſo vix cœnat.
Dubitem an adfuturus Canæ nuptiis fuerit.
Niſi deſiderandum in iis vinum præſciſſet.
Anteambulones ſuos ærumnas poſuit,
His ille præeuntibus
Libera quadam neceſſitate ſubſequitur.
Diſcumbit nunc in Bethania;
At in Leproſi domo cum mortuo.
Hæret fidejuſſori ſuo Lazarus,
Qui eo præſente
Se non fuiſſe moriturum jam ſciret.
In ſchola tumuli profeciſſe ſe probat;
A vitæ ne dividatur authore
Illum non jam ut olim expectat,
Sed ſequitur.
Accedit in novum cœnæ condimentum Maria,
Blanditur mortis Amatori
Innocens Aſſentatrix,
Dum Triclinium cum ſepulcro confundens,
Servanda mortuo munera
Viventi exhibet.
At in Convivio Chriſti
Importuna non eſt mortis memoria.
Alitur inde mens pabulo ſuo,
Et ubi periclitari poſſit Sobrietas, ibi ſuadetur.
Pravum exemplum optimo odore plus potuit;
Utroque repleta Domus eſt;
At illud excitavit querelas,
Non item hoc laudes.
Invenit vel in Contubernio Chriſti
Nimium emunctæ naris homines Pietas,
Quibus ſtatim ac olere ſuavius cœpit,
Placere deſiit.
Sedent non jam Convivæ, ſed judices,
Et eum, qui tale fieri paſſus eſſet obſequium
In ea, quæ feciſſet, culpantes,
Receptiſſimo apud homines more
Alienam virtutem
Occaſi-

Diſcubuit in Domo Simonis leproſi, & Lazarus unus erat ex diſcumbentibus.

Quæ Chriſto cauſa eundi ad Canæ nuptias.

Anteambulones Chriſti Ærumnæ, & cur.

Subſequitur quidem volens, ſed infallibiliter.

Sciebat, quia ſoror dixerat: ſi fuiſſes hic, &c.

Miſerunt enim Nunc'os de ægritudine, ipſe vero Lazarus non ivit ad Chriſtum.

Memoriam Mortis ingerit per unguenta; Ungi enim ſolebant mortui. Unde, & Chriſtus ait, Ad ſepeliendum me fecit.

Ideo Mariæ partes ſuſcepit. Quid moleſti eſtis huic, &c.

Prava exempla bonis validiora.

Poterat unguentum hoc venundari, &c. quod primus Iudas dixiſſe, Mox & cæteri creduntur.

Indignati ſunt dicentes: Ut quid perditio hæc.

Redundabat enim in Chriſtum accuſatio Mulieris, quod illam non prohibuiſſet effuſionem.

Homines ad calumniam maxime proni.

De Iuda dixerat, unus ex vobis diabolus eſt, Ioan. 6.

Occaſionem ſui criminis faciunt.
At qui ejecerat a Maria ſeptem Dæmonia,
Octavum hoc moleſtum illi eſſe
Non patitur.

Ingens ſolatium veris Chriſti cultoribus.

Ne deſpondete animos, Sectatores Pietatis.
Accuſante Mundo
Patronus eſt idem ipſe qui Judex,
Et lucri plenum eſt damnum,
Judæ diſplicuiſſe
Unde Chriſto plus placeas.

ELOGIUM XLII.
A DISCIPULO VENDITUR.

Matth. 26. Marci. 14. Lucæ. 22.

Prodigalitas Avaritiæ. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.

Semel prodiga extitit Avaritia;
Inexhauſtum unica effuſione
Ligurivit ærarium.
Dæmens, quæ non minori pretiô
Emeret malum ſuum;

Abiens enim laqueô ſe ſuſpendit.

Cœca dum non agnoſceret crimen,
Impia dum corrigeret.
Carioſus Iſcarioth,

Malus utiq; ſibi, qui ſibi & vitam, & Deum eripuit.

Cui bonus unquam eſſe potuerit,
Qui fuit uſque adeo malus ſibi?
Mercator non melior, quam Apoſtolus,

Apoſtoli vocati ut non ſolum ipſi ſalutem conſequerentur, ſed ut per ipſos & alij.

Depeculator ſalutis ſuæ,
Ubi lucrari etiam alienam debuerat,
Quò vilius venderet Deum
Ignorantes pretium ejus adivit.

Ponderator Spirituum Dominus. Prov. cap. 16.

Mendaces plane filii hominum in Stateris,
Qui Ponderatorem Spirituum
Triginta argenteis vix appendant.

Iniquitatis Iudæ initia ab odio pauperum quibus eripi bat quæ in eorum uſus jubebantur impendi. Pater enim Pauperum Chriſtus eſt.

Profecit per ſuos gradus impietas;
Alimenta primum pauperibus abſtulit,
Mox vero etiam Deum ſibi.
Mirari volueram
Si potuiſſet perſeverare cum Chriſto,
Qui pauperes non amaret,
Liberalem pietatem.

Quid-

Quidni ante alios avarus argueret,
In quem tota illa profuſio declamabat ?

Ex Lactantio; Cōdemnare videtur, quicunq; diſſentit.

A diſpergente, ne ultra colligeret,
A Vaſe fracto ne ultra obdureſceret
Monebatur.
Ita malus, ut vel à bono depravaretur
Unguento,

Inde enim ſumpſit occaſionem calumniandi piſſimam effuſionem.

Continuit dentes ab eſca;
Ut interim morderet inſontem:
Quia fur erat, & latro,

Ioan. cap. 12.

Ne ſua quidem reliquit convivio gaudia,
Tam lucri avidus, quam non capax,
Semper quid vendi,
Nunquam quid emi poſſet attendens

Potuit unguentum hoc venundari, & dari pauperibus.

Properat urgere facinus,
Quod mox tanquam omnium maximum
Laqueo coronaret.

Quod enim majus ſcelus, quam Deum prodere?

Peſſime de Sacerdotibus judicans,
Qui Deum
Niſi à ſe emerent, non haberent,
Eorum manus oblata illis re tam ſanctâ
Profanat.

Qui volebat iis Deum tradere, ſupponebat eſſe illos ſine Deo.

Demens, qui Deo amiſſo non quæreret;
Non quid dare ſibi homines poſſent,
Sed quid vellent;
Cum Deum non habenti
Dare quidpiam vel ſi velint, non poſſint.

Ponderat illud, quid vultis mihi dare, oblitus quærere quid poſſint.
Quid enim habeat qui Deum non habet;

ELOGIUM XLIII.
AGNUM CUM DISCIPULIS COMEDIT.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13.

Hoc qui Cœnaculum ſubis,
Feras & tu aquæ lagenam
In ardoris in te excitandi remedium.

Occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, Marc. 14.

Ignem omnia ſpirant;
Ubi aſſandus eſt Dei Agnus.
Huc imbres ipſi è Cœlo ſi venerint,
Flammei fient.

Alludit ad imbrem flammarum in die Pentecoſtes.

Et poſuit veſtimenta ſua, & præcinxit ſe.
Cœnaculum grande.

Agnoſcit Aulæ genium Chriſtus,
Inde ſe veſtibus allevat vix ingreſſus.
Capacitatem ne ſtupeas, ſi hoſpitem agnoviſti.
Omnes odit anguſtias qui immenſus eſt.

Tranſibat enim lex Moyſis, & ſacrificia in illo Phaſe.

Abducturus è Mundo Myſteria,
Quæ pertanſibant,
Ad Agni eſum, quaſi ad iter accingitur,
Peregrinari ſuos ſecum jubet in cœna,

Comedebant enim agnum quaſi peregrinaturi. Vt habetur, Exod. 12. Quid Sacramenti hoc haberet.

Et feſtinantium in morem
Lumbis præcinctis habere in manibus baculos
Quaſi qui hærere illos in hujus vitæ
Deliciis nollet
Sed per illos tranſire.

Lactuca agreſtes adhibita in hoc convivio de more.

In Convivio ſuo
Deſiderari amara non patitur,
Sciens ſine hoc condimento
Placere poſſe dulcia, non prodeſſe.
Agno paſcit quos ad manſuetudinem educat.

Os non comminuetis ex eo. Exod. 12. Oſſa autem fortitudinis, & conſtantia ſymbolum.

Prohibetque in ejus Oſſibus lædi Conſtantiam,
Cujus commendationem ea poriſſimum hora
Suis perutilem ſciret.
Ne Panis Angelorum
Epulis hominum fartos inveniat,

Præter Agnum, non aliud adhibitum ferculum, & cur.

Uno contentos eſſe ferculo jubet.
Pinguiori eos cœna ſatiare diſtulerat,
Cujus famem per illa quaſi jejunia nutriebat.
Differre neſciens poſt convivium feria,

Poſt convivium feria. Vide in Adag. Manutij.

Cui nullum pro ludicris tempus vacat,
Ingeſta proditoris mentione

Turbatus eſt, & ait, Vnus veſtrum, &c. vah autem homini illi.

Se ipſum turbat in ſuis.
Nunquam magis ex animo voluit
Potuiſſe mentiri,
Ne eſſent, quæ futura prædixerat.

Rabidi Canes oblato ſolent pane placari. Hoc enim ſigno Ioanni proditorem deſcripſit.

Rabidum Canem
Intincto ſtudet in Paropſide ſua pane placare,
His non illectum blanditiis deterret minis.

Cœperunt ſinguli dicere: Nunquid ego ſum Domine.

Uni intentatæ omnes dejiciunt.
Naturam metuunt,
Qui certi de voluntate jam erant.
Unus Judas

Cum

Cum alieno cæteri trepidarent exitio,
Non inhorruit ſuo.
Familiari perditis dolo
Sat correxiſſe ſe crimina credidit,
Si celaſſet.

Similiter, & Iudas dixit: cui Reſpendit Chriſtus, tu dixiſti.

ELOGIUM XLIV.

CONVIVARUM SUORUM ABLUIT PEDES.

Ioan. cap. 13.

Pſychagogia Chriſti quæ fuerit, ut ediſcas,
Quid poſt cœnam agat, attende.
Animum relaxat præcinctus,
Et ſordes à ſuis abſtergendo, ſe beat.
Adeo non fuit illi alia,
Quam de ſuorum utilitate voluptas.
In Hypocauſto illo ſuo,
Quod frigeſcenti mundo paraſſet,
Accendi ſibi præſentiens
Gehennam quamdam Amoris,
In ardoris ſolatium ad aquas accurrit.
Baptiſma Pedum
Affectis tumore capitibus applicat;
Et iis, à quibus deſerendum ſe ſciret,
Charitatis ſuæ pedicas per oſcula inſerit.
Initiaturus ſacrificii ſui Myſtas,
Ne coactis illuc Cœlitibus
Terrena redoleant;
Eos primum ab omni ignobilis elementi
Contagio expiat.
Ad novum iter præcinctis
Præter novum Viaticum
Præparat etiam quodammodo novos pedes.
Facturus conſuetudinem apud ſuos,
Ut quæ poſſediſſent
Ad Apoſtolorum pedes abjicerent,
Primus ante alios,
Sciens, quia omnia dederat ei Pater in manus,
Omnia apud eosdem depoſuit.

Surgit à cœna, ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe.

Hoc eſt in cœnaculo in quod in igne etiam è cœlo deſcendit.

Deinde miſit aquam in pelvim.

Tumor hic capitum ex contentione recenti, quis eorum videretur eſſe major.

Conſecravit enim paulò poſt Sacerdotes, conſluentibus Angelis in novæ dignitatis venerationem.

Quod erat Euchariſtia, quæ & Patribus dicitur viaticum immortalitatis.

Act. Apoſt. c. 4. Vnde didicerint primi Chriſtiani omnia ſua deponere ad pedes Apoſtolorum.

Res uſque adeo difficilis homini
Non alterius, quam Dei
Suaderi exemplo potuerat.
Speciosi nunc plane ſint
Evangelizantium pedes,
Quando eos ille ipſe
Qui cœlos ornavit, expolit.
Aſſueti ne manus quidem,
Cum panem manducarent, abluere,
Facti nunc domeſtici Dei
Ad omnem erudiuntur Urbanitatem.
Et Locupletum more
Per Balneum initiantur ad cœnam.
Unus Petrus Divinitatis Chriſti judex melior
Quam amoris,
Cum in ſe ſordes odiſſet
Ægre ſe paſſus eſt ablui,
Non quia poſſet ab alio,
Sed quia non deberet ab eo.
Damnavit demiſſionem Præceptor
Poſitam in loco non ſuo;
Vetuit illam, ne virtus eſſe jam poſſet,
Non paſſus illud ſibi per lites
Paſcha differri,
Quod deſiderio deſideraverat
Manducare cum ſuis.

Ad Rom. 4. v. 15.

Unde Phariſæi, Quare diſcipuli tui non lavant manus cum panem manducant?
Apud antiquos nulla cœna nobilis ſine prævio Balneo, ut ex hiſtoricis conſtat.

Domine, tu mihi lavas pedes? non lavabis in æternum.

Si non lavero te, non habebis partem mecum.
Cur Chriſtus hanc Petri difficultatem ægrè tulerit.

ELOGIUM XLV.
NOVUM SUIS DE SEIPSO CONVIVIUM PARAT.

Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22.

Veneficia Charitatis hæc ſunt,
Quæ uſque ad Maleficarum imitationem
Benefica
Arcanis ſuis deligens noctes,
In earum una
Inviſibilem Deum oſtendit in carne,
In altera
Viſibilem hominem celavit in pane.

Sanctus incantator vocatur Chriſtus à Clem. Alex. lib. 1. Pedag. c. 2.

In nocte videlicet, qua natus in Bethleem.
Hoc eſt, in qua nocte tradebatur.

Et

Et utraq; quidem in nocte ita incaluerat,
Ut cum omnem in ſe collegiſſet ardorem,
Petrus,aliiq; frigeſcerent vel ad ignem.
Celebraturus in Cruce Nuptias
Unigenitus Patris
Hymeneo præmittens convivium,
Amicos vocat ad cœnam,
In qua cum opſonium feciſſet ex pane,
Tota dilapidata ſubſtantia jam decoctor,
Avaro exactori cedit in prædam.
Cum omnis homo primũ bonum vinum ponat,
Ipſe ſubjicere neſciens quod deterius eſt,
Omnium optimum
More ſuo ſervat extremum.
Æternus Cœli Obſes in terris,
Quia pellendus ab oculis,
Aditum quærens in corda
Novum ſibi vehiculi genus
Adornavit in pane,
In quo,ſenſu jam non uſurus interprete,
Ipſe per ſe ageret cauſam ſuam.
Cœlo militaturis providus Imperator
De electorum frumento Congiarium præparat.
Impium Catilinæ facinus
Pio iteraturus exemplo
Conjuratis ſuis propinat ſanguinem.
Hoc ille Philtro
Inſidiatus amori hominum eſt.
Pridie quam moreretur ſepultus in ſuis,
Ne totus eſſet in poteſtate hoſtium
Se apud amicos depoſuit.
Pharmacum ſobriis præparans,
Venenum ebriis,
Quid daret magis,
Quam quibus daret attendens,
Uberi de ſe Vite vindemia,
Quod Carioſum Utrem diſrumperet,
Vinum novum expreſſit.
Adora, Viator ſepulcrum;[*]

Undefrigus, qua nocte Euchariſtiam Chriſtus inſtituit.

Utpote Sponſus Sanguinum.

Ex pane enim carnem fecit, unde poſſet dicere caro mea vere eſt cibus.

Dici Chriſto potuerat melius, quàm Architriclinus dixerat miniſtranti, omnis homo &c. Tu autem ſervaſti bonum vinum usque adhuc.

Euchariſtia vehiculum Chriſti in corda hominum deſcendentis.

Congiarium dari ſolitum ab Imperatore militibus. Plin. in Paneg.

Teſte Saluſtio, fama fuit Catilinam ita fœdus cum conjuratis ſuis iniiſſe.

Amatorium poculum Chriſti.

Accipite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.

Mors eſt malis, vita bonis.

Ego ſum vitis, & Pater meus Agricola.

Hoc eſt Iſcarioth, nemo autem Chriſto teſte, bene ponat vinum novum in utres veteres.

 Quod

[*] Alludit ad Sapientum conſuetudinem, qui ſibi viventes adhuc, ſepulcra ponunt.

Quod in monumentum ſuæ mortis
Sibi adhuc vivens poſuit Amor tuus.

ELOGIUM XLVI.
HYMNO DICTO IN HORTUM DISCEDIT.

Matth. 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Joann.* 18.

Quam benè Euchariſtia cibus fortium dicatur à Patribus.

Euchariſtia plane cibus eſt fortium;
Eam ex quo tradidit Chriſtus,
Jam non dubitat diſcipulis
Aſpera quoq; prædicere.

Tunc enim cœpit iis dicere, plorabitis, & flebitis, &c.

Terreri eos poſſe non credit,
Tali adverſus metum omnem Amuleto
Munitos.

Fabulantur Poetæ Achillem à Chirone leonum medullis paſtum.

Generoſum vinum Deo dignos indidit Spiritus,
Et Leo Judæ medullis ſuis paſtos
Achilles facit.

Dixit enim hymnum, & diutius in ſermone illo blandiſſimo ſe hilaravit, & ſuos; & mox mira alacritate ait. ſurgite eamus hinc.

Ipſemet ſe ſuſcepto
Viſus eſt redditus ſibi.
In hymnos erupit hilarior,
Et imminentis vix memor exitii,
Amores ſuos diuturniori colloquio
Explanavit.

Noſtrum erat gratias agere, & non Chriſti, qui dederat, non acceperat beneficium.

Pro beneficio, quod omnes grati hominis
Affectus excederet,
Egit ipſemet grâtias ſibi.
Usque adeo onera noſtra omnia, ſua fecit.

Abiit ſecundum conſuetudinem in hortum Gethſemani.

Conſuetudinem optimam
Mœror illi nullus excuſſit;
Medicatus oratione tædium eſt;
Venit Alcides alter in hortum
Jam non mala ſumere, ſed abſumere.

Ita enim oraverat. Rogo ut unum ſint ſicut & nos unum ſumus.

Qui rogaverat,
Ut unum cum Diſcipulis fieret,
Exauditum ſe ſenſit,
Cum avulſus ab iis eſt.

Dolor, ex diſcontinuatione partium ingens.

Unitatem ex diviſionis dolore conjecit;
Se ipſum viſus eſt deſtituere,
Cum illos deſeruit.

Ita

Ita ne ipſe quidem ſine violentia,
A ſuo cum Deo colloquio
Excluſit homines.
Latronem expectans
Severè vigilias præcipit,
Miraturq; in cribro Satanæ poſitos
Dormire poſſe.
Athleta nobilis
Duram evocatus ad luctam,
Antagoniſta doloris ſui
In terram victus alliditur,
Et Cœli ſuppetiis indiget, ut erigatur.
Quæritur propinari ſibi
Calicem tam diverſum à ſuo.
Hauſta diviniſſimi ſanguinis potione
Aliam omnem etiam oblatam à Patre faſtidit.
Mox tamen interpretatus beneficium,
Quod ſibi à tam benevola Majeſtate veniret,
Exinanivit ſemetipſum ſe ipſo,
Quo ampliorem in ſe faceret
Ærumnis locum.

Illud, & avulſus eſt ab eis, quandam utique violentiam ſonat.

Sciebat qua hora fur veniret, ideo non ſolum vigilabat, ipſe, ſed & monebat ſuos, vigilate, & orate, &c.
Factus in agonia prolixius orabat.

Tranſeat à me calix iſte, tam diverſus ab eo, quem diſcipulis in cœna dederat.
Verumtamen non ſicut ego volo, &c.
Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens. pronus in terram, & ad flagella paratus.
Procidit in faciem ſuam orans.

ELOGIUM XLVII.
ORANS SANGUINEUM IN SUDOREM LIQUESCIT.

*Matth.*26. *Marc.*14. *Luc.*22. *Ioann.*18.

Proh quam gravis eſt levitas noſtra?
Nunquam par ſenſit onus noſter Alcides.
Atlanti ſuffectus
Non ita curvaſſet humeros,
Nec tam ſollicitè Patris dexteram imploraſſet.
Sarcinam recuſare non auſus accuſat,
Et ut jumentum jam factus
Infirmum hominem tergo excipit
Pronus humi.
Peccatoribus intentis ſemper deſtruere
Nobilem aream in humeris ſuis exhibet
Ad ædificium, quod in Cœlum usque pertingat.
In forma ſervi ſe quæri ad verbera ſentiens

Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.

Unde benè dicebat Pſal. 128. ſupra dorſum meum fabricaverunt peccatores.

Cur toties in hac oratione Chriſtus repeteret illud, Pater mi, Pater mi,

Ut filius agnoſcatur
Sæpe Patrem appellat.
Vel ſic tamen ad flagella paratus
Vultum, quo excitaret benevolentiam, tegens,
Tergum, quo exciperet iram, oppoſuit.

Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis.
Deus ex Plin. lib. 2. definitur totus oculus, totus manus, &c.
Alludit ad gemmas, quæ ſudore ſuo venena detegunt.

Exegit avarus dolor
Ab omni membro tributum;
Nulli ſudorem, aut lacrimas condonavit.
Aliter Deum flere non decuit,
Qui totus oculus eſt.
Effuſionis avidus ſanguis vulnera prævenit,
Et impatiens intra venas teneri
Urget libertatem noſtram in ſua.
Oblatus de cœlo calix venenum habet;
Eo propius admoto ſudat nobilis gemma.

Per Zachar. Chriſtus oriens nomen ejus, c. 6.
Matth. 16. Veſperè dicitis, ſerenum erit, rubicundum eſt enim.

Oriens noſter,
Quando ita in Veſpere rubuit,
Polliceri ſibi mundus audeat Cras ſerenum.
Dare tellus incipiet fructum ſuum,
Quæ tam bono irrigata ſit rore.
Liberalis Agricula.

Ait enim, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

Ne ſui quidem tenax cruoris,
Eo hortum ſuum alluit impetu,
Ut guttæ jam non dicantur fluere,
Sed decurrere.

Gen. 3.

Solare te, novus Adam,
Quod in ſudore vultus tui
Veſcaris & tu Pane tuo.

Ovid. in met. ubi de Meduſæ capite è Perſeo reciſo.

Si terræ creditus Gorgonis cruor
Monſtra peperit,
Monſtrorum domitores pariet tuus.

ELOGIUM XLVIII.
DORMIENTES INCREPAT: ET HOSTIBUS OCCURRIT.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioann. 18.

Suadent ſidera ſomnum remoto ſole.

Noſtri quoque Solis abſentia
Somnum conciliat.

Vigila-

Vigilare, Chriſte, non poſſumus,
Quamdiu nobiſcum non es.
Niſi identidem ad nos excitandos redieris,
Aut ſimilitudo mortis,
Aut mors vera nos occupat.
Bonus Paſtor
Cuſtodiens ſuper grege tuo noctis vigilias
Vides lupum venientem,
Et occurris intrepidus.
Feritatem retundit inſperata ſecuritas,
Vel ipſo ſuæ felicitatis occurſu
Terretur impius;
Quod invenerit quæſita, triſtatur,
Et ne Deo, coram quo ſtat,
Propiorem illum ruina faciat,
Retrorſum cadit.
Redintegrata tamen audacia,
Ut gravius ſecundò corrueret,
Iterum ſurgens,
In danda ſalute, quam non haberet, profuſus,
Capitalem inurere Deo calumniam voluit,
Dum eum, ac ſi docere perfidiam potuiſſet,
Magiſtrum dixit.
Negavit Diſcipulum,
Qui maluit amicum vocare;
Oppoſuit blaſphemo doctrinam ſuam,
E cujus ipſe præſcripto
Ne Proditorem quidem odiſſet.
Publici Graſſatoris
Adhuc volens famæ conſultum,
Diſſimulavit quod erat, appellavit quod fuerat.
Potentiæ ſuæ conſcius,
Quæ dixit, & facta ſunt,
Tentavit an poſſet
Amicum, quem dixerat, facere.
At plenus Satana Judas
Non reliquit in ſe Deo locum.
Tenebrarum filius
Poteſtate tenebris facta
Nulli non obſtitit lumini,

Ita Drogo Oſt. ſerm. de cœna Domini.

Somnus imago mortis.

Proceſſit, & dixit eis, quem quæritis? Ut ergo dixit eis, ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.

Impii ex ruinis ſuis occaſionem capiunt recedendi magis à Deo.

Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Ieſum.

Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum.

Vocatur magiſter, cur non eum vocet diſcipulum, ſed amicum.

Dixerat enim, Ego autem dico vobis, diligite inimicos.

Fuerat amicus, tunc vero erat proditor.

Omnipotentia Dei, dicendo res facit.

Poſt buccellam panis intravit in illum Satanas.

Hæc eſt hora veſtra, poteſtas tenebrarum.

Ipſa illum ſummi boni notitia perdidit,
Agnoſci Chriſtus Divinitatem ſuam,
Vel ex tam impuri patientia oſculi, voluit.
Alia quælibet patientia, quæ Dei non fuiſſet,
Tam turpe monſtrum
Ab ore ſuo procul excluderet.
At non hoc novum in Deo,
Quod hoc ſe hoſtibus deſcribat indicio;
Æque admirabilis, quod poſſit omnia agere,
Ac quod non recuſet tam multa pati.

Chriſtus vel ex ſua patientia agnitus Deus.

Homines enim facile traſcuntur, ut qui habent ſpiritum in naribus.
Vide Tertul. & Cypr. lib. de patientia.

ELOGIUM XLIX.
OSCULO PRODITUR.
Matth. 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Ioann.* 18.

Venit, Iudas cum laternis, & facibus.

Ne tu plane cœcus es Juda,
Qui cum laternis, & facibus
Solem quæras?
Tribus Erebi Furiis addidiſti te quartam;
Habes & tu tædas tuas.
Quibus Mundi lucem
Non augeas, ſed extinguas.
Hac pompa luminum
Funus tuum deducis mortuus Deo.
Jam fœtentem excitare qui vult.
Vitæ Auctor
Eliſeum æmulatus os ad os applicat.
At Satana cordis arcem tenente
Nihil in ore proficiens,
Opportunitate oſculi uſus,
Repetit à te Spiritum ſuum,
Quem ſui prodigus,
Non una tantum inſufflaverat die.
Profanatum contactu tam fœdo eſt
Diviniſſimum guttur.
Venire mox ad Patris oſcula horruit,
Niſi ſe prius,
Quà felle, quà aceto lavaret.
Fuit hæc tota ſitis ejus in Cruce.

Furiarum arma tæda, ut apud Poetas.
Mortuiensim ſoliti ita ad ſepulcrum deduci.
Fœtebat etſi nondum quatriduanus.
Reg. 4. c. 4.
Cum Satanas jam ei miſiſſet in cor, ut eum traderet.

Inſufflavit, & dixit accipite Spiritum Sanctum.

Spongia, fel, & acetum eluerunt labem Chriſti labris impreſſam à Iuda oſculo.

De

De tegere ſpongia vo'uit,
Si quid in labiis de oſculo ſupererat;
Ideo cum guſtaſſet
Aſſequutus jam vota bibere noluit.
Dedicatum è contra
Tam Sancti communione halitus
Proditoris os eſt;
Vel impudentiſſimo Spiritui facta Religio,
Ne per illud egredi jam auderet,
Suprema neceſſitate
Pellente illum in locum ſuum,
Aliam ſibi per fracta viſcera viam fecit.
Suo malo didicit perfidus
Solis Deum Amoribus capi,
Funes il'i per amplexus intentat,
Morſus per oſcula.
Omnem ſupellectilem Charitatis
In uſum odii traxit.
Hoſtilem animum texit in iis,
In quibus detegi benevolus ſolet,
Paſſus Deus non eſt
Majorem ineſſe perfidiam homini,
Quam Clementiam ſibi.
Periclitari apud impios voluit
Famam ſcientiæ,
Non item patientiæ ſuæ.

Non erat igitur ſitis, ſed hac ad alium finem adhibita.

Impurus enim animus novam ſibi per viſcera viam patefecit ad exitum, quia ſuſpenſus crepuit medius.

Trahitur ipſemet Deus ſolis vinculis charitatis.

Supellex charitatis titulus honorificus.

Praceptoris amplexus & oſcula.

Dubitare enim quis poſſet, ideo admiſiſſe illum Iudam, quod ignoraret animum eius, ideo Evangeliſta ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum.

ELOGIUM L.
A SUIS DESERITUR.
Matth. 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Ioan.* 18.

Solus relinqui ſi Chriſte nolueras,
Parcior debueras eſſe, quam fueris;
Te ipſum dediſti, cur te non deſerant,
Qui à te ultra nihil expectant?
Ad hamum ſine illicio
Nec piſces, nec piſcatores accurrunt.
At omnes beare qui veneras,
Nullum tui cauſa miſerum pateris.

Vulgus amicitias utilitate probat.

In Euchariſtia ſe ipſum dederat.

Alludit ad illud, ſi autem me quæritis, ſinite hos abire.

Sagi-

Quare Chriſtus nullum de ſuis voluerit ſecum tore queri.

Saginari appetens voluptate patientiæ
Excludis à miſeria amicum, & proximum.
Qui ad Cœnæ delicias
Etiam inimicum vocaras,
Quo tibi tota Judæorum ira
Indiviſa vacaret,
Iraſci eos per id tempus
Alii cuipiam vetuiſti.

Atq; ita Barabba ignoverunt, & Pilatus ac Herodes mutua odia poſuerunt.

Offendit Innocentiam tuam Petrus,
Qui indigere te credidit defenſore.
Converti jubes gladium
Ac ſi te ulciſcendo peccaſſet.

Convertuntur qui peccarunt, & Chriſtus Petro, Converte gladium tuum in locum, &c.

Mones eſſe illum in loco non ſuo,
Quia ubicunque tu es
Locus eſt beneficentiæ, non vindictæ.

Quare noluerit in horto percuti quemquam.

Indignaris profanari cruore ſacrilego hortum,
Quem tuis ſudoribus, & lacrimis conſecraſſes.
Novo beneficio refricas antiquorum memoriam,

Erat Malchus ſervus Principis Sacerdotum.

Revereris Pontificem in mancipio;
Malchum Cayphæ magis aptas obſequiis,
Dum i'li aures
Ad hoc unum circumcidi paſſus es,
Ut mutares.

Quare Malchum ſine aure relinquere noluerit.

Servum ſine lingua toleraſſes fortaſſe,
Quem ſine Aure non toleras.
Sacer hic obedientiæ ſenſus eſt,
Ideo ſervare illum præ cæteris ſtudes.

Ad hanc enim nulli ſenſus magis neceſſarius eſt.

Nihil minus quàm aures
Hominibus deeſſe volueras,
Ad quorum eruditionem
Linguarum imbrem paraſſes.

In die videlicet Pentecoſtes.

Credi de te non ſuffers,
Quod execraris in cæteris,
Qui non niſi coacti
Ad Obſequia Divina trahuntur.

In illa hora dixit Ieſus, tanquam ad latronem exiſtis, &c.

Quereris te tamquam latronem
In Agro quæſitum,
Quem paratiſſimam victimam
Semper inveniſſent in templo

Quotidie apud vos eram docens in templo, & non me tenuiſtis.

Abuſus viribus ſuis Adoleſcens eſt,

Ut

Ut te fugeret,
Nudior relicto præceptore, quam Sindone.
Ita quotquot graves oculos
Habuimus ad vigiliam,
Leviſſimos habemus pedes ad fugam.

Adoleſcens relicta Sindone nudus aufugit, quem plerique ſuſpicantur fuiſſe Ioan. vide Bar. an. 34. Chriſti.

ELOGIUM LI.

ACCUSATUR CORAM CAYPHA.

Matth. 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Ioann.* 18.

Receſus ex horto Flos noſter
Dabit protritus in triviis
Odorem ſuum,
Arctatur in vincula myrrhæ Faſciculus,
Et quando in ſacra Deo crevit Tellure
Ad Sacerdotes adducitur,
Pretioſiſſimæ oblationis inquiſiſſimi Judices,
Debitam templo deſtinant tumulo.
Fatigantur in fingenda calumnia
Infulati Poetæ;
Pravitatem ubi non inveniunt,
Supplent ſua.
Nobilis Reus
Non habens quid in tam bona cauſâ defenderet,
Quid in accuſatione tam ſtolida confutaret,
Luculentiſſimam objectis Apologiam opponit
Silentium ſuum.
Dei tamem nomine, quia ſuo, compellatus
Reſpondit.
Ne quæ patientia fuerat
Pertinacia credi poſſet.
Os conatur occludere
Servilis Adulatio Veritati,
Barbaram ſatellitis manum
Illi propius admovet,
Et quantum ſibi coram malo Principe liceat,
Colapho ſuadet.
Ut inurbanus in Aula damnatur,
Qui aſſentator non eſt,
Punitur ibi Blaſphemiæ nomine Veritas;

Comprehenderunt Ieſum, & ligaverunt eum.

Hoc eſt, in Mariæ utero, terra videlicet nunquam à Deo maledicta.

Accuſabant eum in multu, & non erat conveniens teſtimonium illorum.

Ieſus autem tacebat, & qua de cauſa.

Adjuratus per Deum vivum, reſpondit.

Tunc unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens, ſic reſpondes Pontifici?

Aſſentatorum in aulu auctoritas, & licentia ſumma.

Æque enim tacens ac loquens damnatus.

Aſſuetus profuturâ
Placituris præferre,
Pari ibi periculo tacet, ac loquitur.
Sacerdotes, ne malos quidem,
Contempſiſſe vult argui;

Quare Chriſtus objectam ſibi Sacerdotu irreverentiam, noluerit tacitus præterire.

Alia convicia diſſimulavit ſilentio,
Hoc deterſit reſponſo.
Non fuit integrum Dei Filio
Diſſimulare Patris injuriam,

Solus enim perfectus eſt, qui non offendit in verbo.

Qui negaretur perfectus ex eo,
Quod ipſe etiam
Offendiſſe argueretur in Verbo.

Hinc hanſere Sancti contemptum judiciorum humanorum.

Et adhuc magnifaciat aliquis cenſuram hominũ,
Quorum Judicio
Ne ipſe quidem rectè loquutus eſt Deus;
Offenditur malus Princeps unde erudiri debuerat;

Scidit veſtimenta ſua, & ait, blaſphemavit.

Indignum ſe probat veſtibus illis, quas lacerat;
Detegit diloricatus carioſæ cõſcientię, cicatrices,

Cum dixit, neceſſe eſt ut unus moriatur pro populo.

Inſtare Sacerdotio ſuo finem
Prophetavit ante, cum neſciret quid diceret;
Apertius nunc, cum nec ſciret quid faceret,

Habetur ex Ioſepho, & refert Baron. emiſſe Cayphum Sacerdotium ab Herode.

Ad quid aliud, Judæa, à Sacerdote ſperares,
Quem Herodes, non Deus dediſſet?
Rex malus raro ſibi diſſimilem
Elegit Antiſtitem.

ELOGIUM LII.
PETRUM RESPICIENS, SALUTARES SOLVIT IN LACRIMAS.

Matth. 26. *Marc.* 14. *Lucæ* 22. *Ioann.* 18.

Proinde Lucanus benè, exeat aula, qui vult eſſe pius.

Proh quam facilè inhærent vel optimis
Aulæ mores?
Vix ingreſſus in illam piſcator eſt,
Cum illico & ſimulare didicit, & mentiri.

Cœpit jurare, & anatematizare, quia non novi hominem; nota illud, cœpit.

Sine injuria Veritatis
Ne ſecunda quidem aditum invenit ad fores.
Novus tamen in arte mentiendi,

Ita

Ita feliciter exercere illam non pôtuit,
Quin, vel cum mentiretur, promeret vera.
Plane non noverat hominem,
Deſerere illum qui poterat.

Si enim cognoviſſet, ut parerat, utique non deſeruiſſet.

Plane non erat is, quem in horto viderant;
Ille Cohortem contempſerat,
Hic reformidat Ancillam.
Sed nec erat Chriſti Diſcipulus,
Qui Aulam volens, & non coactus intraſſet.
Audaciam hanc utique non docuerat is,
Qui Zacchei, & Plebiorum domos
Vel non accitus adiiſſet,
Ad regias vero trahendus funibus fuerit,
Ut veniret.

Non erat in hoc Chriſti diſcipulus, quia ille aulicismũ ſuos non docuit.

Corripere Janitorem Regni ſui Deus
Oppoſitâ illi Oſtiaria voluit,
Quæ ſolertius cuſtodiret fores Palatii,
Quam ille Cœli.

Non legitur Chriſtus veniſſe in Prætoriũ, vel in Herodis regiam, niſi vinctus. Dicit Petro Oſtiaria, quæ illum introduxerat, nunquid tu, &c.

Inſipiens, qui tacente Sapientia loqueretur,
Facilius reputans poſſe decipi Veritatem,
Quam amantem terreri,
Culpabilius ſequutus captivam eſt,
Quàm cæteri reliquiſſent.

Hoc eſt Chriſto, qui eſt Dei ſapientia.

Ita ſopitus,
Ut ne ſe quidem Galilæum jam ſciret,
Adeſſe ſibi tempus ſurgendi
Ante Gallicinium non agnovit.
Ideo igne indigens
Quia Solem ſuum ſequebatur à longe,
Quos prope undas ardores conceperat,
Prope prunas extinxit.

Negavit etiam ſe Galilæum, ut facilius crederetur non agnoſcere hominem. Gallus cantavit, & recordatus eſt Petrus, &c. & egreſſus foras, flevit.

Noctis illius frigore mitigari debuerant,
Ut ferre eos mundus poſſet.

Vocaverat illum Chriſtus ſecus mare Galilææ.

Juratus perfidiæ ſuæ teſtis
Jam non ſuffert oculum Judicis.
Cum magnitudinem doloris ſui
Atrium, & aula non caperent,
Foras egreſſus,
Vibrato in ſe fulguri, fulmen ne traheret,
Pares illi extinguendo fletus oppoſuit.

Acerrima natura fuerat Petrus, ut notant Patres.

Converſus Dominus reſpexit Petrum, & egreſſus foras, &c.

Minor

Atq; ita in hoc quoque vere ſe Petram, Petrus probavit.

Minor fuerat Chriſto moriente concuſſio,
Si hæc ipſa etiam fracta Petra non fuiſſet.

ELOGIUM LIII.
VEXATUR PER NOCTEM.
Matth.26. Marc.14. Luc.22. Ioann.18.

Cur velarent oculos Chriſto Iudæi.

Firmamentum enim eſt Dominus timentibus ſe.

Quos enim videbat, faciebat illico meliores: ita Zaccheū, ita cæcum natum, & alios.

Speculum noſtrum Chriſtus Drogo Oſt. in ſer. de cœn. feciſti mihi Domine de corpore tuo ſpeculum.

Nunquam ſecurius regnarunt tenebræ
Quam Sole captivo.
Feralis nox
Ne bina quidem in Firmamento noſtro
Sidera tolerat.
Cœca nequitia ut eſt,
Oculatum pati Deum non poteſt.
A tam Sancta Pupilla
Salutare faſcinum metuit,
Quale recens vidit in Petro,
Cui reſpici, & corrigi idem fuit.
Veſanus furor
Objici ſibi ſe ipſum non vult,
Inde accuſatorem turpitudinis ſuæ ſpeculum
Velo interpoſito tegit.
Dei Pulchritudinem
Timet impius amare, ſi ſpectet.
Sui in illum odii tenax

Viſio beatis tota merces, per Theologos.

Eam ipſam viſionem, quæ Beatis præmium eſt,
Pœnam putat.
Experitur quid ſibi liceat,

Genuflexo ante eum illudebant ei.

Qui adorationem quoque contemptum facit.
Veram tamen illius formam
Exprimere vel ſi velit, non ſcit.
Rem Templi nunquam fortaſſe viderat

Perditi legitimum Dei cultum imitari nequeunt, vel ſi velint.

Academicus Popinarum.
Deum, & ſe ipſos fallentium more,
Eam duplici corde,
Et unico exhibuit genu.
Male interrogantibus Reus ſapiens nō reſpōdet.

Accuſabant eum, ille verò tacebat.

Apud ineptos, ac ſtolidos
Opportunius quidquam ſilentio non invenit.

Per-

Percuſſores ſuos illum odiſſe ne crederes
Videri propemodum voluit ignoraſſe.
Quamquam non facilis fuerit
Ad interrogationem reſponſio,
Qua rogabatur edicere à quo foret percuſſus.
In unum aliquem
Conjicere culpam non potuit,
Quæ erat omnium.
Ut ſingulos intelligeres
Omiſit dicere ſingulares.
De iis honorificè loqui non poterat, tacuit.
Qua nocte ſuis non potuerat ſomnum excutere,
Miratus eſt Hieroſolymis
Pernoctaſſe tot Vigiles.
At non hoc primum experimentō didicerat,
Sopiri plerumq; in hominibus Charitatem,
Nunquam invidiam.

Propheriza, quis eſt, qui te percuſſit.

Quare ad interrogationem hujusmodi non reſponderit. Omnes nos quaſi oves erravimus, & poſuit in eo Dominus iniquitates omnium noſtrum.

In ſomnes enim tota ea nocte videntur pernoctaſſe non milites ſolum, ſed proceres omnes, & populus.

ELOGIUM LIV.
PILATO SISTITUR, ET ACCUSATUR.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 18.

Illuxit cœcis tenebrionibus inutilis dies;
Ortus manefacto Sol eſt,
Nec vident adhuc unde veniant,
Aut quo vadant.
Deum ſuum vovent furori victimam
Sacerdotes,
Hoc quoque ſibi in illum jus vendicant,
Ex quo novo emptionis titulo
Suum fecerunt.
Imperiti Nundinatores
Neſcierant non tenere contractum,
Cum læſus venditor ultra dimidium eſt.
Sceleri ne deſit Auctoritas
Illud coacto Concilio publicum faciunt.
Capitalis fit apud Principes,
Qui populo placuiſſet.

Manè autem facto Principes Sacerdotum, & ſeniores conſilium inierunt ut eum morti traderent.

Venditus enim illis à Iuda fuerat.

Certum id ex legibus; Iudas autem utique læſus ultra dimidium.
Invenimus hunc ſubvertentem populum.

 Puniun-

Puniuntur in illo virtutes,
In quo crimina nequeunt.
Teſtium numerus,non fides,attenditur;
Statuitur ſumma piaculi
Neſciſſe peccare dum viveret,
Deſipere dum doceret.
Arguitur ſe feciſſe, quod natus erat,
Se dixiſſe,quod fuerat.
Intentus alienum impedire ſcelus,
Non pœnam ſuam,
Nõ vidit unde melius corrigerethumana judicia,
Quam ingeſta mentione Divini.
At qui nullam Reo aurem ſervaverant,
Non invenere quam darent.
De Nube loquutus in nube creditus loqui.
Captare inania viſus eſt,
Qui ſuam deſcriberet in Aëre poteſtatem.
Ad Profanum forum
Novo ſcelere cauſa ſacra traducitur;
Seſe ad Sicophantiam usque demittunt
Superba capita,
Conſcientiam tanti facinoris
Penes ſe eſſe non curant,
Dummodo ſit ejus ignominia penes Pilatum.
Tam pinguis nequitia
Cœcum alioqui Prætorem non latuit.
Illam,ſi non vidit,palpavit.
Et tam mitem quidem animam
Ciere turbas potuiſſe non credidit;
Ubi tamen accerſitus de Regno eſt,
Non negavit crimini fidem,
Quod probabile faceret
Inſita vultui Divino Majeſtas.
Oneratum tanta Rei gravitate ſe ſentiens,
Moleſtiam hanc
Inimicum in Herodem exonerat.
Adeo apud Magnates
Ipſa etiam plerumque officia,vindictæ ſunt.

Quia filium Dei ſe fecit,ille verò in hoc natus erat.

A modo videbitis filium hominis ſedentem à dextris Dei,& venientem in nubibus cæli.

Et vinctum adduxerunt ad Pilatum.

Princeps Sacerdotum. & ſeniores accuſabant eum.
Sciebat Pilatus, quod propter invidiam tradidiſſent illum.

Duo crimina objecta Chriſto, quod ſubverteret populum, & quod ſe Regem faceret. Pilatus autem non niſi de ſecundo interrogavit, & quære.

Cum adhuc ut Herodis inimicus, audiens Galilæum, dimiſit ad illum Ieſum.

ELOGIUM LV.
AD HERODEM MISSUS ILLUDITUR.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

Condemnatio tua, Chriſte,
Major iniquitas eſt,
Quam ut illam unicum capere forum poſſit.
A ſacro ad profanum rejiceris,
Ut utriusque judicem agere
In utroque Reus ediſceres.
Non miraberis poſthac
De Judiciis querelas pauperum,
Qui eorum expertus in Judiciis fortunam es.
Cauſa minimè quæſtuoſa,
Non invenit in tam multiplici Curia
Cognitorem.
A foro ſuo, & Sacerdos, & Prætor
Reum excludit,
Cui omnis ineſt innocentia, nulla pecunia.
Ditioni ſuæ ſubditum
Bene te non norat Pilatus,
Niſi mox nequiori Domino ſubditum credidiſſet.
Hæreditaria Herodi odia tua ſunt;
A patre hauſit, ut & videre cupiat,
Et illudere.
Et illuſit ille te plane,
In eo vel maxime,
Quod cum tuam tibi Vocem,
Joannem videlicet, ademiſſet,
Adhuc à te reſponſum exigeret.
Lupum quia videras, Agnus taces.
Expectanti monſtra:
Non habes quod majus objicias
Deo miſero, Verbo muto.
Paſcendis Aulæ otiis natus non es;
Utpote qui omnium utilitatem intendis,
Nullius admirationem.
Reges ridiculi tui ſunt, non tu Regum.
De te illi ſemel,

Cur per tot fora traductus Ieſus.

Pauperes enim, qualis erat, vix audiuntur in judiciis.
Cur ii ipſi, qui Chriſtum perditum vellent, ejus à ſe cauſam rejicerent.

Herodes enim, hujus Herodis pater, is fuit, qui innocentes peremit, ut Chriſtum perderet cum iisdem.

Ex Chryſ. vox Chriſti Ioannes: ait enim, Ego vox clamantis.
Tam verè dicitur lupus Herodes, quam Chriſtus agnus.

Quare Chriſtus miracula, quæ exigebantur ab Herode, patrare noluerit.

Et Reges r diculi ejus erunt, ſeu Tyrani, Habac. 1.

Tu de illis ſemper fabulas dabis.
Ut aſſiduè ludas in orbe terrarum,
Hyſtrionicus nunquam extitit luſus tuus.

Occiderat enim Ioannem Baptiſtam.

Homicidam homo mitiſſimus
In Colloquii communionem non recipis.
Mavis ab eo credi fatuus,
Quam parum opportunè feſtivus.

Illuſit eum, & indutum veſte alba dimiſit.

Tranſfiguras te iterum in veſte alba;
Supplet color iſte Patronum;
Tuam deſcribit Innocentiam cum illudit.

Rei in judicio non niſi atrati apud antiquos.

Atratum te tam bona cauſa non patitur,
Candidatus Crucis
Accuſari de illius ambitu potes.

Regis enim, & non Dei ad exemplum componuntur milites.

Condonas exercitui, quod te negligat;
In Herodis enim aula jam noſti,
Plus aliquid Regis exempla poſſe,
Quam Dei.

ELOGIUM LVI.
AD PILATUM REDUCITUR.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 18.

Nato Chriſto canunt Angeli; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Excedit promiſſa ſua Deus in donis;
Pacem promiſit bonæ voluntatis hominibus,
Dedit & malæ.
Pilato, & Herodi odia omnia
Mitiſſimæ Majeſtatis excuſſit aſpectus.

Herodes, & Pilatus facti ſunt amici ea die, cum antea eſſent inimici.

Cum utriq; antea
In nullo convenire ſe crederent,
Ea die in eo agnovere ſe ſimiles,
Quod utrique plurimi facerent homines,
Nihili Deum.

Ariſt. in moralib.

Ita impios, qui veræ amicitiæ capaces non ſunt,
Solius conciliat improbitatis affinitas:
Amici non aliter,
Quàm quia idem omnibus
Inimicus opponitur Deus.

Illum enim dicuntur deduxiſſe, ut crucifigerent, non ut judicarent.

Exigunt à Pilato Carnificis partes, non judicis,
Ad quem Reus non judicandus,
Sed Crucifigendus adducitur,

Fatigatus accuſatorum clamoribus
Hæret in ſilentio Rei.
Extorquet ab eo reſponſum,
Dum intumeſcit deceptus.
Vel cum captivus foret
Superbis reſtitit Deus:
Laudantem ſe à poteſtate non ſua corripuit,
Deſcripſit illi ſe Regem,
Ut à ſe modeſtiam diſceret,
Et quo levius aſſuetum palponibus hominem.
Pungeret admonitio,
Ab innato ſtudio veritatis,fiduciam excuſavit.
Miratus Aulicus eſt nomen novum.
Qui conſenuerat inter Princeps,
Veritatis ne definitionem quidem audierat.
Sibi facile perſuaſit
Illum de hoc mundo non eſſe,
Qui potuiſſet
In tam odioſum mundo munus venire.
Invenit malus diſcipulus
Optimum præceptorem;
Cujus tamen, interrogatione contentus,
Non ſuſtinuit expectare reſponſum;
Utpote qui more multorum
Videri vellet veritatis avidus,cum non eſſet.
Doctrinam ſuam poſitus in ſchola non ſua
Dedignatus eſt explicare.
Enodationem arcani Dogmatis
In Crucis Cathedram diſtulit,
Et taciturnitate ſuos docuiſſe contentus
Non eſſe veritati locum in Aula,
Ubi Adulatio omnia eſt.

Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo, &c.

Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi &c.

Tu dicis, quia Rex ſum ego.

Ego in hoc natus ſum ut teſtim. perhibeam veritati.

Quid eſt veritas?

Regnum meum non eſt de hoc mundo.

Pilatus ubi interrogaſſet, quid eſt veritas? ſtatim exivit, non expectato reſponſo.

Quare Chriſtus in aula noluerit explicare veritatis doctrinam.

Veritas odioſa omnibus, ſed Principibus potiſſimum.

ELOGIUM LVII.
FLAGELLIS CÆDITUR AD COLUMNAM.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19.

Mirum erat ſi ſub timido Judice
Secura ſcelera non regnarent.
Offendit

Ita ſecura, ut vel ipſum deicidium pararetur in meridie.

Offendit in latrones,

Alludit ad illum, qui deſcenderat de Hieruſalem in Ierico. & incidit in latrones.

Vel ipſo Prætoris in Atrio, Viator Deus,
Nudatur veſtibus ſuis,
Semivivus & ipſe
Plagis impoſitis relinquendus.
Sitiens non aquam ſed ſanguinem
Populus Moyſis,

Bibebant de conſequente eos petra: Petra autem erat Chriſtus.

Virgis iterum conſequentem ſe Petram ſollicitat.
Ulciſcitur illa beneficio vulnus,
Et Plagis petita dat ſcatebras
Quales amant.

Conſuetudo apud antiquos exponendi ad columnam libros, quos edidiſſent, unde Juvenal. & aſſiduo fracta lectore columna.
De hoc Lucianus in dial. Scytha, ſeu de Amicitia.

Librum ſuum ſcriptum intus, & foris
Deus quoque ipſe cenſuræ hominum
Ad columnam exponit.
Bene nunc aſſiduo lectore frangatur,
Quando quod in ea affixum eſt Verbum,
Arcana Dei omnia continet.
Diruite, Scythæ, Columnam
Ex Pyladis, & Oreſtis hiſtoria
Veri Magiſtram Amoris;
Nobiliora ſuæ Charitatis emblemata
Ad eruditionem omnium gentium
In Columna altera ſtatuit Deus.

Euriſthei. & Herculis notiſſima fabula.

Amorem nactus Euriſtheum Alcides noſter,
Nullam ſibi indulgeri ab eo ſentiens
Laborum metam,

Alludit ad columnas Herculeas.

Ibidem plus ultra,
Ubi alius, non plus ultra, deſcripſit.
Fabuloſa Virtus ſe claudi terminis paſſa eſt,
Quod pati vera non potuit.
Monſtrum fuerat lapſum Mundum
Sine columnis erigi;

In columna ignis, & nubis ductus populus ab Ægypto.
Sampſon templum Dagon diruit excuſſis columnis, Iudic. 16.
Pilatus flagellavit Chriſtum, ut emendatum dimitteret, non ut occideret.

Et à Pharaone duriori
Meliorem Dei populum eripi,
Quin ei index itineris
Sua etiam Columna præiret.
Timeat templo ſuo Dagon;
Sampſon alter Columnas amplexus
Hoſtium ſuorum ruina ſepelire ſe præparat.
Quam non mitior Lictoribus Judex eſt,

Qui

Qui vel in ipſa crudelis Clementia,
Hoc unum punit in Reo,
Quod nullam in eo cauſam invenerit?
In foro nequitiæ
Fuit ſemper innocentia ſummum crimen.
Qui te tamen, mi JESU,
Ex ore judicet tuo, credat
Te ſaxo alligatum Promethei pœnas luere,
Quod & ipſe, te teſte,
Ignem veniſti mittere in terram.

Ego nullam invenio in eo cauſam.

Prometheus alligatus Caucaſo, quod ignem furatus eſſet è Cælo. Luci. in Prometh.

ELOGIUM LVIII.
SPINEA REDIMITUR CORONA.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioann.* 19.

In Regno patientiæ
Non aliud coronat, quam quod cruciat.
Spinatum Deum finxerint Ethnici,
Fecere Judæi.
Ex radiis novam ſpeciem Divinitatis intelliges.
Viarum curator
Moras itinerantium præcavens,
Impedimenta pedum in capite ſepelit.
Quidni Arbores
Rhamnum olim in Regem eligerent,
Tanto quandoque ſeſſurum in vertice?
Colligamus de Spinis uvas,
Ex quo vepres inoculantur in Vite.
Labile unicum, Chriſti Regnum non eſt;
Illius unius corona radices habet.
Ita robuſtè mavult, quam venuſtè regnare.
Initiandus in Dolorum arte Magiſter,
Poſt examen ſeverius laureatur,
Arundinea tamen Rude donatur,
Ne gravis cuipiam diſciplina ejus accideret.
Qui linguam nequam audierat,
Debuit de præſcripto Sapientis
Spinis aures ſepire.
Sine phaleris videri Veritas amat:

Deus ſpinarum apud Rom. ex Auguſtino de Civit. c. 2, lib. 4.

Iudic. 9. dixerunt omnia ligna ad rhamnum, veni & impera ſuper nos.

Chriſtus vitis pluribus locis dicitur.

Nulla enim alia corona ita inhæret capiti, ut quæ fixa.

Laureatus vir dolorum, & ſciens infirmitatem.

Eccleſiaſtici 28. Linguam nequam audiſti? ſepi aures tuas ſpinis.

De Chriſto, Iſa. 58. & vocaberis ædificator ſepium.

Sentes mavult tolerare,
Quam frondes.
Sepire vineam ſuam venit
Bonus Agricola,
Colligit undequaque materiem ſepium,
Id unum ſtupens, ac dolens,
Quod terra etiam, quæ maledicta non fuerat,
Spinas ferret.

Terra autem maledicta dictum, ſpinas, & tribulos germinabit.
Impii enim Sap. 2. non ſit pra[illegible]um, quod non pertranſeat luxuria noſtra: coronemus nos roſis, &c.

Coronaris devota ſacrificio victima;
At quia Luxuria hominum
Omni jam roſas legit ex horto,
Solæ tibi ſpinæ ſuperſunt.
Sub ludicro palliaſtro
Rex verus;
Id quod natus fueras
Te negare non auſus,

Regnum Chriſti regnum omnium optimum.

Quod nullus tibi invideat,
Regnum ambis.
Meliori utique dignus
Niſi hoc ipſum feciſſes omnium optimum,

Omnia enim dederat ei Pater in manus.

Quod omni accepta à Patre optione,
Elegiſti tuis, ac tibi.

ELOGIUM LIX.
OSTENDITUR POPULO, ET EXSIBILATUR.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19.

Tota ea nocte fuit Chriſtus inter milites.

Inter Milites quies eſſe quæ potuit
D[illegible]eo Pacis?
Perierat illi plurimum de laude patientiæ,
Niſi quæ armatis licent, toleraviſſet.

Vſus enim ferri ferreas mentes facit.

Duriores illos expertus eſt ferro ſuo:
Crudeles Ludiones hilaravit illuſus.

Induerunt eum clamyde coccinea: coronarunt ſpinis, & dederunt arundinẽ in manu ejus.

Suis eos deſcriptos ſibi vidit in donis;
Leves agnovit ex Arundine,
Cruentos ex purpura,
Rapaces ex Spina.
Nobilis Actor ferali ſcenæ ſerviens
Dum ageret Regem

Tribu-

Tributi nomine alapas collegit, & ſcomata,
Apud talem populum ſciebat
Sola hæc abundare.
Gratulationes ludicras de vero Regno
Conſentientis in morem tacitus excipit.
Spectari jam vult, non audiri,
Quia pro una lingua tacente
Mille loquuntur in eo vulnera.
Agit Pilatus deſiderii hujus interpretem,
Eum foras educens;
Improperat cæcitatem ſpectantibus,
Quibus deſcribit illud ipſum, quod objicit.
Ne credatur congeries vulnerum,
Appellatione hominis
Occurritur oculorum errori
Irritatur ſpectaculo illo barbaries,
Non expletur;
Apud præoccupatos ab ira
Non invenit miſeratio locum.
Cruorem, quem avent conculcare,
Supra ſe poſtulant,
Et quo tanti pœna ſceleris
Manet in plures,
Ipſa poſteritas culpæ vocatur in partem.
Non ſufficit timor infelix
Liberare, aut ſe à moleſtia,
Aut innocentem à pœna.
An non illi igitur
Omni jure celata definitio Veritatis,
Qui ita parum patrocinari cognitæ poſſet?
Homo Bulla
Ad primus vulgi fractus eſt flatus.
Oblitus illico Deum eſt,
Cum ſibi Cæſarem, Plebemque propoſuit.
Abiit in accuſatorum perfidiam,
Quam damnaverat.
Ita omnis fuit illi ratio furoris alieni,
Nulla muneris ſui.

Regibus populi non dant, niſi ea, quibus abundant.

Qui enim tacet, conſentire videtur.

Eduxit enim illum foras ſpectandum.

Quare dixerit Pilatus, Ecce Homo.

Audientes Pilatum cœperunt magis clamare, tolle, tolle.

Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.

Hæc cum audiſſet Pilatus, magis timuit.

Cur non meruerit Pilatus audire à Chriſto, quid eſt veritas?

Homo bulla, eſt in adagiis, hic pro Pilato accipitur.

Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis enim, &c.

ELOGIUM LX.
POSTHABETUR BARRABÆ, ET CONDEMNATUR.

Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioann.19.

Impetu enim, non ratione populus ducitur.

Aptare legibus popularem veſaniam
Sperare nemo potuit niſi veſanus.
Suetus attendere quæ placerent aliis,
Non quæ ſe decerent,
Facilitate Crudeli
Perdit ſemetipſum, & Deum.

Nemo poteſt duobus Dominu ſervire: aut enim unum reverebitur, & alterũ contemnet, &c. Reveritus enim Cæſarem, & Principes Sacerdotum, Deum contempſit.

Cautus ut eſſet, ac ſolers
Ne ipſe quidem duobus
Servire Dominis potuit.
In eo venia non dignus,
Quod deteriorem reveritus
Meliorem contempſit.
Pilato vigilanti non audent
Conſilia præclara ſe ſiſtere;
Ad illum non niſi per uxoris ſomnia veniunt.

Sedente illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens, &c

Terretur hæc viſis;
Magis ille tamen auditis.
Plane frater mortis eſt ſopor;
Imminentem Sorori à Chriſti cæde perniciem
Aut prohibere per ſomnia voluit,
Aut differre.

Videns Pilatus, quia nihil proficeret, lavit manus.

At male monetur cæcus per viſa,
Et apud Impios
Quælibet Dei monita ſomnia ſunt.
Miſeri Principes,
Quos Magiſtratuum falſa modeſtia,
Tam ſæpe populis contemnendos exponit.
Et tu, Cæſaris amicum te dixeris,

Pilatus in ſuo metu Cæſari injurius, quem timebat.

Qui metu tuo nequiorem illum judices,
Quam ut placere illi valeat juſta decernens?
Atqui ſenſeras de Deo ipſo nil melius,
Qui ad datam ab eo legem Judæos dimitteres,

Alludit ad illud, accipite eum vos: & ſecundum legem veſtram judicate eum.

Ac ſi poſſet per illam licere
Innocentis Oppreſſio,
Quæ non licebat per tuam.

At

At popularis auræ captator,
Ita quos places attendis,
Ut quem plectas non videas.
Infontis merita oppoſitis Barabbæ ſceleribꝰ juvas
Non feliciore conſilio, quam eventu,
In eo plurimum injurius cauſæ tam bonæ,
Quod eam niſi compoſitam peſſimæ
Videri venia dignam non crederes.
Impie, linguam abſterge, non manus.
Contractam labem aqua non eluit,
Quam nec æternus ignis purgabit.
Cave te coactum excuſes;
Memorem mendacem eſſe par eſt,
Jactaſti te poſſe dimittere;
Volens igitur perdidiſti.

Quem vultis dimittam vobis, hunc, an Barabbam?

Manus lavabat, cum totum ejus ſcelus eſſet in voce, & corde.

Inexcuſabilis Pilatus, dixerat enim potestatem habeo dimittere te, &c.

ELOGIUM LXI.
CRUCEM BAJULAT IN CALVARIAM
Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Purpuram exue venturus ad Crucem;
Bene Regem non exprimis
Tuo nondum fixus in Throno.
Quid tibi cum Arundineo ſceptro commune?
Illo abjecto Crucem aſſume;
Gravior ut hæc ſit, erit & gratior;
Eam ſi tuleris, rependet beneficium, cum te feret,
Tuas iterum veſtes induere;
Mariæ labori venerationem hanc debes.
Ut quamdiu non elegeris nudus incedere,
(In die præſertim deſponſationis tuæ)
Alia tegumenta non quæras.
Recuſare ſarcinam neſcis,
Quæ tuos beat amores, cum gravat humeros,
Illi tamen impar ferendæ
Eo ipſo, quo relevaris labore, torqueris.
Gravat te beneficium,
Quod extorquetur invito.
Condonanda tamen Ruſticitas

Induerunt eum iterum veſtibus ſuis, atq; ita exuerunt purpura.

Veſtes Chriſti, traditio eſt, fuiſſe à Maria contextas.

Non enim minus quàm Andreas dicere poterat, ò bona Crux diu deſiderata.

Angariaverunt Simonem Cyreneum venientem de villa, ut tolleret crucem ejus.

De

De villa venienti.
Condonandus & horror feralis ligni;
Odere Crucem homines;
Nimirum fures ſunt,& Latrones.
Agnoſcit ſudoris tui pretium
Obvia Berenice;
Nobiles ſordes in linteo colligit,
In quo & accipit vultum tuum.
Extare ubique volueras Dolorum tuorum
Imaginem;
Ubi illos non potes in animis,
Pingis in telis
Erant hæc artis tuæ rudimenta
Sindonem facere perdiſcentis,
Expertus te Primum es
Reſpondens Abagaro,
Nunc tanti operis molitioni jam proximus
Non ultra delineandi,
Sed colorandi peritiam probas.
Agunt nondum mortuo Præficas
Piæ mulieres;
Miſerationem tamen non laudas,
Quæ tolerantem injurias lugeat,
Cum lugere magis debuerit inferentes.
Totas ibi lacrimas impendi non vis,
Aliis miſeris hujus cedis partem ſolatii,
Damna non paſſurus fortaſſe lugeri tua,
Niſi ipſa etiam noſtra eſſent.

Ità ferè ad verbum Drogo Oſt. in ſerm. de cœna Domini.

Berenices, ſeu Veronicæ hiſtoria ſatis nota.

Abagaro enim Edeſſæ Principi miſit Chriſtus imaginem ſui expreſſam in lino.

Occurrerunt ei in via piæ mulieres. Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.

Damna Chriſti, ideo damna noſtra, quia ſine peccato noſtro non ſunt.

ELOGIUM LXII.
NUDATUR VESTIBUS.

Matth. 27. *Marci.* 15. *Luc.* 23. *Ioann.* 19.

Ex quo ſe ipſum ſuprema deglutivit in Cœna,
Concepto igne febricitat Amor meus.
Cœnaculi vel capaciſſimi
Jam non ferens anguſtias,
In Horti aperta reſpiraturus proſiliit,
Et iterata toties emiſſione ſanguinis
Exper-

Æſtus in Chriſto, Eucharſtia ſumpta: Deus enim ignis conſumens eſt.

In horto, ad columnam, in Spinea corona.

Expertus ardorem non minui,
Tegumentis abjectis duro reclinatus in ſtrato,
Frigidorem in Monte aërem nudus captat,
Athleta Nobilis
Supremam evocatus ad luctam,
Omne de ſe ſpolium hoſtibus ademprurus,
Impedimenta veſtium exuit.
Miſerata Nuditatem Parentis ſui Natura eſt;
Involvere illum tenebris ſtuduit.
Tantas tamen ille eſſe non patitur,
Quin clarè cernere vel ad illas non liceat,
Furem ſe quamvis creditum
Nihil à tellure aſportare ſe tamen,
Præter Clavos,& Vepres,
Cum alioqui,teſte Matre,quæ aderat,
Qualis venerat,talis abiret.
Ad Nundinas Ærumnarum ſuarum
Coacto Mundo,
Ambitione quadam miſeriæ
Ne unum quidem de acceptis verberibus
Paſſus eſt tegi.
Ne poſſet argui minus honorificè ſenſiſſe
De ſui pretio ſanguinis,
Illi ſi purpuram quamlibet prætuliſſet,
Præ illo, vel cum Rex credi potiſſimum vellet,
Omne aliud paludamentum contempſit.
Baptizandus Baptiſmo,
Quo tamdiu ambierat baptizari,
Ad novi delicias balnei
Nuditate ſe præparat.
Mortis ſuæ ſtudium in Lictoribus,
Quia conveniebat cum ſuo,
Datis munerat veſtibus;
Scindi tamen illas non vult,
Hinc etiam probaturus
Quam amaret integritatem in moribus,
Qui eam ne lædi quidem
Pateretur in veſtibus.
Revixiſſe Innocentiæ Sæculum
Mundus credat.

Quan-

Alludit ad ægrotos, qui ex ardoris impatientia, ſtragulas, & veſtes abjiciunt.

Athletæ nudi in arenam deſcendebant.

Alludit ad filios Noë, quorum hiſtoria ſatis nota ex Gen.c.9.

Nudus diſcedebat à mundo, qualis venerat è ventre matris.

Chriſti ambitio, Crux, & verbera.

Nulla purpura par Chriſti Sanguini.

Baptiſmo nimirum Sanguinis ſui.

Non enim minus ardenter deſiderabat vitam dare, quam Iudæi deſiderarent eripere.

Et dixerunt, non ſcindamus eam, ſed ſortiamur cujus ſit.

In ſtatu innocentiæ Adam nudus.

Googl

Paradiſus Chriſti in Cruce, & tormentis.

Quando novus Adam in Paradiſo ſuo
Iterum nudus incedit.

ELOGIUM LXIII.
AFFIGITUR CRUCI.

Matth. 27. *Marci.* 15. *Luc.* 23. *Ioann.* 19.

Pandora Deorum nutrix, aperta pixide, in qua bona omnia acceperat, avolaſſe omnia comperit.

Pandoræ infortunio mortales admoniti
Didicere jam tandem
Fugæ libertatem non relinquere
Summis bonis.
Unum nunc igitur nacti, in quo ſunt omnia,
Ut ſit in mundo ſtabile, figunt.
Felices ſi ſcierint
Sua huic alligare vota, ne fluctuent.

Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Pſ. 68. Iſa. 25. & extendet manus ſuas, ſicut extendit natans ad natandum.

Demerſit Tiphin noſtrum tempeſtas;
Adhæret ligno Naufragus,
Et in eo Brachia
Quaſi Nataturus extendit.
Cum omnia dederit ei Pater in manus,
Retinere illum quidpiam velle ne crederes,
Stringere illas ne poſſet
Clave voluit prohiberi.
Ita tenaces Prodigus
Ne in compreſſa quidem imitari potuit manu.

Advocatum enim illum habemus apud Patrem.

Coram Patre interpellaturus pro nobis,
Obſecrantis in morem extendens brachia.
Figi illa vult,
Ceſſaturum illum, ut Moyſem
Et defatigatione ne putes.

Cum ex defatigatione demitteret brachia Moyſes, vincebatur populus, ut habitur in Exodo.

Ab hora ſexta, uſq; ad nonam Chriſtus in Cruce vixit.

Ubi cubet in meridie, ultra Sponſa non quærat;
Hora ſexta,
Quo ſit æger reclinatus in ſtrato, perdidicit.
In eo ille ad horam uſque Nonam ſe torquens,
Cum ne nox quidem ſuperinducta
Conciliaret ſoporem,
Memor tandem Cervicalis,
Quo Ioannes erat uſus in Cœna,
Supra pectus & ipſe recubuit ſuum.

Atq; ita inclinato in pectus capite tradidit Spiritum.

Qui audierant

Futu-

Futurum ut omnia traheret elatus à terra
Niſi clavis manus impediant,
Securos ſe ab earum rapacitate non credunt.
Antiquaturus decretum Deus,
Quod erat contra nos,
Ut de Ligno Vitæ
Tuto jam comedere homini liceat
Eum illi fructum appendit,
Ex quo, niſi te nutrias, moriaris.
Militares animos Pax noſtra concepit;
Erecto labaro otiari jam ſuos prohibet,
Non aliud iis ſcutum exhibens,
Quam id ipſum, quod ſignum eſt.
Felix, qui vel in hoc, vel cum hoc,
E Bello redierit.
Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparat.
Affixa ſalus tua Cruci eſt,
Salutem ſine Cruce ne ſpera.

Et ego, ſi exaltatus fuero à terra, &c.

Ad Coloſſ. 2. delens quod adverſui nos erat chirographum decreti, affigens illud Cruci.

Niſi enim manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.

Alludit ad Lacedæmonas cum dantes ſcutum filiis deſcendentibus ad bellum.

Matth. c. 5.

Chriſtus ſalus noſtra.

ELOGIUM LXIV.
REX JUDÆORUM INSCRIBITUR

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19

Cum cætera omnia lubens hominibus ceſſeris,
Avidiſſimus Ærumnarum
Unam tibi Crucem reſervans
Non contentus Pedum poſitione
Poſſeſſionem ejus adiiſſe,
Eidem nominis tui cautionem affigis.
Illam tibi vix ullus invideat,
Quam ita oneroſo poſſides titulo.
Condimentum aliquod dolonbus tuis quærens,
Suavitate Nominis tui
Nullum opportunius inveniſti.
Admoviſti illud propius ægro capiti,
Et eo quaſi galea uſus
Irato oppoſuiſti te cœlo.
Officinam ſummus Archiater aperiens,
Quo inveniri commodius poſſit

Crucem ſuam nulli dedit Chriſtus.

Ita enim accipitur poſſeſſio per Iuriſtas

Quare Chriſtus nomen ſuum affigi propè ægrum caput voluerit.

In officinis appendi ſolita Hieroglipbica peculiaria.

Illi Hyerogliphicum Salutis appendis.
Abire, ut lubet, potes ad Patrem;
Patentes habes ab hominibus litteras,
Quibus quam egregie opus tuum impleveris,
Certo conſtet.

Vt ita conſtaret fide publica id, quod dicebat, opus conſummavi, quod dediſti mihi.

Propugnaturus Crucis in Cathedra Theſes tuas,
Quó ſit libera omnibus arguendi facultas,
Earum publice proponis epitomen.

Ex Aug. Crux Chriſti, non ſolum lectus eſt morientis, ſed & cathedra docentis.

Impugnavit extremam partem Judæus,
Qui te rege Agnito,
Perduellem ſe diffiteri non poſſet.
Inanem de nomine quæſtionem
Dignatus reſponſo non es,
Illam ipſam irriſit litis præſes Pilatus,
Videre neſciens
In quo poſſet Cavillator diſtinguere,
Ab eo quod Veritas diceret, id quod eſſet.

Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum.

Nobile ſymbolum veri Amoris expoſitus
Lectorem ne lateant in te reconditi ſenſus
Hæbraica, Græca, & Latina
Elucidaris Epigraphe.

Symbolum, ſeu impreſſio debuit à ſua epigraphe anima.

Sapit hæc ſtylum tuum;
Illam Pilatus dictante te ſcripſit;
Voluiſti tamen illum
Ante manus abluere,
Quo demum minus impurus
Nomen Sanctiſſimum attrectaret.
Superaverat hominum fidem Charitas tua;
Ne ſuis quidem ullus crederet oculis
Potuiſſe pro ingratis tanta te pati,
Niſi ſcripti publici auctoritas
Extroqueret aſſenſum.

Pilatus enim ait, quod ſcripſi, ſcripſi. Quare autem antea manus abluerit. Vnde multi dixerunt Crucifixum Phantaſma, non Chriſtum, ſed hæretici.

Tuus in te aſpectus non eſt;
Suppleri illum affixione nominis jubes,
Quia nullibi minus ignorari vis,
Quàm in Cruce.

Iſaia cap. 53. Aſpectus ejus in eo non eſt,

Atq; ita, ut in ea videri poſſet, & celebritatem Paſchatis expectavit. & cæco Langino oculos dedit.

ELO-

ELOGIUM LXV.

MEDIUS INTER LATRONES IN CRUCE.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Proh quàm adhærent homines malis ſuis?
Qui veniſti illa minuere
Fur es creditus.
Orta tecum hæc de te ſuſpicio eſt,
Artis ſuæ conſcium
Primus Herodes expavit,
Vel cùm te faſciis vinctum ſciret
Tuis ſceptro ſuo cavit à manibus.
Securus tamen à te eſſe potuerat,
Qui undequaque perditus non haberet,
Unde talem allicere latronem poſſet.
Omnia te de repetundis accuſant;
Quia ubicunque fueris
Omnia rapuiſti.
Qua hora dormiunt homines
Quaſi per inſidias eo egreſſus ex utero,
Ex quo te Mundus non expectaret,
Secus viam in ſpecu latuiſti.
Erronum more
Vel ipſa ſemper hoſpes in patria,
Curatione Corporum ad Cordiũ rapinas abuſus
Ne ſua quidem morti cadavera
Reliquiſti.
Quidni igitur latronum fine deſineres,
Qui latronum initiis cœperas?
Latroni cuicunque
Præferri in pœna debueras,
Qui non humana, ut cæteri,
Sed homines rapuiſſes.
Nequicquam tamen
Tam ſevero correctus ſupplicio
Furta luens in Cruce,
Adhuc ipſos etiam furatus es fures.
Induxiſti noctem
Novis latrociniis opportunam;

Non enim dicitur è mundo aliud tollere, quam peccata, & calamitates.

Cum natus Chriſtus eſt, turbatus eſt Herodes, metuens ne ſibi Regnum eriperet.
Rapuit cælo ſtellas, oriente magos, gregibus paſtores, tumulis cadavera.

Quis enim ſuſpicari unquam potuiſſet Virginem matrem futuram?

Quos Chriſtus ſanabat in corpore, docent Patres ſanaſſe etiam in animo à peccatis.

Atq; ita Crucifigi medius inter eos.

Pollicendo illi cælum, & rapiendo in Paradiſum, ut in bono latrone ſatis patuit.

Bacchatus in illa es vel in tumulos.
Ut tamen artificio furacitatis tuæ
Plauſerit Mundus,
Adhuc multa, in quibus peritiam hanc
Experiare ſuperſunt.
Quamdiu mihi me ipſum non rapias,
Fur mihi parum callidus es.
Amate Deum, Mortales,
Qui non aliud vobis
Quam Attributum infelicitatis inviderit.
Aſſuetus Modeſtiæ genio in noviſſimo loco
Recumbere,
Ubi factus fellis veſtri conviva eſt,
Legis jam prope immemor ſuæ
Non Expectavit ut moneretur aſcendere.
In Cœlo ſedens contentus Patris dextera eſt,
Inter miſeros plus aliquid ambiens
Non ſecundas, ſed primas petit.

Plauſiſſe viſus mundus cum petra ſciſſa ſunt, &c.

Hæc enim omnium difficillima rapina.

Vt enim jam erat. Omnium optimus, ſapientiſſimus, &c. ita & dici omnium mitiſſimus voluit, Luca cap. 8. Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in noviſſimo loco, &c.

ELOGIUM LXVI.
EJUS CALAMITAS COELUM COECAT.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19.

Agnoſce Clementiam Deo parem.
Tot laceſſitus injuriis
Ulturus ſe more ſuo,
Excitato in hoſtium ſuorum perniciem Cœlo
Tegere illos ſuperinducta ſtuduit nocte.
Domui ſuæ moriturus diſponens,
Memor rapuiſſe ſe olim dum naſceretur
Horas aliquot Nocti,
Reddere illas, antequam diſcederet, feſtinavit.
Inferorum valvas, eo deſcenſurus aperiens,
Eructata inde caligine
Diem oppreſſit.
Excuſaturus apud Patrem
Popularium ſuorum nequitiam,
Quo facilius ſuaderet
Neſciſſe illos quid facerent,

Tenebræ in Chriſti morte ſumma ejus clementia indices, & cur.

Qua nocte natus eſt Chriſtus, fama eſt, ſolem conſuetum tempus præveniſſe naſcendo.

Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.

Qui ambulat in tenebris, ille teſte, neſcit quò vadit.

Amotis

Amotis luminibus cœcos facit,
Turbata in ſuo fonte lux eſt.
Fluere ultra pura non potuit.
Non toleravit meridianam lampadem
Sacrificium Veſpertinum.
Exprobrare beneficia neſciens Deus,
Ferme omnia nocti committit, ut lateant.
Hoc omnium Maximum,
Oſtentare in meridie voluiſſe ne crederes,
Adductis tenebris arcanum fecit in publico.
Mutatione veſtium
Confeſſus ſe Reum Sol eſt;
Nocentes radios ſordidatus abjecit,
Quibus in Dei damna cognoſceret
Clavos, Vepreſq; conceptos.

Sacrificium Chriſti utiq; Sacrificium veſpertinum, mortuus eſt enim veſpere.
Vt nativitatem, inſtitutionem Euchariſtiæ, &c.
Rei mutabant veſtes, ut patet ex Tullio pluribus locis.

Factam tenebris poteſtatem inimicus indoluit;
Earum horam ſpectavit averſus,
Et novæ ſe luci præparans
Extinxit antiquam.
Exemplo tam pudendi facinoris
Vitiari timuit oculus Mundi.
Animalium Diviniſſimi famæ conſultum,
Dum ſummum illius piaculum
Involutum eſt nocte.
Suam in homine imaginem Deus,
Cum depravata potiſſimum eſt,
Ex defectu luminum noluit eſſe conſpicuam.
Eo conſilio viſus univerſa turbaſſe,
Ut dum ſuo ſingula intendunt periculo,
Quid peccarent homines, non notarent.
A Mundo majore
Minor Mundus luctum ediſce.
Beandum te cum Cœlo ne ſpera,
Si cum Cœlo non luxeris.

Senſerat quodammodo dictum à Chriſto; hac eſt hora veſtra, poteſtas tenebrarum.
Sol oculus mundi.
Hoc eſt deicidium.
Quare turbavit Deus omnia in morte Chriſti?
Mundus minor Homo à majore docetur Chriſti pœnam lugere.

ELOGIUM LXVII.
TORQUETUR MALI LATRONIS EXITIO.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Lucæ* 23. *Ioann.* 19.

Ne tu plane Malus es Latro,
Qui ne pendentem quidem coram te Vitam
Scieris ſuſſurari.
Non profuturæ ſalutis intentus aucupio
Eam, quæ beare te poterat, perdidiſti.
Non meruiſti ſcelerum veniam abuſus pœna;
Amare te Chriſtus non potuit,
Quia Crucem oderas;
Corrigere neglexit,
Quia nihil ex Cruce profeceras.
Invidum te ſublimitatis ſuæ ſenſit,
Qui eum monueris, ut deſcenderet;
In eo prodens quã non honeſta opinareris de illo,
Cujus deſideria crederes
Eadem eſſe poſſe cum tuis.
In mala cauſa peſſimo uſus argumento,
Benevolentiam Judicis
Unde lucrari ſperaveras, amiſiſti.
Laudare illi Crucem debueras, ut placeres.
Habet in illa delicias ſuas omnes,
Quas accuſare auſum,
Si non Satanam, ut olim Petrum, appellat,
A Conſortio Regni ſui tanquam talem excludit.
Hominum optimo
Majorem injuriam querulus irrogaſti,
Cum quo perire fortunam non crederes
Ipſi vitæ uſui præferendam.
Voluiſti blaſphemus
Suavitatis Deo famam minuere,
Cum quo Mortis iter ingreſſus
Adhuc mœrere potueris,
Ac ſi tam malum iter
Tam bonus ſolari non ſufficeret comes.
Ut Chriſtum eſſe illum credas
Abire jubes à Cruce,
In qua ideo ſolum perſiſtit, quia Chriſtus eſt.
Tui ſimilis neglexiſſet laudem conſtantiæ,
Ut acerbitatem fugeret pœnæ,
Quod à te tam diſſimilis
Ideo non potuit; quia non debuit.

Deut. 28. erit Vita tua quaſi pendens ante te.

Salvum fac temetipſum, & nos.

Inde enim occaſionem ſumpſerat blaſphemandi. In hoc filius diaboli, qui dicebat, & Chriſto, mitte te deorſum, ut notat Chryſoſt. Hoc eſt, ſi filius Dei es, & Rex Iudæorum, ſalvum fac, &c.

Vade Satana, ſcandalo tu mihi es, dixit olim Petro avocanti ſe à Cruce.

Ita Phocion ſecum morituros arguit, quod lugerent cum Atheninſium optimo tollendi.

Quam gravem intulerit injuriam Chriſto latronis impatientia.

Ita enim docent Patres, deſcendere illum non debuiſſe, quia Chriſtus erat.

Non debuit, ne imperfectum relinqueret opus noſtræ ſalutis.

Gemina morte pereunti
Teſtis adeſſe recuſat mitiſſimus Spiritus;
Maturat ad Inferos iter ſuum,
Ibi eſſe malens ubi nulla Redemptio eſt,
Quam ubi tanta eſt ſine fructu.
Malum Latronem ne præteri,
Qui bonum attendis.
Portum Salutis utrinque ſcopuli obſident;
Ne credas igitur ſine cauſa
Inter hanc geminam Pharon medium ſtare.

Quare Chriſtus mortuus ante latronem, unde non fregerunt ejus crura. Sunt qui probabile putant ſpectandum Chriſtum ſe præbuiſſe damnatum ad terrorem. Ita ferè Tertullianus, quotlib. de pœnit. vocat Davidem, & Pharaonem geminam Pharon humana vita.

ELOGIUM LXVIII.
HILARATUR BONI LATRONIS SALUTE.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Lucæ* 23. *Ioann.* 19.

Incidiſti in latronem, Viator,
Siſtendus es.
Cave Fraudem;
Latroni, ne bono quidem, fidendum.
Ita perditus, ut de illo non aliud ſit ſervatum,
Quam quod perierit,
Ex latrocinandi libidine
Poſteritati prope furatus eſt nomen ſuum.
Vitam ejus tibi mors ſola deſcribat,
Omnium peritus viarum,
Niſi ejus, quæ duceret ad honeſta,
Ubiq; vagus, ubiq; profugus,
Ut inveniri ſemel a Deo poſſet, figendus fuit.
Flagitiis initiatus ad pœnas,
Infortunio ſuo felix,
Pereundi occaſione ſervatus eſt.
In eadem cum Innocentia damnatione,
Non cauſa,
Ejus locatus ad dexteram,
Juſtus videri potuit, antequam eſſet.
Tunc primum certior factus
Stare ſemper Probitatem in medio,
Sodalem arguens, ſe ipſum accuſans
Ab utroq; receſſit extremo,

Hoc Elogium, boni latronis epitaphium eſt, & in ejus tumulo inciſum ſupponitur. Pauca enim de hoc latrone cognoſcimus, ut ex Theoph. Raynaudo in lib. de hoc ipſo eruditiſſime, ut cætera, ſcripto.

More enim latronum inſidiabatur itinerantibus.

Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es.

Ad dexteram enim Chriſti ponuntur Agni, hædi ad ſiniſtram.

Dei abſolutus in foro
Statim ac damnatus in ſuo,

Non enim mortuus antequàm fuſte frangerent ejus crura.

Cruci firmius adhærens mente; quam corpore,
Ex ea non niſi fuſte pulſus abſceſſit.
Peregrino Regi
Ad anguſtias redacto miſericors,

Et nos quidem juſtè, hic autem nihil mali fecit.

Chryſol. ſerm. 61. tunc rapuit paradiſum, quando latrociny ſui pœnas eſt appenſus ut ſolveret.

Beneficiis eum adortus,
Ad Regni ſui deditionem coegit.
Ne tum quidem immemor artis ſuæ,
Cum propter illam periret,
Mutavit furti materiem furacitate retenta.
Viatori Deo non profuit
Diſſimulaſſe nuditate Theſauros;

Erant in Chriſto Theſauri omnes abſconditi.

Exeuntem de Mundo in aërem usque ſequutus
Adhæſit lateri,

Cum tenebræ factæ fuiſſent per univerſam terram.

Et feſtinatæ noctis opportunitate uſus,
Quando jam non poterat manu,
Furatus eſt halitu.
Turbatum Cœlum eſt,
Cum jam violenti raperent illud;
Gazis ſuis timuit trepidum,
Cum eas cerneret furibus patuiſſe.

Multi enim ex eo, quod hujus exemplo pœnitentiam ad mortem usq; differunt, miſere pereunt.

Iterũ Viator, te moneo; latroni plus æquo ne fide;
Plures hic piè moriendo, quàm impiè vivendo
Peremit.

ELOGIUM LXIX.
SITIENS FELLE, ET ACETO POTATUR.

***Matth.* 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19.**

Vvaeorum, uva fellis, & botri amariſſimi.

Præter fel, & Acetum
Quid propinet ſitientibus Mundus non habet.
Ingens tamen fortuna hominum,
Quod expertus id Jeſus eſt.
Huic quoque conſulturus incommodo,

Animarum jumenta corpora ſunt, unde Hieron. Aſellum ſuum vocabat.

Aperiet in latere fontem,
Ex quo mox bibant Nobiles animæ,
Et earum jumenta.
In meridie Charitatis ſuæ

Circa

Circa horam ſextam
Fatigatus iterum ex itinere Chriſtus ſitit.
Qui tamen ſtagnantes illi in corde aquas attēdat
Suis diſcet illum quoque ſitire, non ſibi.
Tantalus alter in ærumnarum Oceano
Avidus earundem,
Amantiſſimus fellis noſtri
Illud vel moriens ſpongia colligit
In delicias ſitis ſuæ.
Opportunitatem condiendi amaritudines ſuas,
Mundus non negligit.
Dulciſſimo illas admovet gutturi,
Sperans, quæ piſci Faſtino ineſt,
Dei filio non defuturam Virtutem,
Ut ad ejus os ubi venerit,
Ponat, noſtri quoque Maris unda, ſalſedinem..
Suxit Spongia liquidas voluptates in fonte;
Relicta ibi acrimonia
Factum amabile Acetum eſt.
Dedicavit ille, non bibit aci[illegible]iſſimam potionem,
Servaturus illam hominibus,
Quos dulcedine depravatos
Amara corrigunt.
Quia iræ Patris in illum tranſierant,
Sua & ipſe cruciatus in flamma
Ad aquas, quæ ſuper Cœlos ſunt, anhelavit.
Hinc eſt quod oblatam è tellure potionem
Bibere noluit,
Qui ſciret non eſſe inde medicabilem
Sitim ſuam.
Potatorem, mi Jeſu,
Te iterum Judæi ſi dixerint,
Quà dilues excuſatione calumniam?
Paucas intra horas calicem exhauſiſti,
Quem à Patre plenum acceperas.
Sed nimirum
Te de genere Dipſadum ſerpens momordit,
Qui quos affecerit,
Vel ſi illis flumina de ventre fluxerint,
Siti necat.

Erat enim, & nunc hora quaſi ſexta, non minus, quàm cum fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.

Ex Plin. in huius piſcis gutture, maris unda dulceſcit, unde ad illum alij confluunt piſces.

Amaris ſtomachus mirificè roboratur.

In me tranſierunt iræ tuæ, Pſ. 87.

Vt olim dives Epulo.

Quare cum guſtaſſet, noluit bibere. Matth. 11. venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax, & potator vini.

Calix, de quo dicebat, tranſeat à me.

Lucan. in pharſalia, in medijs ſitiebant Dipſades undis.

ELOGIUM LXX.
PRO HOSTIBUS ROGAT.
Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19.

Audire ſemper potuit, ſicut favus diſtillans labia tua.

Quam dulce tibi guttur mihi JESU,
Quod ne felle quidem potatum
Amarum quidpiam eructavit?

Hinc ita pauci ad condonandas injurias hoc inducuntur exemplo.

Habes æternæ vitæ verba vel moriens,
Idioma tamen hoc tuum,
Quia æternæ vitæ eſt,
Mortalitas noſtra non percipit,
Næ tu Filius Dei eras,

Ita enim ſolus facere Deus ſolet.

Videns, quia ita clamans expiraſſet, ait, verè filius Dei erat iſte.

Qui irritamentum iracundiæ
Occaſionem faceres charitatis?
Bene te hominem credere Centurio deſiit,
Cum ita morientem ita exclamantem audivit.
Dies ultionis Domino
Non cujuſcunque, ſed ſuæ;

Inde Hieruſalem dicitur accepiſſe ab eo duplicia pro omnibus peccatis ſuis.

Quæ quia non per odia, ſed per beneficia fit,
Excluſus à terra
Aperire hoſtibus Cœlum parat
Clementiæ ſuæ exemplum
Mundo deeſſe non ferens

Vt ſitis filij Patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper juſtos, & injuſtos.

Quando jam Solem ſuum
Oriri ſuper injuſtos non faceret,
Pluit ſuper illos in Nubilo
Imbrem ſerotinum Gratiarum.

In manus tuas commendo Spiritum meum.

Pronus, & ipſe ad ignoſcendum.

Peroraturus apud patrem pro quiete Spiritus ſui,
Dignus Auditore Deo Rhetor
Omnium aptiſſimo benevolentiam captavit exordio.
Expreſſit mores ejus in ſuis,
Et affectiones dum imitatus eſt occupavit;
Nunquam dignior appellare Deum Patrem,
Quam cum ab ejus indulgentia
Se non degenerem exhiberet.

Nova ratio turbati Orbis in Chriſti morte.

Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.

Auxit commune rerum Chaos Ordinis auctor;
Impune putavit Natura
Poſſe ſe à poſita ſibi lege recedere,
Cum Deus ipſe ageret partes planè non ſuas

Impi-

Impiorum Patronus ex Judice,
Excuſator ex vindice.
Neſciebant Judæi plane quid facerent,
Qui ejus urgerent gloriam, quem odiſſent,
Et per ipſamet ſcelera
Ad innocentiam properarent.
Movebant capita ſua, qui corda debuiſſent,
Et nihilo meliores interpretes operum Dei,
Quàm fuiſſent ante verborum,
Quod erat laus patientiæ
Vitio potentiæ tribuebant,
Omnem ultionis affectum clementis excuſſit
Tantæ lenitatis Auctoritas;
Vel ipſam diſſidii ſpeciem
Luna Soli oppoſita horruit;
Mitiora conſilia te audito
Iratum Cœlum concepit;
Quia quem tu non condemnaris,
Nemo condemnat.

Movebant capita ſua, & dicebant, Vah qui deſtruu, &c.

Si filius Dei eſt, deſcendat de Cruce; &, alios ſalvos fecit, & ſe ipſum non poteſt ſalvum facere.

Erat Luna in oppoſitione, ut pote in plenilunio.

Quare terra, & cœlum non perdiderit ea die humanum genus.

ELOGIUM LXXI.

DISCIPULUM MATRI, SPIRITUM PATRI COMMENDAT,

Joann cap. 19.

Deficiente Deo
Cur Mundus omnino non rueit
Cauſam attende,
Stabat adhuc MARIA.
Regendo Mundo potuit baſis iſta ſufficere.
Deſcribere miraculi magnitudinem voluit,
Qui eam cum debuiſſet matrem, mulierem dixit.
Titulo fragilitatis
Amplificavit inſolentiam roboris.
Imprimere in hominibus
Mariæ venerationem voluerat,
Ideo, quia hærent firmius, quæ poſtrema ſunt
Monita,
Suprema illius ad homines vox
Mariæ commendatio fuit.

Stabat autem juxta Crucem Ieſu Maria, & diſcipulus, quem diligebat.

Mulier, ecce filius tuus.

Poſt hæc verba, Ecce mater tua, nihil ultrà dixit converſus ad homines.

Se præceptorem ſequutis,
Quo major eſſet in illam fiducia
Clementiæ illius, de qua dubitare non poterat,
Voluiſſe viſus adiicere
De illis cuſtodiendis præceptum ſuum.
Suæ tamen erga illam obſervantiæ memor,
Illud ac ſi proponeret,
Non ac ſi juberet, expreſſit,
Teſtati Prodigus adhuc ſe poſſe confidens,
Ita partitus hæreditatem ſuam eſt,
Ut reverentiam, quam habebat erga matrem,
Filiis cederet,
Providentiam, quam habebat erga filios, matri;
Supra cæteros tamen Joannem commendat,
Qui ſciret nullius Adoleſcentiam
Securam unquam futuram,
Niſi ſub tutela Mariæ.
Operā ſuā minus neceſſariā Mundo jam credens,
Cui tam bonam matrem meruiſſet,
Spiritum, qui ſibi unus ſupererat, colligens,
Naturæ non audenti rapere tradidit.
Tractabilis plane Spiritus,
Qui ne ex otii deſiderio
Credatur declinare labores,
Se non in alias,
Quam in operoſiſſimi Patris manus commendat.
Noverat illas eſſe tornatiles,
In quas ſuperinfuſus
Speraret iterum in terris effluere.
Proſtare Deo ad omnes hominum uſus voluerat;
Ne foret quandoque quærendus,
Locum omnem aliis cedens,
Illi eſſe poſtulavit ſemper ad manus.
Sortes noſtras inde venire qui ſcierat,
Eas in origine ſua facturus optimas,
Seden illam elegit.

Miſeratio num enim mater eſt.

Dixit enim, Ecce filius tuus tantum.

Prodigi enim per leges teſtari non poſſunt.

Quare ſupra cæteros commendatus Ioannes omnium adoleſcentior.

Quare dicatur Spiritum non amiſiſſe, ſed tradidiſſe.

Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.

Pater meus uſq; modo operatur. Ita explicant nonnulli illud, manus ejus tornatiles aurea plenæ hyacinthis.

Sortes noſtræ in manu Dei.

ELOGIUM LXXII.
ANHELANTIS MORTEM CLAMOR, ET GEMITUS.

Matth. 27, *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioann.* 19.

Pudori

Pudori noſtro remedium Deus adhibuit
Lacrimas ſuas.
Probrum jam nullum homini
Si in Cruce poſitus fleat,
Ex quo in Cruce flevit & Deus.
Tanta Majeſtas
Imbelles animas, dum imitatur, excuſat.
Qui cum ridente Mundo non riſerat,
Miſeris addictior, quam felicibus
Cum lugente jam l get.
Unica illi cauſa gemituum,
Quod omnẽ gemitũ abolere è Mũdo non poſſit.
Miſeratus Naturæ deliquia eſt,
Qui ſiccis oculis ſpectaverat ſua.
Videns Crucis ex apice Civitatem,
Flevit iterum ſuper illam,
Quod ſibi ad pacem futura,
Nec olim cognoviſſet in die,
Nec nunc divinare ſciret ex nocte.
Vicini latronis petulantia monitus gemuit
Tot in perditis Crucis ſibi fructum perire,
Cum ne in Cruce quidem poſiti reſipiſcant.
Rore aliquo
Noctem uſque adeo miſeram beaturus,
Illum de cordis ſui nubibus exprimit.
Ad vineæ ſuæ cuſtodiam
Eminens ſpeculator in arbore
Excubandi neceſſitatem
Ex latronum vicinia prævidens
Clamore valido
Exprobrat ſecuritatem torpentibus.
Surdis loqui ſe ſciens, vocem attollit.
Et ne ſic quidem aud tus
Periculum facit
An male commiſſum labris officium,
Exequi felicius palpebræ poſſint.
Validus plane Clamor,
Qui ad terrorem ſit auditus in erebo,
Et ob Reverentiam
Sit exauditus in Cœlo.

Fleviſſe Chriſtum in Cruce habetur ex Paulo ad Hebr. 5. cum clamore valido & lacrimis &c.

Juxtà illud gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus.

Chriſtus autem ex Bernardo nunquam riſit.

Tunc enim tenebræ factæ fuerunt ſuper univerſam terram.

Dixerat enim, ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.

Cauſa peculiaris gemituum Chriſti, obſtinatio peccatorum.

In Cantic. c. 1. dicebat ipſe, poſuerunt me cuſtodem in vineis: ibi autem cuſtodes ſolent domunculas ſibi in arboribus ſtruere.

Quis Surdus, niſi is, ad quem miſi nuncios meos? Iſ. c. 42.

Exauditus eſt pro ſua reverentia. Hebr. 5.

Qui

Qui ad crucem ita feſtivus venerat,
Non potuit niſi gemens inde recedere;
Æternum paulo poſt interdicendus à fletu,
Paſcere ſe tam liquida voluptate feſtinat.
Nihil æquè curans,
Quàm ne ulli quidquam deberet,
In Utroque Vitæ limine
Impoſitum à Natura tributum
Pari liberalitate veniens, ac recedens
Perſolvit.

Introductus in Hieruſalem cum ramis palmarum, & hymnis.
Iuxtà præceptum Apoſtoli ſui, nemini quidquam debeatis.
Æquè enim naſcentes, ac morientes, lacrymas fundimus.

ELOGIUM LXXIII.
QUERITUR SE DESERTUM A PATRE.
Matth 27. *Marc.* 15.

Quamdiu tibi Mater adſtat,
Quid te quereris derelictum à Patre?
Plena Deo Maria eſt;
Ea præſente Deus abeſſe non poteſt.
Atqui captaſti arte hac miſerationem hominum
Qui videreris
Terruiſſe Deum quodammodo malis tuis.
In ſumma vulgi frequentia
Doluiſti te ſolum,
Cum alioqui ſocium Crucis
Toto tuo emeres Regno.
Perperam, quæ dicis, intelligunt,
Qui verbis tuis accommodatas
Aures non habent.
Eliam vocaſſe crederis,
Quem à die miſerationis, & veniæ,
Vel ſi adfuiſſet, excluderes.
Calamitates tuas
Quilibet tui ultor auxiſſet,
Et vocato de Cœlo igne,
Te vel abſumptis læſiſſet in hoſtibus,
Quia in iis etiam totus eras.
Vix ſperaſſes vivum Eliam
In diem ultionis ſervare,

Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti?
In ea, ex Bernardo, tota plenitudo divinitatis inhabitat.
Circa illum enim erat plurima turba Iudæorum & gentilium.
Vt potuit in latrone.
Creditus Eliam vocaſſe, cum dixit, Eloi Eloi, Lamaſabacthani.
Genius enim illius ſeverus admodum fuit, ut patet ex ejus hiſtoria.
Erat in iis, quia eos etiam diligebat: & ut Deus qui ubiq; eſt totus, etiam in iis erat.

Si

Si hac ſub Junipero tua
Reclinare ſe potuiſſet.
Ubi Deum amiſiſſet Vir Dei,
Suam utique retinere animam noluiſſet.
Ita ad te omnia trahens
Præter ſolatia doloris tui,
Contra opinionem Mortalium,
Ne fidiſſima quidem capita
Infelis partem vocaſti.
Sincerus ut es, cauſam non taces,
Cur in lecto plane non tuo
Sine tecto, & regmine moriaris.
Bona tua omnia prodigus diſſipaſti;
Ceſſiſti Matrem diſcipulo,
Spiritum Patri, Regnum Latroni
Conſumptum Patrimonium tuum eſt;
Irrita nunc prece rogandus
Quæ una vitæ tuæ ſalus ſupereſt,
Ad Patrem redis.
Licet nec in illum, nec cœlum peccaris,
Jam non audes in neutrum
Attollere oculos,
Conſcius quod uni quidem
Latrones adoptaris in filios,
Alteri conſecraris in Cives.

Eliæ adventus differtur in ultimum diem, quando cum Enoch Antichriſto ſe opponet.

Juxta illud, Io. 12. omnia traham ad me ipſum.

Cum accepiſſet acetum, dixit, conſummatum eſt. Vt conſtat ex verbis in Cruce.

Alludit ad illud prodigi, Ibo ergo ad Patrem meum, & dicam, peccavi in cœlum, & coram te.

Cur averterit Chriſtus à cœlo oculis moriturus, inclinans caput.

ELOGIUM LXXIV.
INCLINATO CAPITE MORITUR.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Iratum hominibus JESUM abire ne crederes,
Averſus à Cœlo mori maluit,
Quàm ad homines non converſus.
Quem Patri commendaverat ſpiritum
Subjectam effuſurus in Matrem
Supremos halitus in illam direxit,
Ut vel exinde Mundus agnoſceret
Ne ſe quidem ſanctè mortuum ſine Maria.
Mortem ad ſe accedere formidantem
Quando ultra voce non poterat,
Advo-

Prima cauſa, cur inclinato capite tradidit Spiritum.

Erat enim Maria juxtà Crucem.

Vnde bene rogamus, & hora mortis ſuſcipe. Ita fermè d. Athanaſius interpretatur.

Mors enim utique non è cælo.

Emittens in illam Spiritum ſuum.

Inter Spiritum, & corpus Chriſti, amor quidam vehementiſſimus.

Superat mortuo vulnus ex lancea.

Pectus enim Chriſti Gazophylacium Divinitatis.

Miles lancea latus ejus aperuit, & exivit Sanguis, & aqua.

Non enim dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.

Advocans nutu,
Ad ſe de tellure venienti
Prona facie, quaſi oſculaturus, occurrit.
Meliorem animam inditurus telluri Deus
Spiravit in illam ſecundo ſpiraculum vitæ.
Gravitate ſuſcepti oneris victum caput,
Ruens in pectus, pondere ſuo nimium elatos
Oppreſſit.
Fidiſſimum Comitem Spiritum
Abeuntem ad Inferos
Sequuta cervix eſt quo ad potuit.
Niſi altero fixo
Non ſolvebatur amicitia inter tales.
Nec dum abunde doloribus ſaginatus
Adhuc locum vulneri deſignavit.
Patre ſpectato ad ſe ipſum converſus,
Origini ſuæ ubi ſe vidit ita diſſimilem,
Exhauſit animam vis pudoris.
Inter latrones de Gazis ſollicitus,
Quas ſupereſſe ſibi ſciret in pectore,
Converſus eo eſt cuſtodientis in morem.
Depoſitum tamen
Hæc ipſa tanta ſollicitudo detexit.
Apertum latus eſt,
Et egenorum tractum in uſus.
Dubites etiam an ad ſtagnantes inibi aquas
Admovere ſitiens labra voluerit.
Judicem Mundi vel mortuum
Scias in tellurem intendere.
Attendit ille de ſpecula quidquid peccas.
Sopitum ſi putas, cave ne audias
Aliis illum dormire, non tibi.

ELOGIUM LXXV.
MORTUO TOTA PARENTAT NATURA.

Matth. 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19.

Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.

Noctem hanc, ne ſomno natam putares,
Corpora quæ dormierant, ſurrexerunt.

Per-

Peracta Tragœdia ſua Deus
Lumina ſubtrahit
Non ultra ſpectatoribus profutura.
Ex Orchæſtra tantus actor egrediens,
Vel à ſaxis plauſum extorquet
Ambierant omnia
Novum hoſpitem monumenta;
Ad hoc aperta ſunt,
Et quia conſortes illum nolle prænoverant,
Mortuos, quos acceperant, ejecerunt.
Captivorum libertas
Fractas carceris fores evincit,
Nato ſibi Mortuorum Primogenito,
A ſe detentis facultatem illam Mors fecit.
Atratus coram Judice ſuo
Trepidat Mundus,
Et orbatus luminibus,
Quibus tam male viderat lumen ſuum,
Tandem perduellionis Reus
Capite plectitur.
In publico totius Orbis Juſtitio,
Unicum non ceſſaverat Dei forum.
Extremum diem
Suſpicantur ex ſignis Mortui,
Et tuba nondum audita noviſſima
Jam reſurgunt.
Perire Deum poſſe non crederent,
Niſi iterum viverent, ut viderent.
Æterni Spolium Pontificis,
Vel a tumulis latrones excivit.
Suffecit rapinis hæreditas;
De ſpiritu oris ejus omnes accepimus,
Jam non Solus Adamas,
Sed ſaxa quælibet
Agni Cruore frangantur,
Solem Noſtrum
Hodie primum tenebræ comprehenderunt.
Mirare modeſtiam funeris,
In quo ne publicas quidem
Cœli faces admiſit.

Quare monumenta omnia aperta ſint. Ideo enim dicunt voluiſſe illum tumulari in monumento, in quo nondum quuquam poſitus fuerat.

Natis primogenitis Principum, laxari carceres ſolent.

Tunc enim judicium erat mundi, ut ipſemet dicit.

Signa hæc, terræ motus inſoliti, obſcuratio luminarium, &c.

Agni Sanguine adamantis durities frangitur.

In funere ſuo Chriſtus ne Cœli quidem faces admiſit.

Ipſemet fragor Mundi Elogium Chriſti fuit.

Agit

Agit Auctori ſuo
Naturæ præficam,
Eclogarium Mundus,
Suetus virtutem exercere viventem,
Lugere Mortuam.

ELOGIUM LXXVI.
EX APERTO MORTUI LATERE MANAT SANGUIS, ET AQUA.
Ioann. cap. 19.

De veritate hujus hiſtoriæ non diſputat auctor, ſed ſi vera eſt, ita ludit.

Ubi eã (ſi populo credimus) cæcus miles invenit,
Ibi profugam latuiſſe diem ne dubita.
Ad tam conſpicuæ ſpectaculum Charitatis,
Sine oculis neminem adeſſe vult Deus.
Quæ fuit in illo probrorum ambitio,
Dedecora ſua
Ne ipſis quidem tegi paſſus eſt cæcis.

Crux ex Auguſtino Cathedra Chriſti.

El. tus in Cathedram
Veri Magiſter Amoris,
Idiomate amantium poſthac loquuturus,
Ore clauſo, Cor aperit.

Novum idioma Chriſti in Cruce.

Fideliorem interpretem
Doctrina cordium hactenus non invenit.
An plane loquatur ex Corde
Novum guttur interroga.

Latus Chriſti portus ſalutis navigantibus in Cœlum.

Officinam in Petra faber Amor jam habet,
Ubi tela procudat ſua.
Importuoſum jam non ſit Cœli littus,
Ex quo talis eo Navigantibus ſinus patet.
Conciliato ſibi per mortem Mundo
Amico jam, & non ſervo,

Dicere tunc etiam mundo potuiſſet, te nunc amicum dico, quia omnia nota feci tibi.

Vel ipſa pectoris ſui pandit arcana.
Ubi quaſi parturiens exclamaſſet,
Quos in lucem ediderat filios lactaturus,
Mammillam Cordis aperuit.

Sudor cordis Chriſti, ipſe quoq; Sanguineus, ideo exivit ſanguis & aqua.

Ex laboris vehementia
Solutum in ſudorem Cor eſt,
Inde lacus iſte coaluit.

Pro-

Profecerat dolor ejus in pœna;
Qualis ſudor in horto fluxit ex corpore,
Talis in Cruce manavit ex Corde.
Detectus ibi fons eſt,
Unde manabant in oculos fletus.
Lacrymarum Nobilis inſtiror,
In Gazophylacio Cordis ſui,
Non alias merces viſus eſt cuſtodiſſe.
Cum flere adhuc multa volentem
Spiritus defeciſſet,
Quos jam non poſſet dare fletus ex lumine,
Dedit ex vulnere.
Ita hoc voluerat novo argumento probatum,
Calamitates Mortalium
Se planè miſeratum ex Corde.
Agnoſce, ex adhibito aquarum remedio
Vim Ardoris.
Igne Patris, quem condebat in ſinu,
Orbem Univerſum incenderat
Secundus Phaeton,
Niſi & ipſe providè
Merſus eſſet in aquis.

Origo lacrymarum Chriſti tota, ejus ex corde.

Defecerant illum fletus, non flendi cauſa.

Argumentum ardoris Chriſti ex hac aqua.

Et ipſe enim Phaeton ignem Patris ſui miſit in terris, adeo ut mergendus Eridano fuerit.

ELOGIUM LXXVII. MORTUI PENDENTIS IN CRUCE MYSTERIA.

Hanc in Inſulam,
Quæ à Terra in cœlum ſolventibus
Prima occurrit, & unica
Reus nimiæ charitatis deportatus eſt Deus.
Aliter ab Hominibus
Quibus ita ex animo adhæſerat,
Avelli non poterat.
Exilii tamen ſui mœrore tabeſcens
Deſcribens nutu capitis vota Cordis
A tellure ne totus abeſſet,
Eo, unde fugatum Corpus fuerat,
Emiſit Spiritum.
Nudus Amorem exprimens

Crux inſula quædam fortunata, media inter Cælum, & terram.

Apud antiquos alij relegabantur, alij deportabantur in Inſulas.

Nutu hic indicavit deſiderium deſcendendi iterum in terram.

Amor nudus, & puer pingi ſolitus.

Nunc planè Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Fulmina ſublimibus longe magis infeſta, quam cæteris.

Alludit ad illud dictum Balthaſari, Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. Crux autem ab Eccleſia dicitur. Statera facta Corporis. Navis Chriſti Crux ejus eſt, per illam enim nos vehit in Cœlum.

In ipſa ſua ſublimitate Chriſtus modeſtiam docet.

Meteora ignea fiunt ex terra exhalationibus: & de Chriſto dicitur, & aſcendet ſicut virgultum de terra ſitienti. Gymnoſophiſtæ, mortaliũ omnium deditiſſimi rerum cœleſtium contemplationi.

Non jam puerum, ſed Adultum,
Ipſe ſibi Arcus, & miſſile,
Expugnare Cœlum volentibus
Machinam offert.
Supra conditionem ſuam elatos homines
Quia non invenerat in tellure,
Venatur in Aëre.
Demiſſionis Magiſter,
Quod ita ſupra cæteros emineat
Ne mireris.
Contorta in nos fulmina
Captat Excelſus.
Hæc illi unica aſcendendi cauſa.
Appenſus, & ipſe eſt in Statera,
Et quia inventus non eſt minus habens,
Firmatum eſt Regnum ejus.
Amoris Extaſim paſſus
Elevatus & ipſe in aërem eſt.
Humaniſſimus Portitor,
Transfretare in Cœlum volente
De navi ſua adhuc terræ finitima
Sine Naulo vecturus invitat.
Aquila magnarum alarum
Reptantes humi pullos
Provocat ad volandum.
Proſpecturus tamen Icaris ſuis
Cautior Dædalus
Exemplo ſuo monet alta non ſapere.
Aſcendit de terra ſitienti
Hoc in Meteoris igneis Nobiliſſimum,
Et ſine alterius conſortio luminis
Fuſcato micans in aere,
Solis, Aſtrorumque ſolatur abſentiam.
Felix, hæc ſi te Phænomena
Fecerunt Gymnoſophiſtam.

ELOGIUM LXXVIII.
E CRUCE DEPOSITUS TUMULATUR.
Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Abſoluta

Abſoluta libri vitæ elucidatio eſt,
Audito fine plauſere diſcipuli,
Deſcendere de Cathedra Magiſter potes.
In Cœli finibus non habes ultra quid quæras,
Ex quo Spiritus tuus apud Inferos eſt.
Accede propius rediturо;
Triumphanti non occurriſſe
Inurbanitas credi poſſit.
Tua confeſſione decoctor,
Qui omnia conſummaſſes,
In pudoris remedium
Nocte non contentus, quam feceras,
Adhuc denſiores tumuli tenebras quæris.
Seu te Crux nollet dimittere,
Seu tu Crucem,
Inferenda utriq; à Nicodemo vis fuit,
Tibi ut tua probra deſereres,
Illi, ut ſua decora.
Dubitem an Crucis fueris avellendus à brachiis,
Niſi Matris in brachia rediturus.
De ſinu Patris in ſuum olim iſta te traxerat,
Quidni eundem te traheret
De ſinu Crucis?
Tam fortunatum naufragus ejectus ad littus,
Omnem penitus oblitus procellam es;
Adeo ut redivivus poſtridie
Neſcieris quæ paſſus eſſes,
Niſi memoriam abeuntes in Emaus refricaſſent.
Repueraſcere viſus es
Matris iterum ulnis exceptus;
Fuit hæc infantia mortis tuæ,
Quæ lactata Mariæ lacrimis
Immortalem usque adolevit ad vitam.
A mundiſſimis manibus
In Sindone munda depoſitus,
Ne mortuus quidem toleras ſordes.
Sponſus ſanguinum
Thalamum habiturus in tumulo
Undequaque pretioſam mortem
Pretioſiorem efficis delibutus unguentis.

Vita Chriſti, non aliud, quam elucidatio libri vitæ.

Chriſti Corpus è Cruce depoſitum propius acceſſit ad ejus animam, & quaſi eidem occurrit.

Sepulcri latebras cur Chriſtus appeteret.

Neceſſe enim fuit Nicodemo avellere prius clavos à Cruce.

Depoſitum enim mater accepit in ulnas ſuas.

Mirantibus, quod neſciret quæ ſibi Hieroſolymis accidiſſent, reſpondit, quæ? ac ſi non meminiſſet.

Nimirum matris, & aliorum piorum hominum.

Tulit Nicodemus miſturam myrrhæ, & aloes quaſi libras centum.

Lazarus prodiit è tumulo ligatus manus, & pedes, ita enim mos erat Iudæis ſepelire.

Inter mortuos liber
Adhuc inſtitis ligari te pateris;
Non admiſſurus ad Oſtium lapidem,
Niſi tecum ſepulta mors eſſet,
Quam ultra liberam nolles.

Dixerunt Pilato Iudæi, ſeductor ille dixit adhuc vivens, tertia die reſurgam.

Seductor vocatus,
Titulum hunc pro Epitaphio excipis,
Nulla tibi magis laude placens,
Quam quod ambulantes in tenebris
Seduxiſſes in viam lucis.
Sane Judæa Majorem nunc verbis tuis,
Quam ſuis oculis fidem habet.

Iube nunc ergo cuſtodiri Sepulchrum.

Videt illa te mortuum,
Et adhuc tanquam jam redivivi fugam cuſtodit.

ELOGIUM LXXIX.
EPITAPHIUM SEPULTO.

Fingimus hoc Epitaphium inſcriptum lapidi, quod advolutum eſt ad oſtium monumenti. Chriſtus enim via, veritas, & vita.

Mortem quia vincere Chriſtus potuit,
Declinare contempſit.
Stà Viator;
Tua hoc ſaxo clauditur Via.
Diem laboris ſui Deus
Tibi Sabbatum fecit.

In ea enim ſolum mortuus in Cruce.

Felleis lautitiis
Uſque ad horam nonam meridiatus,
Præcipitato in noctem die,
Ne Sybaritam crederes,
Si ſomno ſe daret ante Solem,

Qui gloriabatur decubuiſſe ſemper ante ſolem, & poſt eum ſurrexiſſe.

Averſatus ubique mollitiem
Saxeo ſopitus in ſtrato recubuit.
Ex quo tamen Judæorum inauguratus Rex eſt,

Poſt titulum Regni affixum ſibi in Cruce, more regio cœpit & excubias habere, & ſumptus planè regios facere.

Dignitatis ſuæ tenax
Nulli jam ſumptui parcit;
Atque ita præter Aloës, Myrrhæque delicias,
More Regio,
Excubitores admovet ſomno ſuo.
Talem urnam mortuus exigens
Qualem uterum nondum natus,
Vel in Sarcophago

Chriſti mors, ſomnus non minus quam Lazari, de quo dicebat, Amicus noſter dormit.

Qui

Qui nullum adhuc abſumpſerat,
Innocentium commendavit.
Clauſo ſupra ſe oſtio ſolus,
Quaſi Arcanum quid meditetur,
Terræ ſuæ Mappam in lino delineat,
Navigaturis in Cœlum
Hanc ſciens futuram perutilem Geographiam.
Lumina ſua expreſſurus per Umbras
Artis teſtes excluſit;
Illa una dumtaxat Mors comes,
Quæ notare artem non poteſt,
Quia cœca eſt.
Sindone teſte,
Habet ibi adhuc humorem,
Unde amplam redivivum in meſſem exuberet.
Cineres de illo ne cogita;
In centro ſuo ignis
Excrementa non habet:
Incluſus ſeu ſit,
Advoluto ad Oſtium lapide
Tellurem ita diſpoſitus ſecum attollet in Cœlum.
Ut Deo Mortem fuiſſe in deliciis ſcias,
Tumuli locum attende.
Non Eremus, ſed Hortus eſt.
Corda Hominum
In terræ Corde veſtigat,
Ea ibi eſſe ſciens,
Ubi & Theſauri ſunt.
Inimicitias in ſe omnes
Quàm Chriſtus interfecerit hinc cognoſce.
Mors & Vita
Uno hoc ſe patiuntur in tumulo.

Sarcophagus dictus tumulus, quaſi carnem vorans. Terra Chriſti, Corpus Chriſti, cujus quaſi mappa Sindon.

Granum frumenti, quod cecidit ſuper Petram, natum aruit, quia non habet humorem.

Ita ex Ariſt. & aliis in lib. de elem.

Tumulus Chriſti in horto, qui utiq; locus deliciarum eſt.

E corde terræ aurum eruitur, & Theſauri.

Vade bene de illo Paulus, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Eph. 2.

ELOGIUM LXXX.
SEPULTÆ CRUCI EPITAPHIUM.

Mortem periiſſe qui dubitas,
Habes hic telum, quo deleta eſt,
Feretrum, quo elata.

Ita à pleriq; ex Patribus Crux vocatur.

 In

Regnavit mors ab Adam uſq; ad Chriſtum, & non ultrà: dixerat enim; ò mors ero mors tua.

In hoc Mari Magno Piraticam exercentem
Sagax bellator
In tempeſtate corripuit,
Et in hoc ipſo Myoparone ſuo,
In quo tam multas egerat prædas,
Oppreſſit.

Concuſſio naturæ in morte Chriſti: tripudium ejusdem pro morte deleta.

Celebravit ingenti Natura tripudio
Inferias Mortis
Exiliêre ſaxa præ gaudio,
Et in Choreas excitata cadavera
Tumulos reliquere.

Solus enim agnus habet unde ad amantem poſſit infringere.

Illaturi Violentiam Cœlo
Ignotam Poliorcetis Machinam inveniſtis;
Quæ quia Adamantinas
Pulſare fores debuerat,
Non arietem, ſed agnum retulit.

Baculus Iacob, ſeu baculus Geometricus in modum Crucis formatus.

Baculus Jacob
In menſuram omnem extentus
Geometras novos inſtituit,
Qui Soli & imas expiſcari profunditates,
Et veras venari altitudines ſciant.

Qui enim Cœlum regebat, inclinato capite quaſi onus excuſſerat.

Veri Atlantis victa cervice
Ne rueret in homines Cœlum
Hoc fulcro mundus indiguit,

Inſitio Nobilis agricola Patris in arbore mortis, hoc est, Cruce, quæ mala arbor dici conſueverat.

In Arbore Mortis
Facta vitæ inſitio eſt;
Reciſum ad hoc de radice Jeſſe Virgultum,
Et ab Agricola Patre
Virginea involutum in terra
Vitiato agglutinatum eſt trunco.
Divinus Amor
Tœdam profano non invidet,
Ex quo ignem ſuum,

Chriſtus enim utiq; ignis conſumens. Lis ingens apud Patres, ex quâ materia fuerit lignum Crucis, ut videre eſt apud Baron. tom. 1.

Quo ſalutares Mundum agat in furias,
Torri huic applicuit.
Herculis noſtri Clava,
Qua creverit ex radice vix ſcias.
Ne omnem uni ſuperbiam faceret,
Diviſus pluribus honor eſt.
Ara Miſerationum

Ex Olea tota eſſe debuerat,
Niſi victoriarum officina
Eſſe debuiſſet ex Palma.
Erudimini ſub ſcientiæ ligno, Mortales,
A quo vel ipſe omniſcius Deus
Didicit aliquid,
Paulo Teſte.

Alij ex olea, alij ex palma fuiſſe volunt.

Crux lignum ſcientia boni, & mali. Didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam ad Hebr. 5.

ELOGIUM LXXXI.
SPINIS, ET CÆTERIS DOLORUM EJUS INSTRUMENTIS EPITAPHIUM.

Ampla ſupellex divitis patientiæ
Antri hujus anguſtiis tegitur.
Tardari greſſus tuos, Viator, ſi ſentias,
In ſpinas incidiſſe te ſcias.
Sepultis virtus eſt, quod fuerat detectis natura.
Scrutatæ olim Cerebum Dei,
In Ærario illo Sapientiæ
Artem quoque hanc,
Qua ſiſterentur homines, didicere.
Infectæ ſalutari contage
Vim Magneticam habent,
Cui, vel quia ferreus es, non reſiſtas.
Beata Gallia,
Quando Lilia tua
Invidere Roſis ne debeant,
Habebunt de tam Sancta Sepe cuſtodiam.
Ubi Chriſti Corona fuerit
Ibi erit & Regnum,
Nec ſtertere ea in aula deſides poterunt,
In qua ea ipſa, quæ ornant, aculei ſunt.
Tu vero, quæ te Mundi Dominam jactas,
O ROMA,
Aude ſperare
Vel à Decoctore Regum Rege tributum.
Sepoſuit hic tibi columnam,
Quam æternæ baſim gloriæ
Obeliſcis quandoque adderes tuis

Supponuntur hæc omnia ſepulta prope Crucem, ideo hoc illis affigitur Epitaphium.

Cum militum manu coronarunt regem dolorum.

Quotquot enim illum tangebant, ſalutem hauriebant.

Corona Spinea in ſacello Regio Pariſiis aſſervatur.

Columna Chriſti Romæ apud S. Praxedem.

Alludit ad Obeliſcos Trajani, & aliorum.

Hierogliphica Victoriæ ſuæ
Illi non alia,
Quam ſanguinis ſui notas appinxit.
Diminutam ſi videris,
Contabuiſſe illam
Ex Auctoris ſui miſeratione ne dubita.
Ante alios ſciſſus hic lapis,
Quæ ſæviſſimæ conſcius lanienæ
Eum multo ante quam moreretur
Mortuum vidit.
Columnæ huic quamdiu innixa ſis, Roma,
Securitatis, & fortitudinis
Mundo ſymbolum fies.
Spera tamen & hoc Clavos ex pœnu,
Quos verſatili Sortis rotæ
Obicem figas,
Illi quidem olim
Sub incude, & malleo Clavi fuerant;
Ex quo tamen in Herculis Noſtri manus venere,
Domitores Monſtrorum
Jam non Clavi, ſed Clavæ ſunt.
Verti illos in fræna ſi videris,
Metamorphoſim ne ſtupeas.
Fuere & olim fræna in illius manu,
Qui Erebum mortemque frænavit.

Columna non integra, ſed fracta, ut habetur ex hiſtoricis.

Fortitudo, & ſecuritas in nummis antiquorum exprimitur ſæpe per mulierem columnæ innixam, ut apud Ant. August. videre potes.

Clavi Chriſti non uno omnes in loco. Baron. tom. 1.

Clavus Chriſti in frænum efformatus viſitur Mediolani in templo maximo.

ELOGIUM LXXXII.
JUDÆ EJUS PRODITORI EPITAPHIUM.

Hunc unum quia non prævidit loculum Judas,
Tam multos habuit.
Ejus initia ne quære,
Quæcunq; fuerint, honeſtare finem non poſſunt;
Primum illi beneficium non naſci,
Proximum, non agnoſci.
Sub diſciplina Veritatis profeſſus artẽ mentiendi;
Præceptoris exercere tolerantiam melior,
Quam propagare doctrinam,
Vix aliud ab illo didicit, quam ut locum ſciret,
Ubi

Loculus etiam accipitur pro iis, quos habebat Iudas, & pro loco in quo conduntur mortui.

Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet.

Sciebat enim Iudas, qui tradebat eum, locum: aliud verò non dicitur ſciviſſe.

Ubi minori quidem frequentia,
Majori tamen contumelia proderetur.
Promptior Miracula patrare, quam credere,
Dæmonas ſugavit aliquoties, ſugit nunquam.
Admiſit in animo,
Quos excluſerat à Corporibus,
Et quo ſibi vacarent Miniſtri ſcelerum
Avocavit ab aliis auctores pœnarum.
Melior peculii cuſtos, quàm fidei,
Ut ſervaret non ſua, ſe ipſum perdidit.
Paupertati patrocinans, quam odiſſet,
Quia facilius ſpoliare pauperes poterat
Ditari pauperes voluit.
Mercis ſuæ peſſimus Nundinator
Ex avaritia prodigus,
Quem juſtis æſtimatoribus
Vendere diffideret quanti valeret,
Neglecturis vendidit quanti vellent.
Cum nemo magis indigeret unguentis,
Quam cui tam male olebat anima,
Emere quæ debuerat, vendere voluit,
Ideo ſolum, quia vendi potuerant.
Pedibus ablutis impurior,
Minis intentatis ſecurior,
Ubi vita, & ferculum, & poculum foret
Conviva Mortis.
Intincto pane monitus, non detectus,
Vix ipſe credidit ſcelus ſuum cum prædiceretur,
Vix erubuit, cum patraret.
A Magiſtro diſcedens majori perfidia rediturus,
Cæcitatem laternis prodens,
Non juvans,
Surgendo lapſus eſt gravius,
Quam cadendo.
Ignotum ſe reputans,
Quia quod non erat vocatus.
Charitatem interpretatus ignorantiam,
Bellum præludio pacis indixit,
Amoris armis abuſus ad odia,
Salutem quam voce dederat,

Vide Raynaud. in Iuda: multi enim volunt Iudam patraſſe miracula, ut & cæteri.

Poterat unguentum iſtud venundari, & dari pauperibus.

Quid vultis mihi dare: & ego eum vobis tradam.

Tota ratio, cur vendi debuerit, erat, quia poterat unguentum hoc venundari.

Opinio multorum, Iudam accepiſſe Eucharistiam.

Nunquid ego ſum Rabbi?

Surrexit enim, acſi Chriſtus non videret arcanum ſui cordis, cum adhuc ab eo ſe vocari audivit amicum.

Conjunxit ſe Chriſto per amplexus, & oſcula.

Manu deſtruxit,
A nullo magis ſejunctus,
Quam ab eo ipſo, quem ſtringeret,
Majori miraculo aures occluſit,
Quam alter recuperarit.

Fuit hic Malchus, cujus abſcidit Petrus Auriculam.

Turpius pœnitens, quam peccaſſet,
Expertus facilius vendi Deum,
Quam redimi,

Poſſidit agrum de mercede iniquitatis

Tradunt enim Arborem antea fœcundam, Iudæ ſuſpendio ſterilem factam. Baron. Ann. 34. Chriſti.

Ideo crepuit medius.

Peregrinis paravit tumulum, laqueum ſibi.
Idem ſuæ ultor perfidiæ, qui & Author,
Uberes illius fructus
Sterili collegit in Arbore;
In nullo magis injurius Præceptori,
Quam quod illi veniæ voluptatem inviderit.
Integritas nulla cognita vivo,
Nulla debita mortuo.
Lapidea illi fuere viſcera;
Quidni ergo cum Petræ ſciſſæ ſunt, rumperentur?

Alludit ad illud, Petræ ſciſſæ ſunt, & ſic monumenta aperta ſunt.

Pateſcentibus cæteris,
Ipſum etiam impietatis monumentũ apertum eſt.
A Mercatore tam malo
Diſce, Viator, emere, diſce vendere.

ELOGIUM LXXXIII.
AMOREM SUUM COLORAT IN SYNDONE.

Pingitur hæc inſcriptio in Templo Taurini, ubi aſſervatur Sanctiſſima hæc Chriſti Syndon.

Tabellam, quam vides,
Viator,
Naufragus Dei filius
Vovit Patri.

Alludit ad tabellas appendi ſolitas in templis B. Virginis, & aliorum Sanctorum.

Perfunctus periculo, voti memor,
Exaratam ſumptibus ſuis hiſtoriam
Æternum eidem Anathema
Hoc in templo ſuſpendit.
Caveto, ne quid de illa perperam judices;
Latet & ſuus

Pictura hæc Chriſti adinſtar umbræ.

Hanc Appelles poſt tabulam.
Obſcura lineamenta ſi ſunt,
Videri voluerant è ſepulcro veniſſe.

Agnoſ-

Agnoſce Verbi hominis Laconiſmum;
Dolorum Iliadem
Gemina complexus eſt pagina.

Laconiſmus multa paucis complectitur.

Amphibion hoc
Deſcribere ſatis una non poterat.
Quid ſit ex facie neſcias,
Niſi perſpexeris & à tergo quid fuit.
Parelia iſta ſunt Solis noſtri.
Occumbens non habuit quid relinqueret
Præter umbras.

Vivit enim Chriſtus divinam, & humanam vitam.
Fuit enim Deus æternus, & immenſus.
Parelia apud Philoſophos, cum Sol ſe in nube replicat.

Hic iterum ſub gemina ſpecie
Chriſtum habes.
Hæc eſt mirabilium ejus
Secunda editio.
Excudit illam in Typographæo ſuo
Sub ſigno Jonæ,
Ubi & torcular ſolus calcavit.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum in Euchar.
Vnde dicebat ipſe per Iſaiam, Torcular calcavi ſolus.

Opus poſthumum ne contemnas.
Auctoris hujus genius eſt
Potiora in fine ſervare.
Linum ut ſit, non Amianthus,
Illi quidquam ab igne ne timeas.
Majoribus olim per triduum
Obſtitit flammis.
Quemcunque rogum accenderis,
Chriſto par non eſt vel extincto.
Fatigatus Deus ut ſit
Dum reficeret opus ſuum,
Ne ipſo quidem otiatus eſt Sabbato.
Ne omnino quieſceret mortuus,
Pictorem egit.

Vnde illi dicitur, tu autem bonum vinum ſervaſti uſq; adhuc.
Alludit ad incendium excitatum malo dolo à Calviniſtis Camberij: vide Pingon. & Agaſ. Solarium in Syndone.
Toto enim Sabbato fuit in corde terræ.

Arietis Spolium
Phryxo, Sabaudia, non invideas,
Quæ habes Agni.
Illud in terra Regnum portenderet,
Hoc in Cœlo.
Nullius hoſtis arma formides;
Deus exercituum
Nunquam ſub alio vexillo mereat,
Quam ſub ſuo.

Vellus aureum Phryxi portendebat Regnum: unde hac de cauſa tanto ſtudio quæſitum ab Argonautis.
Principum Sabaudiæ ſumma ſecuritas ex Syndone.

ELO-

ELOGIUM LXXXIV.
AD INFEROS DESCENDIT.

Avaritiæ proprium terræ viſcera ſollicitare per fodinas.

Avaritia Charitatis tuæ
Terram ipſa quoque ſollicitat,
Et Aureas mentes
Illi ab imis uſque viſceribus eruit.
Fœtas fodinis hujuſcemodi tenebras
Toto immiſſo Sole ſcrutaris;

Sol Chriſtum ad inferos abeuntem una cum ſtellis ſequutus.

Inde ille abeſt à Cœlo
Quia ille etiam tecum eſt.
Credidere ſydera Cœlum
Ubicunque tu fores;

Vbi Deus, ibi Cœlum.

Te in Erebum uſque ſequuta,
Quia ibi quoque aderas,
Loci non agnovere diſcrimen.
Theſauris ſuis ſpoliari

Ideo terræ motus factus magnus.

Terra vix tolerat.
Ulciſcitur violentiam motu,
Et undequaque lapides
Inimicum ejaculatur in Cœlum.

Ita diſcipulis dixerat in ſermone poſt cœnam.

Cum in Domo Patris tui
Manſiones multæ ſint, pauci cives,
Corradis vel ab Inferno Coloniam,
Quam illuc rediturus deducas.
Imbutæ luce tua Nobiles Umbræ

Venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis Sanctorum animæ.

Fiunt Mundo ſpectabiles,
Et uſurpaturæ oculis
Tuæ monumenta virtutis
Ad nundinas Gratiarum
In Sanctam confluunt Civitatem.

Quæ iis, qui reſurrexerant, cauſa fuerit veniendi in Civitatem tanti ſceleris ream.

Illis nulla alibi majora negotia,
Quam ubi libertatis Aſſertor
Et vivus agnoſcendus in Matre,
Et mortuus adorandus in Sindone.
Ut tuam caperet animam,

Dilatavit Infernus animam ſuam, ait vates; nunquam verò magis, quam ut caperet hoſpitem tantum.

Suam adeo dilatavit infernus,
Ut ex violentia fractus ſit,
Nequieritque ſuos ultra retinere Captivos.
Invidit Empyreum

Oppoſi-

Oppoſiti ſibi ſpecus fortunæ;
In omnem doloris ſenſum erupit,
Quod & Erebus
Dici ſedes Dei jam poſſet.
Scrutator Cordium,
Ne ipſum quidem Cor terræ præteriit;
Rimatus illud per triduum eſt,
Inventaque in eo omni nequitia
Mundi pravitatem mirari deſiit,
Cui Homicidia, Adulteria furta,
Atque adeo ſcelera omnia,
Tam corrupto manare vidit ex corde.
Quid in loco pœnarum tamdiu egerit,
Omitte quærere.
Si bonus es, eo tibi aditum clauſit,
Si malus, aperuit.

Turbatio Cœli in morte Chriſti, ex quadam invidia.
Infernus Cor terræ ſæpe dicitur in ſcriptura.
Supponit auctor detectam & damnatam gloriam Chriſti in augmentum pœnarum.
Quæ de corde exeunt, ea plane ſunt quæ coinquinant hominem.
Locus pœnarum utiq. ſub terra.
Quid egerit apud inferos Chriſtus.

ELOGIUM LXXXV.
SURGIT REDIVIVUS E TUMULO.

Matth. 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Ioan.* 20.

Probrum Sterilitatis
Poſthac Telluri nullus objiciat;
Experta Matrum dolores eſt,
Peperit Primogenitum Mortuorum.
Filios habere Mors cœpit;
Mitiorem illam ſperate, Mortales.
Feritatem fœcunditas cicurat.
Mundo dies illuxit omnium maxima,
In qua redux Sol noſter,
Auroram ſequutus non eſt,
Sed prævivit.
De repetundis accuſari timuerat,
Si quas horas diei ademerat Moriens,
Non redderet jam reſurgens.
Pudere illum cœpit,
Quod contra quam præceperat
Theſaurizare videretur in terra.
Qui dormientes nollet teſtes habere,

Chriſtus primogenitus mortuorum. Ad Coloſſ. c. 1. 18. Apoc. 1. v. 5.
Dies, quam fecit Dominus cur omnium maxima.
Sequitur auctor eorum opinionem, qui volunt Chriſtum ante auroram reſurrexiſſe.
Dixerat enim: nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.

Sed Vigiles,
Motum Telluris præmittens ſuo
Cuſtodibus una cum ſomno
Excuſationem omnem excuſſit.
Ita ſemper agentibus vigilias noctis,
Vel ſuper Gregem ſuum, vel ſupra ſe
Primis exoritur Chriſtus.
Avara tellus ut eſt,
Depoſitum, niſi concuſſa, non reddidit.
Inhorruit mirata Clementiam,
Quæ ne obſiſtenti quidem,
Violentiam intulit ſaxo.
Frangenda tamen urna non fuerat,
Quam Morti Carcerem deſtinaſſet.
Ubi ſepultam illam relinquēret
Suos poſuit & ipſe cuſtodes.
Abituros ne putes, ſedent, non ſtant.
Depoſito metuunt,
Qui ita ſollicite interrogant propinquantes
Quid Quærant.
Juſtus hic à mulieribus Metus;
Invenēre primæ Mortem,
Etiam ubi nulla Mors fuerat.
Miſera, & ſibi ſemper inimica Mortalitas!
Dolet ſe Mori,
Et reſurgere ne poſſit, oppugnat.
Sepulcrum aperire debuerat, & occludit,
Minuere difficultatem Reſurrectionis, & auget,
Obſcuratur auro claritas facti;
Obſtruitur ſacculo aperti ſepulcri fides
Fit Diſcipulorum furtum Magiſtri virtus;
Quia (quæ hominum veſania eſt,)
Nihil difficilius credunt,
Quam quod ſit utilius crediſſe.

Tam Paſtores Chriſto naſcente, quam milites Chriſto reſurgente agebant excubias: hi ſupra Chriſtum, illi ſupra gregem.

Clauſo enim egreſſus è tumulo cum ſurrexit à mortuis.

Hoc eſt Angelos, qui ſedebant ibi in albis.

Dixit Angelus mulieribus, quem quæritis?

Nimirum in Paradiſo voluptatis, ubi Deus Adam poſuerat.
Ita fere Chryſolog. loquens de hoc Myſterio.
Data enim cuſtodibus pecunia, ut dicerent, quia nobis dormientibus, &c.

ELOGIUM LXXXVI.
VULNERA RETINET REDIVIVUS.

Quid agunt characteres Mortis in Libro vitæ?
Tolle, lege Nobilem paginam;

Liber vitæ Chriſtus, ſcriptus intus, & foris.

Tro-

Trophæa diſces eſſe non probra.
Lapidis, unde ſumus exciſi, Nobiles cœlaturas
Quis, niſi ejus invidus pretii,
Deſiderarit abolitas?
Medici noſtri ſtipendia vulnera ſunt;
Sola hæc ægro aſportavit à Mundo.
Huc, huc vel è Cœli Hybla, Apes Mellificæ,
Ubi Flori unico quinque alvearia non ſufficiunt,
Tam ſuavis eſt.
Conſtitutus in Monte Sancto
Prædicare præceptum Patris,
Loquacitatis inimicus
Muta perorat undequaque facundia.
Manuum ejus doctrina, Juſta operatio,
Pedum, recta ambulatio,
Cordis, perfecta dilectio eſt.
In Civitatem Refugii
Quo facilior ſit Reis ingreſſus
Non in uno dumtaxat latere,
Sed & in omni angulo
Suam pandi januam decuit.
Nondum detumeſcente eluvione malorum,
Has non perituris animalibus cellas, & triſtega
Extruere in Arca ſua debuit verus Noë.
Hipocauſtum Dei totius flagrans incendio
Vaporariis paucioribus, quam quinque nō eguit,
Unde & frigeſcens Mundus commodius incaleſceret.
Et Deus exæſtuans copioſius reſpiraret
Bona Mater paritura ſubinde filios
Ut qui à ſe vitam habent, abundantius habeant,
Multiplicat ubera ſua.
Avarus Deus non eſt;
Promptuaria ſua exhaurire volentibus
Ultro objicit ſine ſeris.
Cordi ſuo notam ineſſe non ſuffert,
Quam in humano
Corrigi olim Momus voluerat;
Aventibus introſpicere
Per feneſtram ſat patet.

Dixerat ipſe, ut mederer contritis corde, miſit me Dominus.

Chriſtus flos Campi. Ego conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.

Chriſtus Civitas Refugij, in quam qui ingreditur, egredietur, & ingredietur, & paſcua inveniet.

Fecit Noe in Arca Cellas, & triſtega.

Corpus Chriſti Hipocauſtum Dei.

Venite, bibite, abſq; commutatione vinum, & lac.

Notiſſima Momi in Divinum opus cenſura.

Since-

Mitte manum tuam, & cognoſce, &c.

Sunt enim in illo omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.

Vagina humani Cordis vulnera Chriſti.

Loculi Chriſti Vbi.

Anno Iubilæi Porta Sanctæ panduntur Pontificis malleo.

Ex definitione ipſiusmet Chriſti Domini.

Sinceritatem illius
Licet vel in radice cognoſcere.
Has qui ſcrutari fodinas didicerit,
Paupertatem non timeat.
Manant hic divite vena Theſauri,
Unde mundus quandoque Aureus fiat.
Latrocinia Dei omnia
His aſſervantur in Specubus;
Unde, quem hic non inveneris
Plane perditum puta.
Corda hominum à noxia defenſurus rubigine,
Has illis de ſe vaginas paravit,
Cuſtodiendis creditis ſibi depoſitis
Ubi tutiores foderet loculos, non invenit,
Qui ſervis ſuis annum omnem
Jubilæum eſſe voluerat,
Sanctas Baſilicæ ſuæ fores
Malleo ſemel apertas
Non ultra paſſus eſt claudi.
Hac ad arcana Cœlitum iter eſt.
Hæc qui ad Deum non intrat per Oſtia
Fur eſt, & latro.

ELOGIUM LXXXVII.
APPARET MATRI, ET MULIERIBUS.

Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20.

Matri apparuiſſe Chriſtum licet non legamus, certo tamen credimus.

Ex eo quod viderit conſtantiam ejus, quæ ne ſequidem derelictum à Patre deſereret.

Conjectura varia quibus credibile eſt, adiiſſe Chriſtum Matrẽ ante omnes.

Deſcendentis è Cœlo Chriſti
Prima Statio Mariæ uterus,
Aſcendentis ab Erebo prima requies
Mariæ domus.
In loco pœnarum non aliam paſſus eſt pœnam,
Quam quod ibi ſe vidit, ubi Maria non eſſet.
In Cruce conceptos à ſe in illam Amores,
Quia nullus ſatis interpres exprimeret,
Illi non alium legat Angelum, quam ſe ipſum.
Adhuc lugente Matre,
Feſtivus Filio dies eſſe qui poterat?
An decuit in communionem gaudiorum,
Secun-

Secundam vocari,
Quæ ſemper prima venerat laborum in partem?
Undenam credas ad ſepulcrum
Unam hanc non veniſſe Mariam,
Niſi quod, quem aliæ quærerent, jam habebat?
Hinc neceſſarium nemo cenſuit ſcribere,
Quod ita obvium cuiq; fuerat cogitare.
Creduntur iſta melius, quam narrentur.
Nec alius de hoc dubitare poſſit occurſu,
Quam qui aut Matris merita neſciat,
Aut Filii non aſſequitur affectus.
Fida Verbi cuſtos, & Deo ideo à ſecretis
Hoc ſoli cordi ſuo fidit arcanum,
In hoc quoq; ſe probans majorem Muliere,
Quod tacere talia poſſet.
Quia Christus æternum Mundo Sabbatum fecerat,
Non tenebreſcit Sabbati veſpera, ſed luceſcit.
Diem nutrit, non perimit mater noctis;
Quæ uni Soli veſpera fuerat, Aurora fit alteri;
Illuminatur nox ſicut dies;
Hoc eſt, ſuo ipſa etiam in initio, non in fine.
Rem, quam Deus Mundo publicam vellet,
Non aliis debuit aperire, quam fœminis.
Meliores habere Reſurrectio præcones non potuit.
Facit illis itineris audaciam præcox crepuſculū,
Unde in luce dubiâ uterq; illis caligat oculus
Et cordis, & corporis;
Errare tamen adhuc non timent,
Quæ pietatem ducem ſequuntur.
Sepulto ferunt doloris obſequia,
Quæ redivivo debuerant gaudia triumphorum.
Ingrediuntur ſepulcrum,
Ut conſepultæ Domino,
Perfectam cum illo reſurgerent in ſalutem.
Mirantur ſedentem Angelum,
Vitæ Magiſtrum Mortis in ſchola.
Hic illas ſitus dedocere potuerat,
Ibi jam Chriſtum non eſſe.

Venit ad ſepulcrum Maria Magdalena, Maria Salome, & Maria Iacobi, non item Maria Ieſu.

Solita cuſtodire Dei verba, & conferre in corde ſuo.

Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbati, &c.

Chryſol. ſerm. 74.

Et nox ſicut dies illuminabitur, Pſ.

Chryſol. ſerm. 82.
Venerunt ad ſepulcrum cum adhuc tenebræ eſſent.
Chryſol. ſerm. 82.
Idem Chryſol. ſerm. 77.

Viderunt Angelum ſedentem ſuper lapidem; & in albu, &c.

Stare legimus Angelos ut ſervos coram Deo, & Lucifer ideo cœli pulſus à Regia, quia ſedere tentavit.

Sola Domini abſentia tam bene moratis Spiritib⁹
Fecerat facultatem ſedendi,
Cum alioqui ſemper ſtent coram illo.
Differuntur pietati gaudia, non negantur;
Qui ſe inveniri non eſt paſſus in tumulo,
Occurrit in via.

ELOGIUM LXXXVIII.
APPARET MARIÆ MAGDALENÆ.

Marc. 16. *Ioann.* 20.

Catena Aurea ex Auguſtino. Mulier quid ploras? quia tulerunt Dominum meum, &c.

Nova calamitas trudit antiquæ memoriam;
Ex quo ablatus Chriſtus à monumento,
Magdalena vix meminit,
Quod ſit occiſus in ligno.
Damnat revolutum lapidem,
Qui ſe ſolertioribus opportunitatẽ fecerit furti.
Accuſat reverentiam Sabbati,
Quæ ſuam ſibi quietem inviderit;
Adhuc involuta nubilo mentis
Habet fulgorem omnem pro fulgure.

Vnde non lucem attrahat, ſed pavorem.

Tam quærere ſe ipſam, quam Chriſtum poteſt;
Quia nec ipſa eſt, ubi eſt,
Præſens magis ubi amat, quam ubi animat.
Stare illi nulla moleſtia

Stabat enim ad monumentum plorans, & non ſedebat.

Cui eſt omnis calamitas non ſtetiſſe.
Jacere illam prohibet nobilitas doloris ſui;
Servat ad omne iter erectam.
Lactantur uberibus lacrimis

Lacrimarum unctio gratior Chriſto, quam unguentorum.

Deſideria jam adulta;
Qui præſens ungeretur, lugetur abſens;
Et illi gratius lugendo impendit obſequium,
Quam potuiſſet ungendo.

Recedente Petro, & Ioanne perſeveravit ad ſepulcrum Magdalena.

Recedunt à ſepulcro Diſcipuli,
Non recedit Maria,
Quæ amiſit plus aliquid præceptore.
Cuſtodit illa ibi patronum ſuum,

Accuſata à Phariſæo, accuſata à Iuda, & à Diſcipulis, & ubiq; à Chriſto defenſa.

Sine quo vivere toties accuſata non ſuffert.
Septem olim Dæmonum hoſpita
Puros Spiritus maculare timet acceſſu;
Stat

Stat c[illegible] ram ſedentibus, nec audet ingredi
Hac lucrari modeſtia ſatagens conſcios ſuſti.
Servos videt in veſte nuptiali,
Et adhuc de Domino funera cogitat;
Donec recolens,
Quod pars optima, quam elegerat,
A ſe in æternum non auferretur,
Falſa mavult ſua arguere lumina,
Quam Dei promiſſa.
Nova inſpectione ad novos gemitus irritata
Tandem quærendi perſeverantia
Meruit inveniendi fortunam.
Conſolatus olim lacrimas,
Quas illa pro Germani fuderat morte,
Cur illas non conſoletur, quas effundit pro ſua?
Converſa extra ſepulcrum quærere,
Quem male hactenus in ſepulcro quæſierat,
Videt illi ſe proximam, nec agnoſcit.
Colonum, cujus ipſa etiam agriculturæ pars eſſet,
Lacrimarum imber ſerotinus
Ad gaudiorum ſemina evocat.
Diu tamen Ruſtici larvam
Divinitas tam humana non tolerat;
Incipit illam ipſe quærere, quæ ſe quærit,
Vocat, ac ſi non ipſe ab illa receſſerit,
Sed à ſe illa.
Fit Fides ex auditu, quæ facta viſu non fuerat.
Experta toties, quæ de Jeſu virtus exiret,
Illum non contenta videre, vult tangere.
Arcet ille manum linimentis infectam,
Ineptum reputans ungi eum,
Qui jam nec Athleta eſſet, nec mortuus.

Alba veſtis, veſtis nuptialis; ſervi vero Chriſti utrique Angeli.

Dictum de illa à Chriſto, quod meliorem partem elegerat, quæ non auferetur ab ea in æternum.

Gregor. hom. in hoc Evangelium.

Et illi enim dixerat. Reſurget frater tuus.

Convertit ſe Maria, & videt hortulanum.

Homo dictus Agricultura Dei.

Vocavit ipſe Mariam, qui invocabatur.

Origin. homil. in hunc locum.

Vnctio enim propriè Athletis debebatur, & Mortuis.

ELOGIUM LXXXIX.
APPARET EUNTIBUS IN EMAUS.

Luc. cap. ultimo.

Actum de Nobis eſt,
Si qua impatientia exigimus à Deo promiſſa,
Deus à nobis exigat credita.

Ea ipſa die ibant ex Diſcipulis ejus duo in Caſtellum Emaus.

Humana beneficia expectamus per annos,
Divina ne quidem per dies.

Chriſtus autem ante Solem ſurrexerat.

Vel ſi cum Aurora venerint
Sera jam ſunt.
Qui non niſi poſt triduum reſurrecturum ſe dixerat,
Triduo nondũ expleto jam accerſitur mendacii.
Anguſtæ mentes magna promiſſa non capiunt.
Peſſimus in dubiis conſul mœror,

Hoc eſt à Hieroſolymis, quæ dicitur Civitas Pacis.

Suadet à ſede pacis diſceſſum,
Unicus error duos viatores abducit;
Exules veritatis

Nos autem ſperabamus, quod hic eſſet redempturus Iſrael.

Relinquunt apud Socios Fidem ſuam,
Et Spe in præteritum miſſa
In probroſæ peregrinationis ſubſidium
Solos metus aſſumunt.

Dum autem fabularentur, adfuit Chriſtus.

Hiſtoriam narrant, & fabulantur,
Qui fingunt ſibi damna non vera.
Amat Chriſtus argumentum colloquii, ſi non modum.
Ubi de ſuis ſupplicii ſermo eſt,
Vel ſi excludatur aliunde,
Auditor avidus advolat.

Deus enim nec fallere poteſt, nec falli.

Errantibus, quia ſe dare viæ Ducem non poteſt,
Adjungit Comitem.

Prius enim interrogavit cauſam triſtitiæ, quàm eam aboleverit.

Bonus Medicus interrogationem ægroti,
Præmittit morbi remedio.
Fingit Doloris ſe cauſam neſcire,
Quæ verè ſciri non poterat,
Quia niſi fingerent, nulla erat.

Alludit ad illud quæ! Quod autem Deo ignotum eſt, ſcibile id plane non eſt.
Stulti, & tardi corde ad credendum.

Arguuntur ſtultitiæ, qui ſupra cæteros
Sapere voluiſſent,
Arguuntur & tarditatis,
Qui alioqui perfeſtinato diſceſſu
Ruerent in Fidei jacturam præcipites,
Et à veritate pluribus jam diſtarent ſtadiis,
Quam ab urbe.

Pluribus iam ſtadiis dicuntur ab Hieroſolymis abfuiſſe.

Scripturas aperit, qui ſolus earum eſt Clavis;
Agit Amanuenſium ſuorum interpretem,
Qui non alia, quam à ſe dictata ſcripſiſſent;

Donec

Donec occumbente oculis die, naſcente mentibus,
Sentiretur in æſtu Cordium Solis vicinia.
Quod peccaverat Infidelitas,
Hoſpitalitas corrigit;
Tenet iſta, quem illa fugaſſet;
Et eſt modeſto hoſpiti violentia hæc gratior Cœna.
Nondum aſſequutus ſuſcepti finem itineris,
Sine injuria veritatis fingit ſe longius ire.
Quo dare Majus beneficium poſſit,
Minus non dedignatur accipere.
Libentius convivium, quam conviva,
Appoſitum in panem translatus agnoſcitur.
Nota tamen hujus Sacramentum notitiæ.
Ex vultu diſtinguimur homines;
Deus ſola detegatur ex manu.

Inclinata eſt jam dies, & adveſperaſcit.

Ita fere Chryſologus.

Et coëgerunt illum ut maneret.

Quare finxerit Chriſtus ſe adhuc longius ire.

Convivium Chriſtus in Euchariſtia, qua nihil illi carius.

Et cognoverunt illum in fractione panis.

ELOGIUM XC.
APPARET DISCIPULIS IN COENACULO.

Luc. 24. *Ioan.* 20.

Quæ ſit ſuperbia Fœminis,
Quod ante viros de Reſurrectione cognoverint?
Ut præierint, quæ ſequi debuiſſent,
Non fuit præpoſterus ordo, ſed Myſticus.
Opportunitatē hanc abolendi veterem culpam,
Sexui ſuo Mariæ dignitas meruit,
Ut quæ à ſerpente deceptæ deceperant,
Eruditæ ab Angelis erudirent,
Et quæ hauſerant è Paradiſo perfidiam,
Fidem eruerent è ſepulcro
Et quæ primæ laxaverant aditum Morti,
Primæ viam ſternerent & ſaluti.
Quid quod omnia illa
Unum in tumulum acervata prodigia
Narrant Mulieres, ſed de Viro?
Piæ Præficæ obſequium Chriſti ſuſcipiant,
Apoſtoli, Chriſti ſuſcipient paſſiones;

Reſurrectio Chriſti, fœminis prius, quam viris prodita.

Chryſol. ſerm. 79.

Per mulierem enim Mors, hoc eſt, per Evam.

Idem ſerm. 74.

Unde ne in hoc quidem mulieres viris præſtent.

Chryſol. ſerm. 79. *& fere ad Verbum.*

Illæ ferent aromata, hi flagella;
Effundent illæ oleum, hi cruorem.
Latebant Apoſtoli in Cœnaculo propter metum Iudæorum.
At quid nunc eſt, quod in cœnaculo
Fletus, dolorisq; convivæ
Spei ſuæ damnis nutriunt edaces metus?
Meminêre Judæorum minas,
Et Præceptoris non meminêre promiſſa;
Cum ſero eſſet, & fores eſſent clauſæ propter metum Iudæorum.
Orto jam Sole ſero adhuc eſt apud eos,
Quia clauſis januis ingredi prohibent novũ diem.
Vel invitus tamen ille ultro ſe ingerit;
Et dixit eis, Pax vobis.
Enituntur ſilentes tenebræ Vocalem Solem;
Videtur, & auditur ille, nec creditur;
Turbati enim ſunt, exiſtimantes ſe ſpiritum videre.
Pacem precatur,
Et novos ciet ſua pace conflictus.
Aſcendunt cogitationes,
Quæ de Erebo, non de Cœlo venirent;
Omnem colligunt in oculos ſenſum,
Exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Palpate, & videte.
Et adhuc jam non mulieribus, ſed ſibi ipſis increduli
Apertis oculis ſomniare ſe putant.
Viſum jubentur emendare per tactum;
Et in carne Domini ſuam cœcitatem palpare.
Ianuis enim clauſis Chriſtus ingreſſus. Qui non intrat per oſtium fur eſt, & latro.
Apprehendunt manibus Veritatem,
Quam mentibus non poterant;
Seu illum per Oſtium intraſſe non credant,
Adhuc non furem reputant, ſed Paſtorem.
In ſtuporem degenerat hæſitatio,
Timor in Gaudium;
Viderunt loca Clavorum, & gaviſi ſunt.
Legitur in vulneribus gloria bellatoris;
Veſtigia mortis fiunt novæ vitæ præſagia;
Renatum magis, quam hilaratum quiſq; ſe credit.
Dum ex eo quod redderetur, amiſſum reputans bonum
Præteriti æquitatem doloris
In Argumentum lætitiæ laxioris aſſumit.
Pacis ſuæ Prodigo Deo,
Et dixit eis iterum, Pax vobis, &c.
Pacem ſemel dediſſe non ſufficit.
Qui per primam excitatã jam bella ſedaverat,
Excitanda compeſcere voluit per ſecundam.

ELO-

ELOGIUM XCI.

APPARET PISCANTIBUS.

Ioan. 21.

Intentis muneri ſuo,
Vel non ſpectatus Chriſtus aſſiſtit.
Theatrum illi jucundiſſimum, Societas operoſa,
Ad cujus delicias vel à ſummo mane feſtinat.
Arti ſuæ, quam tam male Aulicismo mutaverat,
Redditus Petrus.

Poſt Reſurrectionem, adhuc piſcatoriam exercuerunt Chriſti Diſcipuli.
Mane facto ſtetit Ieſus in littore.

Exempli ſui violentia ſocios trahit.
Alumnos lucis nox inimica ludificat;
Illis nec ad quietem utilis, nec ad laborem.
Captant Paupertati ſubſidia,
Non illecebris voluptati.
Et adhuc retibus ſuis ſola tædia colligunt.

Dixit Petrus vado piſcari, & reſponde, runt venimus & nos.
Per totam noctem laborantes nihil ceperant.

Fugant prædam, qui fugerant præceptorem;
Inveniunt in Piſcibus metus ſuos;
Metiuntur Chriſti præſentiæ commoda
De damnis abſentiæ;

Omnes enim eo relicto fugerunt in horto.

Parcunt tamen querelis, votis contenti,
Et patientiæ lucro reſarciunt,
Temporis, ſomnique jacturam.
Provocat Dei liberalitatem avaritia maris;
Honeſti olim comes laboris, nunc merces eſt;
Quia nullos traxere piſces
Novum attrahunt Piſcatorem

Nullam Apoſtolorum querelam in illo infortunio legimus.
Iuſsit illos mittere rete in dextram Navigij.

Stat Jeſus jam extra procellæ ditionem in littore;
Pulmentum exigit, dare paratus;
Interrogat ut homo, mox operaturus ut Deus.
Invitat ad menſam, quos nondum idoneos
Invenit ad pugnam.

Pueri nunquid habetis pulmentum.
Chryſol. ſerm. de Caco.
Idem ſerm. 78.

Vocat Pueros, qui & ſe matre adhuc egerent,
Et ſe viros diffiterentur
Territi larvis malorum.
Tanquam cum pueris ludit Providentiæ ſuæ ludos.
Revocat ad dexteram
Quos præteritus turbo ad ſiniſtram abjecerat;
Creat iis novam de utili labore lætitiam:

Quare Chriſtus pueros vocarit Apoſtolos.
Ludit enim Dei providentia in orbe terrarum.
Chryſol. ubi ſupra.

Impletum Rete magnis piſcibus.

Supplet de largitate ſua,
Quod defuerat illorum fortunæ,
Implet ipſe retia magnis piſcibus,
Quos illi trahendo faciant ſuos.
Deteguntur Dilecto piæ amantis inſidiæ;
Agnoſcitur ex beneficio,
Qui non innoteſcebat ex vultu;
Victus Petrus videndi acie,
Primas ſibi vendicat in Amoris ardore.
Non excuſſit illi reverentiam deſiderium præceptoris;
Deo horret nudum ſe ſiſtere jam non innocens;
Alter poſt lapſum Adam ad velamen feſtinat,
Nec interim ineptiam reputat,
Quod qui nudus in navi fuerat,
In mare ſe demergat indutus.
Feſtinant cæteri impari curſu, quia nec pari fide,
Agunt iterùm Dei Commenſales tripudia;
Stupent in uno ferculo plura miracula;
Attendunt comedentem, obliti quid comedant,
Expiſcari Dei curant arcana ſaturi piſcibus;
Adeo hominibus unum dediſſe beneficium,
Eſt alterius deſiderium injeciſſe.

Prior Ioannes dixit, Dominus eſt.

Chryſol. ſerm. 78. Innocentia nunquam nuda eſt; reatus ſemper refugit ad velamen.

Idem ibidem. Cæteri autem navigio venerunt ad littus.

Alludit ad interrogationem Petri, Domine hic autem quid.

ELOGIUM XCII.

ASCENSURUS SUIS VALEDICIT.

Mar. ultimo Luc. 24. Act. Apoſt.

Collige, mi bone hoſpes, ſarcinulas;
Gratus accidere Mundo non potes;
Qui vitia palpare non noſti.
Rarus in terris
Qui beneficia utilitate metiatur.
Vulgus id unum credit prodeſſe, quod placet.
Ægrorum pleriſque
Sola linimenta remedia ſunt;
Ubi ferrum, aut ignem ulcus exquiras,
Tolerabilior habetur Ægritudo, quam Medicus,
Gymnaſiarcha ſeverus
Ne Rude quidem donandis

Recumbentibus undecim apparuit Ieſus, & exprobravit incredulitatem eorum.

Obſequium Amicos, veritas odium parit.

Apoſtoli laureati in Academia Chriſti.

In

In cogitantiam diſciplinę condonat.
Imminent fer æ
Et paleſtra tua non miteſcit Athletis;
Torques eos præſens,
Ut vel pudori ſuo reſurrexiſſe te credant.

Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, &c.

Adulari cuipiam, ne in extremis quidem officiis,
Veritas potuit.
Recumbentibus querulus conviva ſupervenis;
Et voluptatem, quam ſpectatus feciſſes,
Intercludis auditus.
Collecturos probroſa queq; hominum ſcommata

Gaudebant viſo domino, & eo audito triſtabantur, quia objurgati.

Ad difficiliorem patientiam
Per hæc prævia tentamenta diſponis.
Periculorum filia ſecuritas eſt;
Qui te ſemel iratum pati potuerant,
Iram omnem jam potuere contemnere.

Ex periculo enim ſecuritas naſcitur.

Inſtituturus fori tui cognitores,
Quo mitius in aliena iniquirant piacula,
Illis opportune exprobras ſua.
Agnoſco & in hoc ipſo aliam innocentem verſutiam.

Ex Trid. inſtitutum pœnitentiæ Sacramentum, Quorum remiſeritis, &c.

Quo deſiderium tui mitius tuos premat,
Studes aſperos imitando mores minuere.
Atqui ſuavitatem tuam ſemel expertis
Nulla crees injuria faſtidium tui.
Recte philoſophantes, vitia non monitorē odere;
Dummodo habeant te placatum in reditu,
Libenter aſperum tolerant indiſceſſu.

Hoc eſt in Die Iudicij, cum redibit exigere rationem de credito.

In affectu tuæ violento Clementiæ
Peregrinus ut es, diutius hærere non potes.
Infidelitate correcta fidei magiſtros inſtruis;
Vis Mundum iis credere,
Cum ipſi non crediderint tibi.
Proregibus tuis univerſorum Dominus
Nullam oram non ſubjicis.

Euntes per Mundum univerſum, prædicate Evangelium, omni creaturæ.

Pollicitus perigrinationum ſodalem alterum te
Præmunis Viatico plane te digno,
Novo Magia ad excantationem ſerpentium,

Hoc eſt Paraclitum, Spiritum veritatis, qui de meo accipit.

Nova lingua ad eruditionem rudium;
Nova peritia ad curationem ægrorum

Prædicate Evangelium omni creaturæ, &c.

Energumenos Spiritus tui jubes
Suam ſalutarem dementiam aliis inſtillare,
Et coactis in obſequium Gratiæ elementis,
Prima ſalutis in hominē ſemina

Alludit ad Sacramenta Baptiſmi, Chriſmatis, &c.

Rigare aqua, impinguare oleo, fovere flamma.
Perſuaſum vis Mundo,
Te illi ſuam non ſolum pacem eripere,

Quare Chriſtus diſceſſurus toties iteraret, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.

Sed & tuam relinquere.
Et opportunè ſane.
Suſpicari enim volueram,
Repetiiſſe te rem quam attuleras,
Cum nullam poſt te pacem invenerim.

ELOGIUM XCIII.
ASCENDIT TRIUMPHATOR IN COELUM.
Marci 16. Act. Apoſt. Primo.

E monte Galileæ cur Chriſtus in Cœlum conſcenderit.

In cœlum te, niſi ardua, non deducant.
Illuc properanti per montium apices iter eſt;
Quo Chriſtus aſcendit per gradus,
Saltu venire qui ſperes?
E Specu Betlem in Calvariæ clivum profecit;
Inde in Olivetum, unde in Empyreum.
Ne mireris in homine motum,

Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit.

Qualem non miraris in aqua.
Non aſcendit & ipſe ſublimius,
Quam ante deſcenderit.

Elias raptus in curru igneo notiſſimus.

Elias major telluri rapitur;
Non unus ſperet Spiritum duplicem Eliſeus.
Igneo tamen non effertur in Curru,
Ne qui ignem miſſurus in terras venerit,
Poſſet argui furaturus veniſſe.

Chriſti triumphus non niſi inter oleas: quia triumphus miſericordiæ.

Cui ſola Lenitas triumphus eſt,
Habet in Oliveto Palmetum.
Gentes domitas in hac ne quære.
Coram Deo unica triumphandi cauſa
Se ipſum viciſſe.

Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.

Poſt dies decem
Pretioſa deſcenſurus in pluvia

Aſcendit

Aſcendit in Nube.
Ex Orbe, in quo tam male exceptus egrediens,
Pulverem non excuſſit è pedibus,
Sed attraxit.
Nunquam gravis telluri,
Niſi cum eam onere levaret ſuo.
Quàm inhæreret hominibus conjice,
Qui tali glutino inhæreſceret ſaxis.
Quæ condoluerant morienti,
Meruere oſcula triumphantis.
Jam non futurus Viatór
Ipſos in terra propemodum
Oblitus eſt pedes.
Se in itinere non trito ſequutis,
Quid utilius relinqueret, quam veſtigia?
Primus a Dei Urbe Lapis hic eſto;
Quo qui venerit,
In illius finibus eſſe ſe ſciat.
Non uno hic Dei digito, ſed bino pede,
Ea ſcripta lex homini,
Ut Cœlum, niſi tellure calcata, non ſperet.
Triumphalis Cœlitibus Dies,
Eos candicare juſſit in veſtibus.
Hæc in Regno Innocentiæ purpura eſt.
Humanitatis facti ſunt Candidati,
Ex quo titulus hominis
Dignitas eſſe cœpit in Deo.

Præceperat ſuis: ubi vos non receperint, excutite pulverem de pedibus.

Saxa in illius obitu fracta ſunt.

Iter ſalutis ad eam diem, utique ignotum, & à nullo tritum.

Alludit ad lapides indices diſtantiæ in publicis viis.

Et olim in Sinai lex ſcripta digito Dei.

Quare in albis apparere cœperint Angeli poſt Chriſti triumphum.

Alludit ad Candidatos Conſulatus, & aliarum dignitatum apud antiquos.

ELOGIUM XCIV.
LINGUARUM IMBREM PLUIT IN SUOS.

Act. Apoſt. cap 2.

Quæ aſcendit ad veri Jovis dexteram
Aquila,
Illi non miniſtravit fulmina,
Sed excuſſit.
Extulit Cœlum è terra halitus,
Quid mireris in aëre Meteora?
Venti, & fulmina

Aquila magnarum alarum Chriſtus. Poëta vero Aquilam miniſtrare Iovi fulmina fingebant.

Meteora ignea, ut Cometæ, &c. ex halitibus terræ aſcendentibus, ſicuti & venti.

Tellus ſublimata humanitas Chriſti. Ad illud, cum complerentur dies Pentecoſtes.

Sublimata trahunt de tellure materiem.
Inanes ultra eſſe non decuit homines,
Cum jam complerentur & dies.
Deprehenſus in tempeſtate
Irretitur à piſcatoribus Deus,
Et mitiora conſentiens in jura captivus,
Indices iracundiæ flammas
Ponit emblementa Charitatis.

Quare ſederunt igneæ linguæ ſupra ſingulorum cervices.

De linguarum ſemine cordium meſſor
Supra vertices ſtatuit
Sublimiora Mortalibus loquuturas.
Taciti, ex quo ſine Verbo diſcipuli,

Expectabant ut daretur illis de Cœlo, quomodo, quid loquerentur.

Dum non jam verbum à lingua,
Sed à Verbo linguas expectant,
Aſſiduis udi lacrimis agnoverunt,
Ferri adhuc
Spiritum Domini ſuper àquas.

Latebant in Cœnaculo propter metum Iudæorum.

Per Judæorum metum
Ad Dei proficientes amorem,
Cœnaculum abſtinentia dedicantes

Dixerunt Turbæ, ecce omnes iſti ebrij ſunt.

Linguas attraxere ſilentio,
Ebrietatem jejunio contraxere.

Vt enim impleatur vacuum aſcendunt gravia, deſcendunt levia.

Terra iterum ſine Chriſto.
Inanis, & vacua
Eam infert igni violentiam,
Ut deſcendat.
Parientium tormina
Expertum Cœlum eſt,
Cum Veritatem, & Juſtitiam

Quare factus de Cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis.

Diu deſiderato puerperio daret in lucem.
Quandoquidem jam perfecerat opus ſuum,
Sedit opifex ſpiritus,

Dixerat olim Deus, non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt.

Utique permanſurus in homine,
Quia caro jam non eſt.
Portus Salutis

Pharos maritima turris in cæco errantibus rectum indicat iter.

Ne in cæco errantibus fruſtra pateret,
Multiplici munitus eſt Pharo.
Felix quicunque
His iter ſuum regat indiciis.

ELO-

ELOGIUM XCV.

GLORIA SUA MUNDUM IMPLET.

Abjecit Cœlum fulmina; inerme jam eſt,
In ejus expugnationem
Securi nunc, Titanes, aſſurgite.
Admiſit de terra Colonias,
Tueri ſe à Terrigenis, vel ſi velit, non poſſit.

Fulmina hæc impietatem petebant, erant autem tanquam linguæ.

Extra tellurem
Homo homini jam lupus non eſt
Ubi livor locum non habet,
Nemo fratrem patiatur excludi.

Alludit ad fabulam Gigantum notiſſimam.

Quamquam, quæ neceſſitas oppugnandi nunc
Cœlum,
Quod in reciproca commercia
Cum tellure conſenſit?
Datus aliquis utrinque Obſes eſt Deus;
Deſcendit Paracletus, aſcendit Chriſtus;
Qui tamen toto non contentus Empyreo,
Excurſiones aſſiduas agit in terram.
Nulla illi voluptas regnare,
Si non regnet cum multis.

Cælo tellus conciliata, & utrinq; obſides dati, hinc Chriſtus, illinc Paraclitus.

Patet id, quia & ad Pauli oppugnationem deſcendit.

Occupat aras prope omnes jam ſolus;
Ipſe Sacerdos, ipſe victima, ipſe omnia eſt;
Alium martem jam bella non invocant;
Alium Neptunum navigia non implorant;
Adempta Cyprus Veneri, Delos Apollini,
Creta Jovi.
Ignorat Ægyptus Iſidem, Arcas Alcidem;
Roma ipſa, quæ tota Pantheon fuerat,
Per piſcatoris annulum
Uni deſponſa jam Numini,
Multiplicem de Diis ſuis obtulit Hecatombem.

Chriſtus Divinitatem omnem Mundo ſupplet.

Omnium enim nationum Deos acceperat.

Citra vitium aurium verus Midas,
Univerſa quæ tetigit, aurea fecit.
Pretium ejus in flagella uſque manavit.
Nobilitavit opprobria, quia pertulit;
Calamitates nuda jam nomina ſunt;
Acquiſière vim beneficii
Ex quo Dei filio pares in fortuna nos reddunt.

Midas quidquid tangeret in aurum vertebat, ex Poetis.

Beati enim qui illas patiuntur.

Pro-

Probroſum antea ſerui nomen,
Prima nunc Dignitas eſt.
Supremæ Majeſtatis ambitio
Libertos ſuos omnes Reges inungere;
Unde Chriſma quod adhibet
Non tam Athletas armat ad pugnam,
Quam regni candidatos initiat ad Coronam.
Athenas ubique circumferunt
Semivocales Galilei;
Et Literatura omnis de Jeſu eſt;
Plena definitur philoſophia, illum ſcire,
Plena felicitas, illum diligere.
Antiquat jura omnia nomen novum;
Motis fluctibus Remora
Fixis fit vehiculum Montibus.
Immutavit Areopago Judices,
Circo Gladiatores.
Feris Eremos eripit,
Et dat Aſcetis,
Monſtra Naturæ minuit,
Et auget Gratiæ.
Faunis ſylvas, ſed pudicis exhilarat,
Protheis Urbes,
Sed ſolam verſatilibus in Salutem.
Velint nolint, omnia Chriſto dant gloriam,
Vel beneficiis affecta, vel pœnis.
Quo major illi tamen laus ſit eſto tu melior.
Nulla illi panegyris gratior,
Quam quę ſe dignis venit ex Moribus.

Pontifex enim, ſervus ſervorum inſcribitur & tamen illius dignitas prima eſt.

Omnis enim doctrina, Chriſtum ſcire, quod unum docebant Apoſtoli.

Ad illud, in nomine meo Dæmonia ejicient, montes tranſferent, &c.

Monachi in ſylvis Fauni ſanctiſſimi.

Fiunt enim omnibus omnia, ut de ſe Paulus.

Chriſtus ſuorum magis Moribus, quam voce laudatur.

ELOGIUM XCVI.
STEPHANI AGONEM STANS SPECTAT.

Act. Apoſtol. cap. 7.

Pellite, populi,
Feras, & Mirmillones è Theatro;
Mitiores de Gladiatoribus ſuis ludos
Dare Mundo Chriſtus inſtituit.

Martyres in Theatru Gladiatores à Chriſto cœlitibus dati.

Pri-

Primicerius Purpuratæ Legionis
Certam ſibi, ſuiſque Victoriam
Coronato vaticinatus in nomine

Ita ferè illum vocat Petrus Damianus.

Facturus periculum fortitudinis,
Qua plenus erat,
Cum tuta Judæorum feritate committitur.

Stephanus plenus gratia, & fortitudine.

In tam duras cervices alliſum,
Integro capite rediturum ne puta.
Incircumciſos Corde
Circumcidere Verbi Dei gladio ſatagit;

Dura cervice, & incircumciſi corde. Gladium Spiritus, qui eſt Verbum Dei.

At Orpheus alter,
Arte, quam auditore felicior,
Præter lapides nihil penitus ad ſe trahit.

Ipſe enim etiam ſaxa traxit, ut Orpheus.

Cœli Siren innoxia
Eos incidit in Ulyſſes,

Notiſſima fabula.

Qui Malo ſuæ perfidiæ alligati
Aures contineant, ſaxa projiciant.
Non tolerant Emphatici gravitatem ſermonis
Mentes leviſſimæ.
Ex carne toti
Reſpondere ſpiritui neſciunt,

Non poterant reſiſtere Spiritui, qui loquebatur, ideo continuerunt aures ſuas.

Unde quas non habent à Doctrina ſuppetias,
A furore mendicant.
Exerceri in Urbe
Inurbanitas tanta non poteſt;

Quare ejecerint eum extra Civitatem.

Ex illa egrediuntur Academici, redituri Lictores,
Et veſtibus ad Pauli pedes abjectis,
Illi Apoſtolatum præſagiunt.
Novi Gigantes
Cœlum ſaxis aperiunt,
Aliis tamen, non ſibi.

Ad Apoſtolorum enim pedes iis diebus abjiciebantur veſtes & alia quæ poſſiderentur.

In homine jam pleno Gratia
Locum ira non invenit.
Etiam de alieno peccato Juſtitiam ſuam
Cumulat.
Et lapides accipiens, preces reddit.

Ita fere S. Hilarius loquens de S. Stephano.

De hoſtibus ſollicitus, de ſe ſecurus,
Pro iis pronus in genua.
Pro ſe ſtans rogat.
Nec enim impetrari Saulus à Deo

Pro ſe ſtans, pro hoſtibus flexis genibus quare rogavit.

Oratio-

Oratione quacunque potuerat.

Quare ſtantem, & non ſedentem viderit Chriſtum.

Sui cauſa proſtrato
Honoris gratia Chriſtus aſſurgit.
Tantæ virtuti ſuam quodammodo ſedē cedens,
Omnes Martyres veneratur in primo.

Videbant faciem ejus tanquam faciem Angeli.

Indulget illi
Non Angeli ſolum faciem, ſed & Sortem.
Cui Vita labor fuerat, mors ſomnus eſt.

Quare dicatur in Domino obdormiſſe, & non mortuus eſſe.

Credas non attigiſſe lapides mentem,
Quæ vel ſub ipſis obdormivit in Domino.

ELOGIUM XCVII.
SAVLUM EX EQUO DETURBATURUS DESCENDIT.
Act. Apoſt. cap. 9.

Ita ſere Chryſ. l. de Converſione Pauli.

Gigantem paritura torquetur Eccleſia,
Et quaſi nova Rachel,
Dum Benomi ſuum animat, exanimatur.

Paulus in ſuis epiſtolis quare ſe Abortivum vocaret.

Quidni demum ſe Abortivum agnoſceret
Qui ſe publica natum meminiſſet in via?
Qualem hominem Paulum credam,
Quem tanti fecerit Deus,

Deſcendit enim & propter illum in terras.

Quanti totum propemodum humanum genus?
Illius unius gratia
Exhibitum univerſis iteravit obſequium;
Exivit rurſus à Patre

Specioſa nequitia, quia plauſibile erat apud Judæos Chriſtum perſequi.

Et Graſſator beneficus inſidiatus Viatori
Specioſa illum nequitia ſpoliavit.
A Protomartyre diu rogandus haud fuit,
Ut in hanc vellet expeditionem aſſurgere;
Eo vix audito protinus ſtetit,

Quare Chriſtus orationem Stephani pro Saulo non illico exaudierit.

Quaſi qui feſtinaret ad opus;
Non dilaturus ne per momentum quidem
Hoc cœlo Gaudium,
Niſi triumphus debitus Stephano,
Eum quodammodo per dies aliquot
Retraxiſſet à Saulo.

Abundantius Æmulator paternarum traditionum.

Legis Idololatra,
Quam non, quia Dei,

Sed magis quia Patrum erat, amaret;
Acceptis litteris tumidus,
Conceptis ſuppliciis truculentus,
Erebo, quam Damaſco jam propior,
Serenitatem omnem
Nube lucida involutus amiſit.
Ferre Equus non ſufficit hominem
Vel ipſi jam gravem Deo.
Alliſus in terram concipit deſiderium Cœli,
Et per Tirocinium tenebrarum
Initiatus ad lumina,
Cœcus ad cætera omnia, Deum videt.
Dejectum non ſodales ſolum,
Sed & lux ipſa deſtituit.
Fortunata tamen dejectio,
Quæ cœcatum erronem deducit in Vicum,
Qui & vocatur Rectus, & eſt.
Jam tum Chriſto configuratus
Reſurgit & ipſe poſt triduum,
Et de rebus jam non ut antea judicans,
Mutatos ſibi intelligit oculos,
Non ademptos.
Squammas non exuit, niſi redactus ad anguſtias
Serpens,
Et Vas electionis,
Niſi luſtralibus prius undis ablutum,
Suaviſſimi nominis aromataria non impletur.
Ut philoſophiæ noſtræ prima Theoremata
Eſſe de patientia ſcias,
Quid ante omnia doceatur attende.
Prima Doctori gentium collata cognitio, continet;
Non quanta agere illum oporteat,
Sed quanta pati.

Nubes lucida circumfulſit illum.

Erat per triduum non videns, &c.

Dixit Dominus ad Ananiam, quære Saulum nomine Tarſenſem in vico, qui dicitur Rectus. Se Chriſto configuratum ſæpe Paulus profitetur.

Ceciderunt ab ejus oculis tanquam Squammæ, &c.

Vas electionis eſt mihi ut portet nomen meum, ideo juſſit ablui per Baptiſmum.

Oſtendam illi quanta oporteat illum pro nomine meo pati.

ELOGIUM XCVIII.
VENIENTIS AD JUDICIUM APPARATUS.
Matth. 24. *Luc.* 23.

K Horreſcite

Iudicij Dies, ferme ſemper Dies Domini dicitur in Scripturis.

Areſcentibus hominibus peribit mundus, non item ijs lacrimantibus.

Alludit ad parabolam Zizaniorum.

Horreſcite diem Domini, Deſides ſervi.
Differte lacrimis incendium Mundo;
Niſi areſcentibus hominibus arſurus ille non eſt.
Nutrite fiduciam Veſtram,
Qui à Principibus appellatis ad Deum.
Sedebitis & vos quandoq;, qui ſtatis.
Purgando tritico
Sua decreta Area eſt,
Et omnis Celſitudinis fæces,

Vallis videlicet Ioſaphat, in quam omnes cogendi.

Una vallis expectat.
Supremum terris bellum
Indicit tuba noviſſima,
Et ſub irati numinis ſigna

Pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos.

Omnem contra inſenſatos cœli militiam vocat.
Hoc quaſi cornu ferali.
Ad venationem Vulpecularũ progreditur Deus.

Moriuntur miſerationes in ordine ad malos, non ſic in ordine ad bonos in die Iudicij.

Canit receptui Miſerationibus ſuis,
Iiſque Morientibus
De Mundi incendio rogum facit.
Egregius cujuſque operis Licitator
Haſta poſita Crucis ſuæ
Voce Præconis Regni ſui auctionem edicit.

Stellæ quare cadent de Cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur.

Stellæ oculi cœli paſſim dicuntur.

Deſcendunt accuſare ſidera, quos nox texit,
Siſtuntur & ipſa judicio,
Quæ lumina tenebrionibus miniſtrarunt.
Cœli oculi perſpicere propius appetunt,
Qui habeatur, in tanta multitudine
Pro cœlo delectus.
Cupidi ipſi etiam arcanorum,

Omnes nos, & omnia noſtra manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti.

Ubi omnia evulgantur, accurrunt.
Contagium telluris
Innocentes impiat faces;
Quæ in cœlo ſidera fuerant
Cum terras attigere, fulmina ſunt.

Fulgebunt enim ſicut Sol in perpetuas æternitates.

In Beatorum Corporibus
Exceptura tot Soles,
Stellas jam à ſe projicit Dei Domus.

Vnde terræ motus magni per loca.

Sibi peſſime conſcium
Cor terræ palpitat,
Et undequaque concepto igne febricitans
Inſanis

Inſanis fatigat motibus Phreneſim ſuam.
Seſſuri Judicis metu
Feſtinant elementa reddere
Quæ ſingulis debent.
De Cadaveribus,quæ abſumpſerunt,
Ne ipſos quidem retinent Cineres.
Hæc, qui legis,intellige.
Non niſi opponendæ vitiis hominum
Commoventur Virtutes Cœlorum.

Elementa tunc magno impetu corruent,& mortui reſurgent,tam qui ab undis,quam qui à flammis abſumpti.

Quare dicantur commovendæ Virtutes Cœlorum.

ELOGIUM XCIX.
JUDEX SEDET IN VALLE JOSAPHAT.

Aperti Dei libri ſunt; claudite veſtros, Mortales.
Timete,Reges,Judicium Pauperum,
Quorum ultioni totus hic decretus eſt Dies.
Incidiſtis & vos
In Piſcatorum retia,magni Piſces;
Nec frangere poteſtis illa, nec fugere.
Dedocete vos ſublimia
In vallem abjecti,
Nec audete poſthac ſerenitatem jactare,
Qui nubi fœtæ fulminibus ſubjacetis.
Cuique Regno ſuus in Cœlo Cometes
Finem denunciat.
Quærit Crux transfugas ſuos,
Et in unum collectis inſultat.
Submittunt ſidera faces venienti;
Fit illi concolor Luna per ſanguinem;
Sol verò hac erubeſcentia non contentus
Ne Maculas & ipſe detegat ſuas
Lumina contegit.
Non profuturam pœnitentiam
Agit Mundus in Cinere.
Pullulat undequaque populus Mortis,
Et hujuſce pars populi ſummi Reges.
Par in omnibus nuditas, diſpar cauſa;
Niſi quod omnes
E communi naufragio enatarunt.

Sedit Iudicium,& libri aperti ſunt, &c.

Omnes enim Iudices Pauperes, quia piſcatores.

Alludit ad titulos humanarum dignitatum,Celſitudinis, ſerenitatis,&c.

Veniet Chriſtus in nube cum poteſtate magna, & majeſtate.

Inimicos Crucis, quorum finis interitus.

Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem.

Operiet enim mundus ſe cinere in incendio illo ſupremo.

Quare tam boni quam mali coram Chriſto ſiſtendi ſint.

Non admittunt veſtem aliam Chriſtum induti,
Cæteris vero, ut pote ad flagella paratis,
Nulla permittitur.

Dicent montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos.

Cadere Montes velit ambitio ſe ruente.
Qui theſauros ſuos omnes
Abdiderunt in terra
Omne quærunt à terra ſubſidium.

Melius enim erat illis ſi nati non fuiſſent.

Avent red.re Matris in viſcera,
Ex quo id ipſum, quod nati ſunt,
Deſinit iis eſſe beneficium, & fit pœna.

Rapiemur obviam Chriſto in Aera ex Apoſtolo.

Tolluntur in aera,
Qui nunquam toti inhæſere telluri,
Et gravitate Morum

Iuxta promiſſum, qua menſura menſi fueritis, remetietur & Vobis.

Levitatum hanc aſſequuti, tripudiant.
A filio hominis exercetur humano more Judicium;

Quare dicatur Chriſtus ad Iudicium veniens, non filius Dei, ſed filius hominis.

Mitis neſcit eſſe crudelibus, crudelis mitibus.
Damnatur unuſquiſque
Se teſte, ſe Accuſatore, ſe Judice,
Et qualem illum paſſi ſunt alii,
Talem & ipſe patitur Deum.
Declina nequitiam, qui forum non potes.

Ideo Beatus qui ſemper eſt pavidus.

Quamdiu trepidus non fueris, te ſecurũ ne puta.
Cogita perire te poſſe, ne pereas.

ELOGIUM C.

E TRIBUNALI IN SOLIUM MIGRAT, UBI REGNAT IN ÆTERNUM, ET ULTRA.

Dei fabula mundus à philoſophis dictus.

Peracta Dei fabula
Recognoſcuntur Actores,
Et unum, & idem
Perſonas, & ſcenam ſequitur fatum.

Elementa enim, aque ac homines magno impetu tranſient.

Ubi nunc homines, ubi urbes, ubi Mundus eſt?
Ubi eris & tu, qui hæc legis.

Sibi, ubi enim ceſſet vita, mors & ipſa ceſſet neceſſe eſt.

Morti ipſi ſua quoque mors imminet,
Fiet illa Carnifex ſui,
Cum cæterorum eſſe deſierit.

Ut quid ſint, quæ in Mundo vides, intelligas,
Quid ſint futura cognoſce.
Omnia Cinis,
Sed colore vario pretium mentiuntur.
Expecta diem,
Quæ ſola ſuam mentibus lucem reddat.
Internoſces malos à bonis
Cum utroſque diſtinxerit Deus.

Dies jam non ſolis, ſed Domini, quia clarior, ideo illuminabit abſcondita.

Nulla Zizaniis reverentia collecto tritico.
Vaſa decoris imbuet æternus odor,
Vaſa nequitiæ recoquet æternus ignis.
Abradentur è Mundo
Monumenta omnia ſcelerum;

Triticum enim in horrea, zizania in fornacem mittentur.

Ne ipſa quidem jam extent eorum loca
Nova tellus educetur, & novum Cœlum.
Dejectis Hædis ad tormina,
Aſſumet Agnus Agnos ad paſcua.
Exutus horrorem Judicis
Majeſtatem induet Regis.
Omni ſoluta jam compede
Evolabit ad originem ſuam libera Probitas;

Odium Dei in Peccatum & peccatores.
Ita maledicti, &c. & Venite Benedicti.
Tollentur boni cum Chriſto in aera.

Nullo jam illam ambiente contrario
Fines ſuos conſtituet perennem pacem.
Steteris hactenus, ſedere nunc potes, mi Jeſu,
Bonus, & malus in loco ſuo ſunt,
Vindici criminum, curatori Virtutum,
Nemo negotium jam faceſſat.
Nullus tibi ſupereſt labor, nullus & mihi.
Non habui ubi quieſcerem opportunius,
Quam ubi te ſedentem relinquo.
Gigantis emenſus itinera
Otii neceſſitatem contraxi.
Pinxi ego te coloribus plane non tuis:
Felicius exprimam, ſi te videro.
Amando corrigam, quod ſcribendo peccavi.
Scatebit, fateor, vitiis ſæculi ſui opus,
Et in Area Bellonæ conceptum
Plumbeum totum erit, ac ferreum;
In Margaritis tamen
Nubilo, & fulguranti genitis cœlo,

Locus malorum Erebus, unde Petrus de Iuda ut abiret in locum ſuum.
Qua occaſio auctori concludendi hic elogia ſua.
Vita Chriſti Gigantis iter; ait enim: exultavit ut Gigas ad currendã viam.
Difficile pingimus, quem non vidimus: Chriſtum autem non niſi in cœlo videbimus ſicuti eſt.
Hoc eſt Taurini, ubi ſcripſit hæc auctor inter ferales bellorum ſtrepitus.

 Quo

Margarita maculoſa. ex Plinio ſinubilo cælo concepta.

Quo jure, ſerenitatis, quam nunquam agnovere,
Nitorem exigas?
In tanta rerum vertigine ſeverus mihi nimium es,
Si meis exigas rectitudinem omnem in ſenſibus.

Alludit ad tellurem vi pulveris tormentarij ictibus, quibus hac ſcriberet, ſæpe concuſſam.

Æmus Mons Martis, ut Parnaſſus Apollinis.

Apud nos, ne ipſa quidem tellus, jam ſtat;
Et ſtem ego à me nunquam diverſus?
Inter tot, qui me ambiunt Montes,
Æmus eſt mihi multiplex, Parnaſſus nullus.
Pro Apolline, & Muſis
Odioſa circa me Monoſyllaba
Mors, & Mars perſtrepunt.

Chriſtus Pax noſtra; qui fecit utraque unum.

Ætas horum ſtudiorum utiq; bella non ſunt.

Niſi eſſes ipſe Pax noſtra,
Ne de te quidem cogitare potueram.
Hæc ſi te igitur exornant ſtudia,
Redde illis ætatem ſuam.
Quamdiu minor non ſit licentia gladiis,
Nulla ſit calamis.

Laus Deo, ac Æterno ejus Filio Chriſto Ieſu, nec non Deiparæ Virgini, ac ſponſo Ioſeph.

INDEX

INDEX
IN ELOGIA OMNIA.
Numerus Elogia, non paginas notat.

Abnegatio ſui doctrina difficilis. 16
Adulationum Regnum Aula. 51. 5. 56
Agni ejus cum Diſcipulis. 43
Agricultura Sanctorum qualis. 25
Adoleſcentia nullius ſecura, niſi ſub tutela Mariæ Virginis. 71
Adulari nulli unquam potuit Chriſtus. 92
Amoris extaſis Chriſtum in aërem elevavit. 77
Amor adultus Chriſtus nudus in Cruce. 77
Amoris officina in Petra. 76
Amoris idioma verum Chriſtus invenit. 76
Amoris ſymbolum Chriſtus Crucifixus. 64
Amor verus quis. 15
Amicitia inter impios qualis. 56
Amicus bonus Chriſtus. 76
Ambitio Chriſti ex miſeriis. 62. 64. 65. 66
Angelorum in Chriſtum reverentia. 87
Anni fores Chriſti ſanguine liniuntur. 6
Animæ Chriſti ad corpus ejusdem affectus. 74
Andreæ unde tantus in Crucem amor. 19
Apoſtolorum in gratiam quanta fecerit Chriſtus. 19
De iisdem multa. 19. 24. 26. 90. 92. 35
Arca Cœli viſa Romæ Chriſto nato. 5
Aquę, quæ fluxit à Chriſti latere, interpretatio 69. & per totum. 76
Ardor Chriſti quantus. 76. 83. 26
Aula inimica veritatis. 7. 51
Aula Chriſti ſervis perniciosiſſima. 52
Aulam Chriſtus non niſi vinctus frequentat. 52
Aulæ gratificari noluit Chriſtus. 55
Aulæ ignotiſſima veritas. 56
Aulæ negat Chriſtus doctrinam ſuam. 56
Avaritia utilis ad ſalutem, quæ. 28
Avari curatio difficilis. 28
Avarus ad calumniandum pronus. 42
Avaritia prodiga. 42
Aurum magneſcordium. 8
Magnes ferri. 12
Aures non natæ excipiendis turbæ tumultibus. 35
Archiſynagogi filiæ curatio. 77

Ardua aggredi nemo debet ſine conſideratione diuturna. 16
Aſcenſio omnis inter homines tumultuoſa. 23
Aſcenſio Chriſti in Cœlum. 93
Attentio ad cultum Dei quanta requiratur. 51

Baptizari homines cur voluerit Chriſtus. 17
Baptiſmus Chriſti. 17
Beneficentia Chriſtum celari nõ patitur. 3
Beneficia exprobare Deus neſcit. 66
De Beatitudine Theſes Chriſti. 21
Ad Beneficentiã Chriſtus quam pronus. 30
Beneficia Dei, & ipſa onerant. 31
Beneficentia primus vitæ fructus. 31
Beneficentiæ Chriſti impatientia. 33

Cœlum poſt Chriſtum nulli non patet violentiæ. 95
In cœlum nonniſi per ardua iter. 93
In cœlum ne Chriſtus quidem ſaltu venit, ſed venit quoſdam quaſi per gradus. 93
Cœlum poſt Chriſtum commercia iniit cum tellure. 95
Cæci nati curatio, & virtus. 34.
Calamitatis præſagium ingens lætitia. 39
Calamitatibus trahimus Chriſtum ad nos. 41.43.44.45
Calamitates noſtras Chriſtus miſeratus ex corde. 76
Calamitas alit Dei reverentiam. 33
Calamitates à Chriſto nobilitatæ. 95
Cananeæ in orando peritia. 29
Centurionis pro ſervo curæ. 3
Charitas Chriſti in homines quanta. 77.88.93.64.41.44.45.30.
Charitas Chriſti quam admirabilis 5
Quàm vehemens. 6
Charitatis lex à Chriſto commẽdata. 27
Circumciſio Chriſti. 6
Clamoris Chriſti in Cruce myſteria. 72
Clavi Chriſti in fræna converſi. 81
Clementia Chriſti quanta 85. 50
Clementia Chriſti puniendo. 29
Clementa Chriſti in hoſtes. 66. 70
Columna Chriſti. 81
Ejus ad illam flagella, & ignominia. 57
Conſuetudo laudabilis nulla eſt occaſione intermittenda. 46
Corpora Beatorum quàm pulcra. 98
Chriſtus ſtigmaticus ſervus Amoris. 6
Chriſtus venit mittere gladium. 5.6
Chiſtus perditis exitium attulit. 7

Chri-

Chriſtus Cœlitum ſumma cura. 7.
Chriſtus ſine Felle. 11
Chriſtus retinendus. 13.38
Chriſtus faber noſtræ felicitatis. 16
Chriſtus Theſaurus ingens. 19
Chriſti morum ſuavitas. 22
Chriſtus ſolus dignus regnare. 22 24.
Chriſti reverentia quanta in natura. 23
Chriſtus alienus ab omni jactantia. 24
Chriſtus paſcitur emolumentis noſtris. 25.26.28.
Chriſto omnis hora quaſi ſexta, & meridiana. 26
Chriſtus ſollicitus pro ſalute noſtra. 26
Chriſtus infatigabilis. 27.95
Chriſti ſagacitas in judicando 27
Chriſtus ruinas noſtras reficit. 28.
Chriſti bonitas quanta. 29.39. 43.50.
Chriſtus mortuus cur non ſolutus in Cineres. 79
Chriſti manſuetudo quanta, 85.
Chriſtus voluit magis amari quam coli. 39
Chriſti amor in ſuos. 41.44.45. 46
Chriſtus incantator beneficus. 45
Chriſtus Patronus noſter ad Patrem. 63
Chriſti pectus ſomnum conciliat ægris. 63
Chriſti latrocinium multiplex. 65
Chriſti dolor ex malis noſtris, 67
Chriſtus noſtris commodis ſemper paratiſſimus 71
Chriſtus gemit ad mala noſtra, & non gemit ad ſua. 72
Chriſtus ſedet á dextris Dei. 100
Chriſtus perſonarum non acceptor. 30
Chriſtus quam avidus ſalutis noſtræ. 31.37
Chriſtus omnis nobis cauſa ſalutis. 32
Chriſtus miſerorum magiſter, 33
Chriſtus miſeros ſemper quærit. 34
Chriſtus Hercules Paleſtinus. 36.
Chriſtus Theatrum, & Orchæſtra divinitatis, 36
Chriſtus finis omnium. 36
Chriſti præſentia quàm utilis. 38
Crucis amor in Chriſto quantus. 11 19.55 72
Crux arborum omnium ambitio 13.80
Crux hæreditas ſervorũ Chriſti. 19
Crux Inſula fortunata. 77
Crux machina oppugnando Cœlo opportuna. 77.80
Cruci ſepultæ Epitaphium. 80

Crux Thronus Chriſti. 61
Crucem cur horrerant homines. 61.
Cruci cur figi per clavos Chriſtus voluerit. 63
Crucis fructus Arboris vitæ fructibus melior. 63
Crux Chriſtiani militis Clypeus. 63
Cruce nil carius Chriſto. 64
In Cruce magis quàm alibi agnoſci vult Chriſtus. 66
Crucis inimicos amare Chriſtus non poteſt. 67
Crucis ſocios quã appetat Chriſtus. 73
Crux Cathedra Chriſti. 76
Crux in ultimo die. 99
Crucifixi Jeſu myſteria. 77
Curioſitas vel in cœli oculis. 98

Dæmonis artes in perniciem hominum. 35
Deliciis vitæ hujus inhærere ſuos Chriſtus non vult 43
Delicatos à ſe Deus excludit. 19
Dei quies, motus ad beneficentiam. 3
Dei bonitas quanta. 27
Dei beneficia impatientes expoſcimus. 89
Deo amiſſo, nihil ultra homini ſupereſt. 42
Deo & hominibus ſervire nefas. 60
Deſperatio ſæpe remedium ſpei noſtræ. 32
Deus mitior ex quo homo. 24.5
Deus quos occupat, pellit ad ſumma. 3
Deus inimicus otii. 3
Deus eludit perditorum conſilia. 9.10
Deus ſcribit, & in marmore læſus. 27
Deum quærentibus relinquenda turba. 28
Deus noſtris nos punit inventis. 40
Deus promiſſa ſua in donis excedit. 56
Deus miſeris addictiſſimus. 31
Deus exprobare neſcit beneficia. 66
Deus agnoſcitur non ex vultu, ut homines, ſed ex manu. 89
Deus iis beneficus, quibus injurii homines. 34
Deus ſolus ſolari miſeros poteſt. 36
Diſcordiæ, & ſciſſionis inimicus Chriſtus. 62
Doctrinæ Chriſti mores ejus cohærent. 15.21
Doctrina Chriſti ſublimis. 21
Duris, ac aſperis paſcitur Chriſtus. 18

Eliam quare vere non vocaverit in Cruce Chriſtus. 73
Engaddi vineæ cur floruerint Chriſto naſcente. 5
Epitaphium Herodis infanticidæ. 14
Epitaphium Chriſto ſepulto. 79

Epi-

Epitaphium malo latroni 67
Epitaphium Judæ. 82
Epitaphium ſepultæ Cruci. 80
Ephitaphium ſpinis, & cæteris doloꝛum Chriſti inſtrumẽtis. 81
Euchariſtia promiſſa nato vix Chriſto. 5
Euchariſtiæ præludia, Nuptiæ in Cana. 20
Euchariſtia ſacrificium Deo cariſſimum. 40
Euchariſtia incendium hominis. 43
Ad Euchariſtiam præparatio. 43.
Euchariſtiæ inſtituendæ deſiderium in Chriſto. 44
Euchariſtiæ inſtitutio. 45
Euchariſtia ſepulcrum Chriſti, quod ſibi adhuc vivens poſuit. 45.
Euchariſtia cibus fortium. 46
Euchariſtia nihil carius Chriſto. 46.
Euchariſtia febrim Amoris incẽdit in Chriſto. 62
Exempla Mariæ ipſummet Deũ movent. 2
Exemplum Dei quàm efficax. 5
Exemplum malum bono plus poteſt. 41.55
Exempla ſua Chriſtus nobis ubique relinquit. 37

Famæ hominum in morte ſua conſultum voluit Chriſtus. 66
Famæ etiam impiorum conſultum vult Chriſtus. 48.53.
Faſcinum à Chriſti oculo ſalutare. 53
Flagella in Chriſti manu, jam flagella non ſunt. 40
Fons olei Romæ Chriſto nato. 5
Fons in ſpelonca Bethleem. 5
Frugalitatis amicus Deus. 22

Gloria Chriſti mundum implet 95
Gloriæ cœleſtis imago in Thabor.
Gratiis Deo agendis homines impares. 46
Gratitudo Chriſti erga Patrem. 83

Habitus pravi difficilis curatio. 31.34
Hæretici ut Grammatici deluſi. 1
Hæmorrhoiſſæ curatio. 32
Hærodis infanticidæ calliditas, Barbaries, Epitaphium. 9.10.14
Herodes cum Pilato redit in gratiam, & Chriſtum illudit. 55
Hominum in Deum avaritia. 6.26.
Hominum in Deum ſeveritas. 89
Homines puſillanimes. 23
Hominem ſolus ſatiat Deus. 24
Hominum venatio omnium difficillima. 26
Hominum pro diſſimulanda nequitia artes. 26

Homi-

Hominis probitas ſalutaris iis ipſis rebus, quas poſſidet 28
Homines ſolis frondibus Deum colunt. 39
Hominum ſomnolentia ex abſētia Chriſti. 46.48
Hominum infidelitas in amore. 50
Hominum judicia contemnenda. 51
Homines qui nimis reveretur, facile trahitur in Dei contemptum. 59 60
Homines cur Crucem oderint. 61
Homines malis ſuis quam inhæreant. 65
Hominibus quàm inhæserit Chriſtus. 77
Hominum corda in corde terræ 79
Homines inimici bonis ſuis. 85
Hominum dignitas quanta poſt Chriſtum. 93.44.34
Homines ideo miſeri quia volunt. 31
Homines erga Deum ingratiſſimi. 33
Hominem illuminat lutum ſuū. 34.
Homicida quam odioſus Chriſto. 55
Horoſcopo Chriſti, quare nullus ex ſeptem planetis potuerit præfici. 7
Hoſpitalitas quanta virtus. 28
Hoſpitalitas Deum trahit. 89
Humilitatis ſublimitas. 2
Humilitas Doctrinæ Chriſti ſumma. 16
Humilitatem ſuadere hominibus nemo potuit ante Chriſtum. 16
Humiles exaltati. 17.28
Humilitas trahit oculos Dei. 28
Humilitas Chriſti Aſcenſionis cauſa. 93
IEſu nominis dignitas. 6
Ieſu nominis virtus. 95
Ieſu nomen condimentum doloris. 64
Ieſu nomen cur Cruci affixum. 64
Ieſu nominis reverentia vel in Pilato. 64
Iejunium vel in Chriſti tumulo commendatum. 79
Iejunium Chriſti in Deſerto. 18
Iejunii laudes. 18
Inclinato capite cur mortuus Chriſtus. 73.74
Inferni memoria hominem domat. 27
Ingratitudo hominum. 33
Injuriarum quam immemor Chriſtus. 53.74
Injurias inferens magis lugendus quàm qui patitur. 61
Injurias quam facile condonat Chriſtus. 66
Injurias facilè condonans filius Dei agnoſcitur. 70
Injuriarum condonationē quàm

curaverit Chriſtus ſuadere mortalibus. 70
Injurias condonare Chriſti exemplo tota Natura didicit. 70
Injurias condonâti honoris cauſa Chriſtus aſſurgit. 96
Innocentiæ ſeculum moriens Chriſtus reſtituit. 62
Impiorum regnum inſtabile. 10
Impiis cum Deo nihil commune. 10
Impii ipſos cœlites terrent. 12
Impiorum conſilia ipſos perdunt auctores. 12.14
Impio omnia in damnum cedēt. 48.53
Impius dum ruit, magis recedit à Deo. 48
Ab Impiis Spiritum ſuum repetit Deus. 49
Impii Dei oculos oderunt. 53
Impiorum amicitiæ quales. 56
Impii ſuis ſe deſcribunt in donis. 59
Impiorum cæcitas quanta. 59
Impios præclara conſilia horrent. 60
Impius ſuamet ambitione damnatus. 60
Impiorum funeſti exitus Chriſtum torquent. 72.67
Impatientia quantum malum. 67
Impatiens injurius Deo patienti ſecum. 67
Imitationem ſuam à nobis Chriſtus requirit. 93
Ira miſerationem excludit. 59
Iudicii divini memoria corrigendis humanis quàm opportuna. 54
Iudices non invenit cauſa non queſtuoſa. 55
Iudex timidus nutricius ſcelerum. 54
Iudicium ſuum aſſiduè nos timere vult Chriſtus. 74
Iudicii Divini in die extremo apparatus & horror. 98 99
Iudæ impietas pluribus. 48. 49.
Iudæ proditoris Epitaphium. 82
Iudæorum Sabbata deridenda. 31
Ius in omnia habet, qui Chriſtum habet. 29
Aboris amicos nos Chriſtus vult. 19.24
Labores Chriſti nobis otium pepererunt. 79
Lacrimæ quàm pretioſæ Deo. 11
Lacrimæ pretium gaudiorum. 25
Lacrimæ Chriſti in Cruce. 72
Lacrimæ tota ſuppellex Chriſti. 76
Lacrimis differendum incendium mundo. 98
Latrocinia innocentiæ Chriſti. 65
Latronis mali peſſimus exitus. 67

Latro-

Latronis boni Epitaphium. 68
LaureaChriſti ſcientis infirmitatem. 58
Lazari excitatio, & ejuſdem circumſtantiæ. 38
Leproſi decem curati. 53
Liber vitæ Chriſtus. 57
Libertas à Chriſto parta. 39
Liberalitas Dei in homines. 20.26
Liberalitatis exempla petenda de Cœlo. 22
Liberalitatis Chriſti argumenta. 63.73.78.31
Liberalitas Dei vel à noſtra avaritia provocatur. 91
Lignum materies laborũ Chriſti. 16
Linguæ damna lugenda. 35
Lingua amica Dæmoni ſtatio, 35
Lux nobis nulla ſine Chriſto. 8.
Luxuria hominum noxia Chriſto. 58

MAgdalenæ ad Chiſtum cõverſio. 25.41
Magdalenæ Chriſtus apparet. 88
Magdalenæ modeſtia. 88
Magorum adventus, adoratio, iter. 7.8 9
Maria Dei Mater eligitur. 2
Mariæ ad Eliſabeth peregrinatio. 3
Mariæ vox claſſicum Dei. 3
Mariæ occurſus quam utilis. 11
Mariæ oblationibus nihil Deo gratius. 11
Maria nubes levis. 13
Mariæ domus templum. 15
Mariæ contemplatio encyclopedia Chriſti. 16
Mariæ interceſſio quam efficax. 20
Mariæ labori quanta veneratio debita. 61
Maria mundum regit. 71
Mariæ venerationem moriens Chriſtus imprimere in hominibus ſtuduit. 71
Mariæ Adoleſcentum cura commiſſa. 71
Maria ubi eſt, ubi & Deus. 73
Maria quam dilecta à Chriſto. 78.87.
Mariæ in ſinu Chriſtus ſuæ paſſionis oblitus. 78
Maria vel umbra quam utilis. 38
Maria cur una cum aliis mulieribus non venerit ad ſepulcrum. 87
Maria depoſitaria Spiritus Chriſti. 74
Maria ſexui ſuo quid meruerit. 90
Martyres Gladiatores à Chriſto dati. 96
Martyres omnes veneratus in primo Chriſtus 96
Manſuetudo Chriſti quanta. 92. 93

Medius locus proprius virtutis Chriſti. 4
Miraculum nullum majus Chriſto miſero. 55
Milites cur infenſi Chriſto 59
Miſeris quàm bene affectus Chriſtus. 61.72.91
Miſeriarum, quam avidus Chriſtus. 65.69.73
Modeſtia Chriſti quanta 39.26
Modeſtia Deo violentiam infert 32
Morborum cauſas non amat Chriſtus, licet amet eorumdum effectus.
Monumenta cur aperta in morte Chriſti. 57
Monitores hominibus odioſi. 92
Mollitiei hoſtis Chriſtus. 79
Mors poſt Chriſtum nulla. 11
Mortis memoria hominis fræ-num. 27
Mortis ſchola homini ſalutaris. 41
Mortis Amaſius Chriſtus. 41.62. 74.79.
Mortis memoria ne in convivio quidem importuna. 41
Mors Chriſti lugenda. 66
Mors à Chriſto debellata. 75
Mors Chriſti aſſiduè contemplanda. 77
Mortis oblivio hominem perdit 82
Mors poſt Chriſtum mitior. 85
Mortis carcer tumulus Chriſti. 85
Mortis experientia ingens eruditio
Mors melior quam vita. 38
Mulieres quare ab Angelis à ſepulcro deterritæ. 85
Mulieres ſecreta facile produnt. 77
Mulieres cur ante viros de reſurrectione cognoverint. 90
Mundus Energumenus à Chriſto curatus. 18
Mundus totus felleus. 68
Mundus per Chriſtum reconciliatus Deo. 76
Mundi nequitia ſumma. 84
Mundi incendium rogus miſerationum. 98
Muneri ſuo intentis Chriſtus aſſiſtit. 91

NAtivitas verbi æternæ. 1
Nativitas Chriſti in Bethleem. 4
Nativitatem Chriſti quæ ſequuta miracula. 5
Naturæ deliquii in morte Chriſti interpretatio. 62.66.75.68. 80.84.
Nequitia ſuos quaſi gradus habet. 42

Nomen

Nomen Regis ubi accipit Chriſtus, Regio ſe more gerit. 79
Nomina pretioſa ſine ſanguine non habentur. 6
Nox inimica filiis lucis. 91
Nuditatis Chriſti myſteria. 62
Nudi cur omnes in judicio. 99

OBedientiæ Præceptor Chriſtus. 15
Obedientia præparat ad beneficia Dei. 20
Obedientiam violentam Deus odit. 39. 50. 61
Obedientiæ promovendæ peculiaris Deo cura. 50
Obedientiæ ſacer ſenſus, aures. 50
Obedientia cœca quàm utilis. 34
Olei fons Romæ Chriſto nato. 5
Oracula muta Chriſto tacente. 5
Orationis vis quanta. 29
Oſculo Chriſti ſanctificatum eſt Judæ guttur. 49
Oſculo Judæ profanatus eſt Chriſtus. 49
Otii inimicus Deus. 5. 3
Otii impatiens Chriſtus vel mortuus. 71
Otioſum odioſum curat hominibus Chriſtus reddere. 39. 83

PAcis amicus Chriſtus. 39
Pacem cur toties Diſcipulis dederit Chriſtus. 90. 92
Parentum debitum in liberorum educatione. 15
Parſimoniæ amicus Deus. 21
Paſchatis dies quare omnium maxima. 85
Paſchatis veſpera cur dicta luceſcere. 87
Paſſionis deſiderium in Chriſto quantum. 46. 47. 50
Paſſionis ſuæ memoriam ubiq; extare vult Chriſtus. 61
Paſſionis Chriſti inſtrumentis Epitaphium. 81
Paſſionis ſuæ memoriam in colloquiis fieri, quam libenter audiat Chriſtus. 89
Patientia quam Deo grata. 19
Patientiæ nobilitas. 22
Patientia Chriſtus probatus Deus. 48
Patientiæ ſuæ famam apud homines periclitari Deus non vult. 49
Patientiæ corona qualis. 58
Patientia primum doctrinæ Chriſti theorema. 97
Pauperum inimicus amicus Chriſto eſſe non poteſt. 42
Paupertatis voluntariæ origo à Chriſto. 44
Pauperes in judiciis contempti. 55
Pauli ad Chriſtum converſio. 97
Paulo Apoſtolatus præſagitur ab iis, qui ſecus pedes ejus veſtes depoſuere. 96
Paulus impetrari Eccleſiæ oratione quacunque non potuit. 96

Paulus cur ſe diceret abortivum. 97
Peccata non merentur Dei beneficia. 29
Peccati morſus lethalis. 69
Peccator tales experitur Creaturas, qualem illum Deus. 91
Petri ad Christum vocatio.
in illum Charitas. 19. 24. 91
Petri negatio, & pœnitentia. 52
Petri in horto zelus. 50
Pilati nequitia. 56. 57. 58
Piſcina Probatica, & ad eam miracula Christi. 31
Plauſus hominum cur ſemel admittere Christus voluerit, & & eorundem vanitas. 39
Pietatis calumniatores etiam in Christi ſchola. 41
Pœnitentia mundi inutilis. 99
Populus incapax legum. 60
Precibus humilitas neceſſaria. 25
Principum officia ſæpè fucata. 54
Principes malis miniſtris obnoxii. 60
Providentia Dei in ſuos. 19. 23
Providentia divina humanam juvat. 22
Pudoris noſtri remedium fletus Chriſti. 72

Regia Christo auctoritas à Cruce. 39
Regis Christi tributa quæ. 59
Reges inungimur omnes à Chriſto. 59
Regnum Christi ſtabile. 58
Regnum Christi omnium optimum. 58
Regno dignus ſolus Christus. 22
Remedia noſtra à Chriſto. 5. 6
Reſurrectio Chriſti, ab Elog. 85. usque ad 93.
Reſurrectio Lazari, Filii viduæ Nain, filiæ Archiſynagogi. 36. 37. 38
Rhamnum qua de cauſa olim voluerint arbores regnare ſuper ſe. 58
Romana virtus Chriſto chariſſima. 30

Sacerdotes ſuos Chriſtus redolere terrena non vult. 44
Sacerdotes etiam malos Chriſtus reveritus. 33. 50. 51
Sacerdotes ſi non proficiant mirum. 32
Sacerdos à malo Principe nunquam bonus. 51
Sacerdotes norma populi. 40
Salus per ſolam Crucem ſperandam. 63
Sanguis Chriſti quam pretioſus. 62.
Sanguinis, & aquæ fluentis à Chriſti mortui latere myſteria. 69. 76
Sauli converſio. 97
Schola Chriſti in aperto littore. 19
Securitas nobis omnis à Chriſto. 7
Servi nomen honorificum ex quo ſervi formam induit Chriſtus. 9
Servitutis in fœmina argumentum capilli vincti. 25
Scriptura Sancta ducit ad Chriſtum 8

L Silentii

Silentii amicus Deus. 1. 16
Silentium Apologia Chriſti. 51
Silentium apud ineptos oratione aptius. 53
Simeonis ſenis viſo Chriſto tripudia. 11
Sindonem facere diu didicit Chriſtus. 61
Sindon terræ Chriſti Mappa. 79
Sindon Chriſti, & ejus elogium. 83
Sitis Chriſti in Cruce myſteria. 69
Societas Chriſti quàm utilis. 20
Societas malorum quam noxia. 8.9.10
Sol triplex Romæ Chriſto nato. 5
Sol ſpicis coronatus. 5
Solicitudinis amicus Chriſtus. 15.18.21.22.24
Somnus Chriſti ad ſuorum experientiam. 23
Somnus quàm verè frater mortis. 60
Sordium inimicus Chriſtus. 78
Spicæ in Cœlo Chriſto naſcente. 5
Spinarum Deus Chriſtus. 58
Spiritum ſuum Chriſtus cur commendaverit in manus Patris. 71
Stella Magorum. 7
Stellæ cur cadent de cœlo in die ultimo. 98
Stellarum & Solis pallor in judicio. 99
Stephani Martyrium. 96
Sudor Chriſti in horto. 47
Superbis vel vinctus reſiſtit Deus. 56
Superbis & crudelibus nullus in Mundo locus. 10
Surdi & muti Curatio. 35
Super Apoſtolos Adventus Spiritus Sancti. 94

TEmperantiæ Magiſter Chriſtus. 20
Templo profanatores puniti. 40
Tenebrarum in Chriſti morte interpretatio. 62.66.68.70. 55.80.84
Terræ contagium noxium ſtellis ipſis. 98
Terremotus in ultimo die Myſteria. 98
Theſauri in Chriſto abſconditi. 74
Timor ſalutaris judicii Dei. 99
Timor vanus quàm noxius. 59
Tituli Crucis Myſteria. 64
Tribulationes privilegium amicorum Dei. 23
Trieterica Chriſti, quæ. 15
Triumphus Chriſti in die palmarum. 39
Tubæ noviſſimæ clangor myſticus. 98
Tumultuum inimicus Deus. 21.28.

VAnæ gloriæ inimicus Chriſtus. 18
Vanæ gloriæ medicamentum ærumnæ. 23
Vallis Joſaphat fœces omnes expectat. 98

Velle

Velle primus ad veram ſapientiam gradus. 31
Veritas odioſa Aulæ & Mundo. 56
Veritatis plerique videri volunt amatores, cum non ſint. 56
Veritas ſine phaleris. 58
Via cœli poſt Chriſtum jam non lactea, ſed ſanguinea 6
Victima coronata Chriſtus. 58
Vigilantes Chriſtum alliciunt 85
Vineæ ſuæ quanta cura Chriſto. 58. 72
Virtus qualiter lugeatur à Mundo. 75
Virtutis paleſtra feriis vacat. 92
Virtus vera nullis ſe claudi patitur terminis, non ſic ficta. 57
Virtutes cœlorum opponendæ vitiis hominum. 98
Vita humana quàm miſera. 38
Ultio Chriſti fit per beneficia. 70
Urbes inimicæ Chriſti. 21. 18
Vulnera Chriſti. 86
Vulnerum ambitio in Chriſto. 62. 64. 74. 76.

ZAcchei vocatio. 28
Zelus Chriſti pro domo Patris. 29
Zelus Chriſti pro ejuſdem honore. 51

F I N I S.

ELOGIA
PATRIARCHARUM
ſive
CHRISTI SALVATORIS
GENEALOGIA
Per Mundi ætates traducta
A D. EMANUELE THESAURO
PATRITIO TAURINENSI,
Comite, & Magnæ Crucis equite
Sanctorum Mauritii & Lazari.

ELENCHUS ELOGIORUM.

Habes Chriſti Gentiles directâ lineâ, extraneos extra lineam: quos toto volumine characteris diverſitas dabit.

MUNDI PUERITIA. PASTORES.

ADAM Terræ Filius.	Ænigma. *pagella.* 3
Cain Adam Filius.	Epitaphium. *pag.* 4
Abel Adami Filius.	Tumulus *p.* 5
Henoch Caini Filius.	
Irad Henochi Filius.	Cenſura. *pag.* 7
Vaviel Iradi Filius.	
Matthuſael Vaviel Fil.	
Lamech Mathuſ. Filius.	Enthuſiaſmus *pag.* 8
Iabel Lamechi Filius.	Proſopopeia. *pag.* 9
Iubal Lamechi Filius.	Næmia. *pag.* 10
Tubal Lamechi Filius.	Hypotypoſis. *pag.* 12
2 *Seth Adami Filius.*	Similes. *pag.* 13
3 *Enos Sethi Filius.*	Encomium. *pag.* 14
4 *Cainam Enos ſi Filius.*	Oppoſita.
5 *Malaleel Cainami Filius.*	*pag.* 15
6 *Iared Malaleelis Filius.*	Expoſtulatio. *pag.* 16
7 *Enoch Iaredi Filius.*	Cenotaphium. *pag.* 17
8 *Mathuſales Enoci Filius.*	Encharisticon.
9 *Lamech Iuſtus Mathuſalæ Fil.*	*pag.* 18

MUNDI ADOLESCENTIA. MILITES.

10 *NOES Lamechi Iuſti Filius.*	Anathema. *pag.* 23
Cham Noe Filius.	Diræ. *pag.* 24
Nembroth Chami Nepos.	Digreſſio. *pag.* 26
11 *Sem Noe Filius.*	Statuæ.
Iaphet Noe Filius.	*pag.* 27
12 *Arphaxad Semi Filius.*	
13 *Salem Arphaxadi Filius.*	
14 *Heber Salemi Filius.*	
15 *Phaleg Heberi Filius.*	Catalogus. *pag.* 29
16 *Revus Phalegi Filius.*	
17 *Sareg Revi Filius.*	
18 *Nachor Saragi Filius.*	
19 *Thares Nachoris Filius.*	
20 *Abrahamus Tharæ Filius.*	Narratiò. *pag.* 30
Loi [illegible]b Abrahà Filius.	Topographia. *pag.* 32
Lothi Vxor.	Metamorphoſis. *pag.* 34

21 *Iſaac*

21 *Iſaac Abrahami Filius.*	Tragœdia. *pag.* 35
22 *Iacob Iſaaci Filius.*	Monita. *p.*36
Tribuni duodecim Iacobi Filij.	Somnium. *p.* 38
MUNDI JUVENTUS.	DUCES.
23 *IVDAS Iacobi Filius.*	Etymon.*pag.*43
Ioſeph Iacobi Filius.	Eulogium *p.*44
24 *Phares Iudæ Filius.*	Prodigia. *p.*46
Iob Eſau Pronepos.	Monomachia. *p.* 47
25 *Efron Phareſi Filius.* 26 *Rhamus Efronis Filius.* 27 *Aminadab Rhami Filius.*	Aulicifmus. *pag.*49
Moſes Levi Nepos.	Exegeſis. *p.* 52
Aaron Moſis Frater.	Paræneſis. *p.*54
28 *Naaſon Aminadabi Filius.*	Exemplar. *p.* 55
29 *Salma Naſonis Filius.*	Gratulatio *p.*57
Ioſues ex Ioſepho.	Triumphus. *p* 59
Samſon ex Dano.	Idæa *p.*61
30 *Booz Salmæ Filius.* 31 *Obed Boozi Filius.*	Myſterium. *pag.* 64
Gedeon Ioſephi Nepos.	Argumentum. *pag.* 65
Iephtes Ioſephi Nepos.	Monimentum. *p* 67
32 *Ieſſe Obedi Filius.*	Clauſulæ. *p.*69
MUNDI VIRILITAS.	REGES.
33 *DAVID Ieſſe Filius.*	Adinaton *p.*73
Samuel ex Ioſepho.	Epitheta *p.* 75
34 *Salomo Davidis Filius.*	Scylla.*p.*77
35 *Roboam Salomonis Filius.*	Parallela. *p.*79
36 *Abias Roboami Filius.*	Edictum. *p.* 80
37 *Aſa Abiæ Filius.*	Rogus.*p.*82
38 *Ioſaphat Aſæ Filius.*	Minæ. *p.* 84
39 *Ioram Ioſaphati Filius.*	Sententiæ. *p.*85
40 *Ochozia Iorami Filius.* 41 *Ioas Ochoziæ Filius.* 42 *Amaſia Ioaſi Filius.*	Saxifragium. *pag.*76
43 *Ozia Amaſiæ Filius.*	Paraphraſis. *p.*88
44 *Ioathan Oziæ Filius.*	Legatio. *p.*90
45 *Achias Ioathani Filius.*	Hiſtoria. *p.* 91
46 *Ezechia Achaſi Filius.*	Index. *p.*93
47 *Manaſſes Ezechiæ Filius.*	Exomologæſis. *p.* 96
48 *Amon Manaſſis Filius.*	Symbolum. *p.* 9
49 *Ioſia Amonis Filius.*	Epinicium *p.*99

50 *Eliacim Ioſiæ Filius.* } Revolutio.
Ioachas Ioſiæ Filius. } *pag.* 101
Sedecia Eliacimini Frater. Sortitio. *pag.* 103
Suſanna Helciæ Filia. Admonitio. *pag.* 104
51 *Iechonia Eliacimi Filius.* Threni. *pag.* 106

MUNDI SENECTUS. SOLITARII.

52 *SALATIEL Iechoniæ Filius.* Iſagoge. *pag.* 111
53 *Zorobabel Salatielis Filius.* Myſtologia. *pag.* 113
54 *Abiud Zorobabelis Filius.* Genethliacon *pag.* 115
Eſdra ex Levi. Admiranda. *pag.* 116
55 *Eliacim Abiudi Filius.* } Dialogiſmus.
56 *Azor Eliazimi Filius.* } *pag.* 117
57 *Sadoc Azores Filius.* Echo. *pag.* 119
58 *Achim Sadoci Filius.* Vices. *p.* 120
Ieſus Syriacides. Memoriæ. *p.* 122
59 *Eliud Achimi Filius.* } Conſolatoria.
60 *Eleazar Eliudi Filius.* } *pag.* 123
Eleazar Protomart. Ex Levi. Concio. *pag.* 124
Mater Machab. Mart. Ex Levi. Icon. *p.* 125.
Razias Martyr. Ex Levi. Etopeia. *p.* 129.
Mathathias ex Levi. Nemeſis. *p.* 130
Iudas Machab Mathath. F. Trophæa *p.* 133
Ionathas Iudæ Frater. Polyticon. *p.* 135
Eleazar Ionathæ Frater. Emblema *p.* 138
Simon Eleazari Frater. Diploma. *p.* 140
Ioannes Hircanus Sim. Fil. Epilogus. *p.* 141

NOVA ÆTAS. SANCTI.

61 *S. PANTHER Eleazari Filius.* } Partitio.
S. Mathan Pantheris Fr. } *p.* 145
62 *S. Bar panther Pantheris Filius.* } Naufragium.
S. Iacob Mathani Filius. } *pag.* 146
63 *S. Ioachim. Bar-pantheris F.* } Epithalamium.
S. Anna Ioachimi Vxor. } *pag.* 148
S. Ioſeph Iacobi Filius. Tituli. *p.* 149
S. Maria Virgo Ioachimi Filia, Chriſti Mater. Sculptura. *p.* 151
S. Ioannes Baptiſta, Virginis ex Conſobrina Nepos. Præconium. *pag.* 154
IESVS Dei ac Virginis Filius. Meta. *p.* 155.

(o)

MUNDI PUE-

MUNDI
PUERITIA.

PASTORES.

ADAM & EVA.

Linea infamis.

- *Cain.*
- *Henoch.*
- *Irad.*
- *Vauiael.*
- *Mathuſael.*
- *Lamech.*
    - *Iabel.*
    - *Iubal.*
    - *Tubal.*

Abel.

Chriſti Linea.

- Seth.
- Enos
- Cainam.
- Malaleel.
- Jared.
- Enoch.
- Mathuſales.
- Lamech.

ADAM.

TERRÆ FILIUS.

ÆNIGMA.

Siſte gradum viator ; mira leges.
Hic ille jaceo ; per quem omnes jacent.
Natalis mihi Sedes Damaſcus,
Licet in Creta nato.
Creticum quippe ſignum dum inſtituor,
Ex Typo Prototypo fio.
Ut hominem me verè dicas fictum & verum :
Cœlo natum ex cœno.
Nec orbus, nec poſthumus fui.
Sed Patris expers :
Vel fecit me Pater ; non genuit.
Matrem habui, quæ me habet.
Lignea Nutrix, ſine lacte,
Virum me aluit, non Puerum.
Filiam non filiam Uxorem duxi.
Quæ ſimul nata, & nupta,
Uno partu Nepotem mihi & Liberum, genuit.
Rex ſine urbibus, dives ſine auro,
Sine magiſtro eruditus ; ludum aperui.
Tot nactus auditores, quot homines.
Heu ſtolida ſapientiæ fames!
Cum omnia ſcirem, ut plura ſcirem, deſipere cæpi.
Virorum ſapientiſſimus dementor à fœmina.
Quà male-ſuâdâ :
Pomum, cœleſti interdicto circumſcriptum, attingens.
Beatæ Sylvæ fructus dum carpo,
Sylvam amitto.
Itaque cum profugâ conjuge.
Ex Rege Agricola.
Quia Numen non colui, Terram colui.
Hoc uno concordes conjuges,
Quod uno juncti jugo,
Matris uterum tamdiu ſecuimus.
Donec utero nos recepit.

Itaque me uxor immortalem peremit;
Uxorem ego; uterque omnes.
Ah, quam de minimo perivimus!
Tantum malum attulit malus.
Cujus frondibus obvolutus Anguis,
Venenum vomuit, omnes hauſerunt.
Tuus ergo Genitor, ſed nunquam viſus,
Te peremi antequam gignerem.
Sed, ô lætas malorum vices!
Ligno eodem reparatus, quo perij,
Indidem venenum traxi, & medelam.
Unâ in arbore ego deliqui, multatus eſt Deus.
Cujus à cæde redivivus,
Superos petij; cum Inferos petiit.
Minus egeram niſi peccaſſem.
Nomen flagitas?
Quatuor Mundi plagarum nomina ab Græcis pete,
Anatole. Dyſis. Arctos, Meſembria:
Abſciſſa nominum capita junge; nomen habebis.
Decubui cognati mihi Mundi Anno
ↃMXXX.
Surrexi poſt Annos
M.M.M.M.M. CC XXXII.
Gaude Viator, ac perge.

CAIN
ADAMI FILIUS.
EPITHAPHIUM.

Hic mala verba, Viator.
Perditorum Princeps tales poſcit inferias.
Hic avarus Agricola, felicis Frater Paſtoris,
Pejores fruges Aris imponens, omnes amiſit;
Et ingratus Deo Sator, ingrata ſibi Sata deprehendit.
Itaq; mordaci conſumtus invidia,
Quod Abelis Hoſtiis feliciùs ſuccederet;
Ne fraternæ Victimæ litarent, Victimam fecit Fratrem.
Primus hic flagitiorum inſtitor,
Mortem invenit, & invexit.
Horruit Mors expiandis ſceleribus nata,

Primos

Primos ſibi aditus per innocentis jugulum frangi.
Mirata primo ſe ictu magnam orbis partem orbaſſe.
Tam dulci delinita ſanguine, innocentes avidiùs petit.
Tam dextero erudita jactu, cæteros certiùs ferit.
At non impune tulit proditor;
Forum nactus Sylvam ſuam, teſtem Mortuum,
ApparitoremUmbram, carnificemCulpam, judicemDeum:
Ergo inani pavore territus, ac ſeipſum terrens,
Idem ſemper, & alius; ibi ſemper, & alibi;
Se fugit ac ſequitur, ſceleſtus ſceleſtum;
Umbram ſuam pavet, mendax mendacem:
Inter mortis metum, ac vitæ odium,
Ut nullibi vivat, ubiq; vivens;
Quia timenda non timuit, timet non timenda.
Urbem primus condidit; nec immeritò:
Ut ſi campis ſecuritatem depulerat:
Carcerem ſibi moliretur.
Sed nulla impiis tuta latebra;
Cum malis ubique malè ſit.
Hunc Urbe ſuâ exulantem
Lamechus Nepos pro fera ferit.
Facili errore, ferarum ſimilem.
Æquo igitur, & iniquo jure,
Malus à Malo ſupplicium capit, quod dedit:
Et parricidio fratricidium expiatur.
Bis lugendum Parentibus facinus;
Cum committitur, & cum punitur,
Malè moritur, vivis Parentibus:
Ab furiis raptatus, primus Tartarum fundavit.
Fuge Viator, ac ſolum quate.

ABEL
ADAMI FILIUS.
TUMULUS.

Viator, quid eſt?
Clamoſum hoc Solum,
Et ignotam de glebis vocem formidas?
Primus hoc omnium tumulus mortalibus patuit.

Nondum patiente Terrâ ſuis ſe fœtibus farciri.
Conditur ſub hoc ceſpite virgineus Paſtor;
Primorum hominum ſecunda proles, & primum funus.
Male ſuis oculis vaticinati Parentes,
Abelem, hoc eſt luctum, vocarunt:
Atqui mortem omnibus; vitam nemini flendam tranſegit.
Mortalium innocentiſſimus, artium innocentiſſimam reperit Paſtoritiam.
Optimi Principatus imaginem.
Nam errantium Pecudum populo ſub legem miſſo,
Regale munus, & gregale permiſcens,
Pedum pro ſceptro geſtavit.
Itaq, Rex inter Oves, Ovis inter Reges,
Obſequentiſſimæ lanigerorum reipublicæ,
Imperando ſerviit, ſerviendo imperavit.
Villis, non jugulo, tributum impoſuit.
Petebat ſine naufragio Phryxeas opes è Caulâ.
Nam pro auro vellus erat;
Et germanum vocabulum retinente pecuniâ,
Pecus tondebat, non populos,
Quin ovium lacte, non carnibus, uſus.
Cædibus vivere noluit.
Ita Gregis altor, & alumnus.
Suarumq; Ovium collactaneus,
Alimento ſimiles mores traxit:
Candidos, non cruentos.
Primus tamen Sacerdos Aris Agnos admovit:
Sed ovantes Oviculæ Deo cadebant,
Et oris ſono ſe beatos profeſſæ;
Tantundem præſægibant Paſtori.
Vis ſcire quam opima obtulerit?
Tales Hoſtias ut voraret avidius Numen,
Linguoſam in flammam devolavit:
Nec ſecundas menſas curavit, Caini fruges,
O implacatam cognatorum invidiam!
Tabuit cæca rabie Germanus Cain:
Ac diu deſignatum
Blandè ſeduxit, proditoriè trucidavit.
Quæris quo Telo? Ligneo.
Nam tali ex materiâ nata Mors.

Quæris

Quæris quid petiverit? guttur:
Hoc enim Mortis veſtibulum fuerat.
Ut non dubites in Abele multatos eſſe Parentes.
Ah' peccantium ſtolidæ mentes!
Mutum putabat Cain flagitium, compreſſo illo jugulo.
Sed proditorem omnia produnt.
Hem fracto gutture vocalior Abel.
Hoc è Tumulo Parricidam terrefacit,
Et vivum citat extinctus.
Condiſce, Viator:
Infandum facinus muta fantur.

HENOCH
CAINI FILIUS.
IRAD. Honochi Filius.
VAVIAEL Iradi Filius.
MATHUSAEL Vaviaelis Filius.
CENSURA.

Tecum mihi res eſt divine Scriptor, Moſes,
Quod geſta virorum quatuor.
Henoci, Iradi, Vaviaelis, Mathuſaelis,
De commentariis eraſeris,
Et ſæcula totidem nominibus, non hominibus, diſtinxeris.
Sonas nimirum nomina, ſiles vitam;
Vaucisq; trophæis nudum titulum inſcribis.
Quid nomina ſine geſtis? quod geſta ſine nomine.
Utraq; perierunt; hæc auribus, illa oculis.
Perinde eſt carere faſtis, ac factis.
Fallor: Actuarium cenſura libero.
Suis coloribus ſingulorum geſta pinguntur,
Dum à Caino dicuntur ſati,
Exurgunt ſuos in ortus virulenta germina:
Radicis vitium continuant thyrſi.
Deformes ſunt omnes, non difformes.
Fœdo exemplari ſimiles.
Quorſum igitur avita Nepotum crimina,
Argutus ingereret Scriptor?
Narranda non erant facta, ſed mutanda nomina.

Aut ſinguli Caino ſimiles vixere,
Aut unus in ſingulis Cain revixit.
Modeſtus proinde, non moleſtus Moſes,
Ne vel aures loquendo,
Vel hiſtoriam ſilendo læderet;
Loquaci ſilentio.
Infanda geſta nec evulgavit, nec tacuit.
Annorum etiam numerum conſultò ſiluit:
Nihil enim vivunt, qui malè vivunt:
Nec annos impij uſurpant, ſed perdunt.
Novo igitur invento ſupplicio,
Sceleſtos ulciſcitur dum tacet ſcelera:
Calamo pungit quos expungit:
Totq; capita obtruncat, quot truncat nomina.
Jacete igitur æternùm.
Incæſti, Latrones. Parricidæ:
Digna Caina Proles.
Pro latebra & ſepulchro, ſilentium dono.

LAMECH
MATHUSAELIS FILIUS.
ENTHUSIASMUS.

Quorſum Fata conſulis Lameche,
Quem inconſultum facta condemnant?
Afflatus vaticinor. Quid hoc eſt?
Bis amans, bis amens:
Non uno contentus jugali vinculo,
Gemino te mancipium ligas?
Utramq; igitur pellicem, utramq; ſuccubam facis.
Ut fatidico jam nomine arguaris,
Lamechus mechus.
Quæ hæc diſcors concordia,
Cor unum in diſcordes ſcindere Conjuges:
Et alternis Liberis, alternas inducere Novercas?
Licet ſine lituo, & infula præſagire:
Certum tibi odium rivales infligent Conjuges,
Cum incerti confligent amores.
Uno flagrabis incendio,

Cum geminus Hymen adverſis bellabunt facibus.
Malo omine Polygamiæ licentiam facis ex Bigamiâ.
Nam ſeptuagies ſepties plectendus,
Septem, & ſeptuaginta libros ſuſcipies, & depones;
Toties Orbus, quoties Pater.
Impius verò Genitor,
Impio terram Genere onerabis.
Magis impius Nepos,
Impiorum Principem Atavum pro fera cædes.
Nil tibi debet Terrarum Orbis,
Quod Cainum exanimas, ſi ejus animum retines.
Uno jaculo Caino mortem; Vitiis vitam, dediſti.
Errabit oculus, at non errabit manus,
In flagitia per ſe docilis.
Filij etiam nece Atavi Manes placabis.
Æquè ſceleſtus, ſive ſceleſtos gignas, ſive occidas.
Hoc habent peſſimi optimum,
Quod mutua ſeſe per arma plectunt:
Hoc peſſimum, quod ſine ſcelere non poſſunt plectere.
Divinare jam libet:
Incipiet mors hâc te punire quà peccas.
Marcente ſiquidem utraq; pupillâ,
Antequam vita careas, orbe carebis:
Et mortuo deſtinatam noctem vivus anticipabis.
Regent te Filij errantem Patrem,
Qui errantes Filios non regis.
Te cæcum antecedent, qui ſceleſtum ſequuntur.
Ibis tandem cum Filiis præceps Genitor,
In diluvio naufragus.
Cupidinis flammis ambuſtus, in undâ peribis.

JABEL
LAMECHI FILIUS.
PROSOPOPEIA.

Viator,
Bene mihi precare ſi malus es.
Ego Lamechi primigenius, ſed Patre pejor,
De malis bene merui.

Nam cum Cœlo teſte viverent impij,
Nec ulla ſceleribus daretur latebra;
Pellicea primus tentoria prætexui,
Quæ Cœli conſpectum raperent.
Debet igitur impietas mihi, quod Cœli oculos fugit.
Citiusq; adulta, quia inulta,
Nec Patre caruit, nec Patriâ:
Et ſub Ovillis pellibus latitarunt Lupi.
Sed majus aliquid merui.
Nam cum avitum crimen aratris luerent homines,
Sepulcro proludentes in ſulco;
Tam improbæ ſervituti.
Vicaria Boum colla ſuccedere coegi.
Hominum jugum remolitus in Bruta.
Felici ergo talione.
Peccarunt Juvenes, plectuntur Juvenci.
Nec tardis modo Armentis impoſui.
Nam quod ferax Equus Equiti ſervit, meum eſt munus.
Illexi oblato freno jejuna quadrupedis ora.
Ille, ut ignota xenia ignarus hauſit,
Totam voravit ſervitutem.
Iraſcitur jam rabidus.
Et ſpumæ livore exoſas inquinans phaleras,
Undante collo ſubrigitur:
Ac terram ſcrutante Ungulâ, me quærit.
Servit tamen ingratis;
Suosq; Domino commodat pedes.
Quanta mihi debeas Viator, vides.
Equum verte, ne Tumulum evertat.
Nam qui cœlum ſpectare nolui,
Parum egi, ſi à cœlo ſpector.

JUBAL
LAMECHI FILIUS.
NENIA.

Fingite luctum ridentes Præficæ:
Talemque Næniam exſibilate.
Jaces ah tandem, ac taces,

Modu-

Modulantium Chorage Jubal.
Dediſti tuæ voci pœnas.
Nam exiguum ſpiritum quo vita ducitur,
Tu primus frangere auſus ad melodiam,
Spiritum ſimul emiſiſti, & amiſiſti.
Conſenſere aſtra in tuos obitus:
Tu enim cœleſtis Harmoniæ ſectatus imaginem,
Sacrum planetarum concentum furatus,
Divorum delicias Mortalibus propinaſti.
Poſcebant mutæ Animantes ſuo de tortore ſupplicium,
Tu enim primus Teſtudinem, anguem innoxium,
Portatili ſuâ domo eliminaſti,
Ut Harmoniam angui nocentiorem,
Vacuâ illâ in latebrâ conderes.
Tum ſecta Pecudum viſcera
Imparibus diſcreta numeris tetendiſti;
Ut pollice verberata, aures mulcerent.
Vah Ingratus Paſtor!
Qui Greges in cytharæ equuleo mortuos torques;
Et inter tormenta canere jubes.
Crudelis! ut lætus ad Agnorum gemitus,
Choreas ducant Paſtorum chori,
Agnorum viſceribus ludis,
Malè tibi ſit Jubal.
Qui tam dulci peſte
Aures Afficis, ut inficias animos.
Latet inter cytharæ fides Cupido inſidus;
Qui canoris imbellium pecudum nervis
Feroces Hominum enervat Spiritus:
Et arcu eodem
Chordas ferit, & corda.
Ridet interim furtiva Mors,
Quæ dulces inter modos
Inauditum ſecurius explicat pedem,
Et læta meditantes letho prævenit.
Stabis æternum exemplum, Jubal.
Tibi jocoſa Lyræ fila pulſanti,
Tenue vitæ filum fata ſuccident.
Carebis funebri luctu lætitiæ author,

Et qui flebili ſæculo non fleviſti.
Extinctus ridebere.

TUBAL
LAMECHI FILIUS.
HYPOTYPOSIS.

Ex alia in aliam vocaris muſicam, Viator,
Auras plectro demulſit Jubal?
Aures malleo Tubal obtundit.
Ille tibiæ repertor, hic gladij.
Utrumq; noris ab uno ſatum Lamecho,
Nam effœminatus, ac ferus Pater,
Titulum diviſit Hæredibus.
Hinc alter effœminatur ad cantum;
Alter efferatur ad arma.
Dubitas de magiſtro?
Cerne tam diræ artis rudimenta,
Dices tam bonum ingenium à malo Genio.
En ut ipſo propè de Tartaro
Vulnificum ferrum ſcrutatur veneficus.
Vides, ut ſibilantes circum caminos
Fumoſus curſitans Faber,
Anhelantes agitat folles;
Qui toties animati & exanimes,
Alternum ſpiritum flammis inſpirant?
Illic crudus artifex ferrum coquit;
Flammis domitum malleo cruciat;
Et ferreo ferrum flagellat.
Quæris cur tam ferum ſit ferrum?
Suas in nobis vindicat plagas;
Et vulneribus eruditur ut vulneret.
O dira vitæ faſtidia!
Brevem vitam fecit Natura,
Breviſſimam culpa, Ars nullam.
Inventus eſt Caini Nepos, qui Caino invidiam demeret:
Ille mortem vocavit, hic alas addit:
Ille in campum duxit, hic armat
Ille fecit ut mortalis mori poſſit,

Hic ut nemo vivus ſecurus vivat:
Ille unum occidit, hic quantos?
Quoties quiſq; ferro cadet: in hunc clamabo,
Ferreus erat, qui ferrum reperit.
At malo tuo malam artem exerces Tubal.
Ferrum cudis, ferro cades.
Parricidam feciſti Patrem;
Cæderis à Patre.

SETH
ADAMI FILIUS.
SIMILES.

Hactenus prava germina.
Nunc ſacra, & duratura.
Mala tempora melioribus penſantur.
Quicquid Adamo ſuſtulit Cain, Adamus orbi reponit.
En geminum cum Abele Sethum.
Idem, & alius ab eo eſt.
Eadem frons, Religio eadem, idem Animus:
Junge nomina, totos junxeris.
Itaque ſero partu fœcunda Mater.
Duos peperit in uno, vel bis peperit eundem.
Non periit Abelis innocentia, ſed deſultavit in Fratrem.
Diceres tam grandem animam,
Non uno contentam corpore, gemina impleviſſe.
Aut geminandæ Parentum voluptati,
Bis natum eſſe unum.
Nec in uno quidem ſtabit.
Exibit generis invicti linea nobilis;
Et Patria virtus ſemel agitata
Aget ſe in ſuccidaneos Heroas.
Felicioribus illi terram aratris beabunt:
Gregibus, ac Regibus leges ponent.
Ingenuas artes ingenio extundent.
Templa Deo, Templis Vates vovebunt.
Decidit paſſim execranda fratricidæ propago,
Et Abelis nitorem
Irrupta Sethi Gentilitas diù retinebit:

Merſo-

Merſoque Orbe, ſola enatabit.
O quæſtuoſam Caini invidiam!
Dum virgunculum perdit, fœcundum facit:
Et unum metendo, innumerabiles ſerit.
Sic profuturus ſemper noceat livor.
Timebit orcus feracis exemplum vulneris.
Cum Dei filium occidet,
Tertium Abelem;
Fertili ſanguinis elemento, innumerabiles gignet.

ENOS
SETHI FILIUS.
ENCOMIUM.

Enoſſi verò laudibus nil potius addiderim.
Quam quod ignotum Dei Nomen
Sub mortales aures primus attulit.
Nil majus dici potuit, nec brevius.
Interprete nimirum, ac ſequeſtre vocabulo,
Cum Empyreo commercia nexuit.
Ut tam facile ſit Deum rogare, quam vocare.
Tempeſtivo igitur officio,
Poſtquam Homines alloqui deſiit Deus,
Hic Homines docuit cum Deo loqui.
Nec levius arrogatum Numini decus.
Nam cum ignotus Deus omnia noſceret;
Magna ſpargebat munera,
Sed vel ingrata, vel ingratis.
Suſpectum enim beneficium eſt ab ignoto.
Primus itaque Nomenclator Enos,
Divinis actis nomen inſcripſit:
Et Hominum authorem Hominibus authoravit.
Excepere dulciſſimum Nomen Cœlitum Chori:
Et Sanctiſſimis partum labris,
Inter aurium cunabula verſatur.
Arriſit amico vocabulo placidius Cœlum:
Et labentes ſoni reliquias
Lambentes Auræ collegerunt.
Ivere in plauſis canoræ volucres:

Et

Et ſcribendo Tetragrammato,
Suas certatim pennas pararunt Cychni.
Ipſas adeo Tartari latebras.
Magni nominis Echo perſonuit:
Atque ingens veluti globus
De fulminali machinâ eliſus,
Trepidas Eunemides, conſternataſque confecit.
Quæris quid authoramenti retulerit Enos?
Idem accepit quod dedit.
Homonimos enim cum ſuo Numine,
Deum appellavit, Deus eſt appellatus:
Aras poſuit, impoſitus eſt Aris.

CAINAM
ENOSSI FILIUS.
MALALEEL
CAINAMI FILIUS.
OPPOSITA.

Cainamus & Malaleel,
Ignotæ Virtutis, non ignoti Virtuti;
Parem pietatem in nomine diſpari præ ſe ferunt.
Nam Cainam lamentabilem gemitum,
Malaleel lætum Numinis laudatorem, ſonat.
Optimo nimirum peſſimoque Sæculo,
Certabant paria virtutibus vitia.
Hinc Religioſa Sethi poſteritas,
Illinc nefanda Caini genimina.
Procacitatem modeſtiæ,
Sacrificiis ſacrilegia coæquabant.
Itaq; Hominem inter Homines nullum inveniſſes;
Sed vel Angelos, vel Belluas;
Aut Arâ dignos aut Harâ.
Adeo mortale Genus,
Vel extremos Numinis amores,
Vel extrema odia promeritum,
Voluptati & mœrori
Parem materiam dividebat.
Diviſit proinde officium pietas.

Gemi-

Geminoſque Myſtas initiavit;
Quorum alter luctu, alter cantu litaret.
Sile jam Græcia miratrix
Democriti, & Heracliti diſparem Genium.
Poſſum melius par, divino de autographo promere.
Nam Cainam lugendo, Malaleel canendo,
Novem ſæcula confecere.
Et antiquam animam
Alter effluit, alter efflavit
Diutius tamen vixit Cainamus:
Nam Mortalium lætitiæ ſuperſtes eſt dolor.
Denique á Cainamo Malaleel eſt ſatus:
Vera quippe voluptas, lacrymarum eſt proles.

JARED
MALALEELIS FILIUS.
EXPOSTULATIO.

Eſt quo tecum expoſtulem, Fama;
Quæ tot prædita linguis, quot plumis,
Circa Jaredi laudes implumis es, & elinguis.
Nam præter annos ac prolem, nihil admodum pangis.
Non annis vivunt Mortales, ſed factis.
Tu Jaredi annos prodis, facta perdis.
Quid hoc eſt aliud quam occidere mortuum? Fallor.
Authoritatem ex ſilentio quæris.
Ad laudum metam de compendio perveniſti,
Dum Jaredum Enoci Genitorem vocas.
Non poterat intempeſto ſæculo tam bonus educi,
Niſi ex optimo Patre.
Quam magnum hoc fuerit, docuit mora:
Atavus enim eſſe poterat, cum Pater eſſe cœpit.
Ut non mireris tam ſenili ingenio Puerum.
Nemo ſeriùs Prolem habuit;
Nemo enim diuturnius erat habiturus.
Feſtiva non ſunt, quæ feſtina.
Decennio parturit Elephas, ſed Elephantum.
Celeres partus velut ſibi præreptos citò revocant Fata.

Tan-

Tanti erat igitur novem ſæcula meditari,
Ut talem ſobolem de ſuo fingeret exemplo;
Omnium verò ſapientiſſimè,
Quod vix editum Aris admovit.
Novum fœnoris genus, Deo fœnerari;
Dare quod acceperis,
Ut luculentius recipias quod dederis.
Nam qui mortalis dedicatus eſt Puer,
A morte eſt manumiſſus.
Potes jam tu ſecurus eſſe de Filio, de te Filius.
Utrique benè cautum:
Neuter ſuam flebit orbitatem:
Tu Filio ſuperſtes eris, Filius tibi.

ENOCH

JAREDI FILIUS.

CENOTAPHIUM.

Inanem ex auro Tumulum molire, Faber,
Et vivaci emblemate
Cœleſtem hominem cæla.
Infantulus fingatur, Aris non Cunis reptans,
Septimus ab Adamo natus, Deo deſtinatus,
Ut in ſeptimo quieſcat Deus:
Jam adultum ſolitudini affinge,
Ut honeſtæ legationi decoros comparet cultos,
Aureo ſqualore lepidam maciem dita;
Argento lacrymas imitante:
Ut pœnitentiam, ignotum nomen,
Non tam ſuadeat, quam oſtendat.
Jam ſylvis digreſſus,
Laſcivos doceat Cainitas
Cœleſtem ultionem præoccupando vitare:
Ac delere lacrymis ſcelera, ne diluvio deleantur,

Heu tardæ Mortalium mentes.
Incredulos monet, non movet:
Ac flenda vaticinans, ridetur Vates.
„ Nimirum præcipites lentam ultionem non timent:
„ Ignari graviſſima quæque lentè ferri.
Ergo feliciori legatione ad Sethigenas miſſum,
Quos in Angelos vertit
Ab Angelis in ſublime raptum ſculpe,
Num liquidem aera, num ætherem putum potiatur,
Nondum liquet.
Hunc utique alicubi ſculpe,
Ubi extra Mortis jacula Mortem rideat;
Et vivis egreſſus, mortuis ſuperſtes,
Solus ſibi Phœnix, juvenile ſenium trahat.
Quid agat dubitas?
Orbis ſpectator, Orbi ſpectaculum parat.
In Pſeudochriſtum pro Chriſto velitaturus,
Bellabit contra rebellem.
Et peremptus perimet peremptorem.
Hæc ubi expreſſeris,
Brevem Tumulo Epigraphen fige.
Enochus hic non jacet.
Cum jacebit, omnes jacebunt.
Fleas, Viator, antequam jaceat.

MATHUSALES
ENOCI FILIUS.
LAMECH
MATHUSALÆ FILIUS.
EUCHARISTICON.

Vobis verò inclyti,
Humana plaudant ingenia;
Qui diviniſſimam Artium Aſtronomiam Cœlo devocaſtis.

Nite-

Nitebant ignita illa Sidera, & ignota.
Clariſſimus ille Populus.
Tenebrionum more per noctem bacchari videbatur.
Neſciebant tempeſtates cui gratiam haberent Aſtro,
Terrebant rudes ridenda Lunæ deliquia;
Non terrebant comatæ Cœli Furiæ, Cometæ.
Ibat immortale lumen à caduco indiſtinctum;
Et mediaſtini vapores.
Inter Stellarum Patricios numerabantur.
Omnia dixiſſes errantia Siderà,
Non incedere, ſed exulare:
Omnia caducà,
Die pereunte naſci, naſcente perire:
Totum denique Cœlum Oceano tumulari.
Sic improvidis vita carpebatur:
Et aſſiduas Planetarum lucubrationes inertiſſimi ſpectabāt.
Ut hominum incuria, Aſtrorum injuriâ fuerit,
Quæ nomine carebant, ut patriâ.
Vos itaque Cœli Filij;
Stupore duce, qui optimus ignorantiæ comes,
Profanis impermiſſa penetralia rimati,
Cœli oculos Mortalium oculis oſtendiſtis.
Cœpere muta illa Sidera, deprehenſi Prothei
Suorum curſuum aperire conſilia:
Et obſcuræ temporum leges,
Admotis facibus legi.
Paucis ante diluvium ſæculis
Nata ſunt aſtra; quia nota.
Sapuit Orbis cùm ſenuit:
Cœlum noſci cæpit, cum iraſci:
Ut diſceret genus humanum quid amitteret.
Denique pereunte Mundo natæ ſunt Muſæ,
Quarum prima fuit Urania.
Vos vero Cœli interpretes,
Paucis ante diluvium Solibus obiiſtis;
Tempeſtivo præfugio in Cœlum recepti.
Quaſi Homines circumvenire non poſſent Stellæ,
Quamdiu Stellarum amici viverent.

Omnium tamen ætates eviciſti Mathuſales;
Longiore dignus ſæculo;
Niſi quæ procul de Sideribus conjecta veras,
Propius diſpicere maluiſſes.
Detulit fatali Navigio utriuſq; reliquias Nauclerus Noe.
Tutiſſima prorſus Navis:
Cui magneticam pixidem ſacra ſupplebat Urna,
Oſſa gubernaculum, ſabburram Cinis.
Suis igitur grata Vindicibus occurrat Urania.
Muſarum parentibus parentent Muſæ.
Vos hominum linguæ in Cœlum tollant,
Qui hominum oculis Cœlum obtuliſtis.

MUNDI

ADOLESCENTIA.

MILITES.

NOES

LAMECHI FILIUS.

Chriſti linea.

Cahm. Sem. *Iapheth.*

Nembroth. Arphaxad.

Salem.

Heber.

Phaleg.

Revus.

Sarag.

Nachor.

Thares.

Loth. Abraham. *Lothi Vxor.*

Iſaac.

Jacob.

Tribuni duodecim.

NOES
LAMECHI FILIUS.
ANATHEMA.

Adeſdum, Viator.
Quam cernis Tholo ſuſpenſam Trabem
Votivum invictæ Navis fruſtulum eſt;
Quæ nec velo acta, nec remige.
Semel omnes Mortales in Orbem novum trajecit.
Miraris? Majora audies.
Mali amores bonos mores infecerant.
Ætatem vitiis anteverterant homines,
Nondum adulti, jam adulteri.
Argumentum deformitatis erat pudicitia,
Non pudicitiæ deformitas.
Non diligenti manu mittenda erant fulmina,
Quacumque caderent, in ſceleſtum caſura.
Eo denique ſorduerat Tellus,
Ut dilui non poſſet, niſi diluvio.
Unus in corrupto ſæculo integer eſſe auſus eſt Noes.
Ut ſcias, magna inter Vitia
Magnæ locum eſſe Virtuti.
Hic fruſtra auditus vindictæ Præco,
Malè feriatos diù terruit,
Serò ſupplices futuros in ſupplicio tam ſerò,
Itaq; deſperatâ Cæterorum ſalute, conſuluit ſuæ.
Nam Protofabro Numine,
Ut ineluctabile Undarum obſidium eluctaretur.
Arcam pro Arce molitur.
Ibi ſanctâ cum Conjuge, Liberis, Nuribus,
Novus at navus abditur Nauta.
Vide quam mala fuerint tempora;
Totam Orbis pietatem trabs una ſuſtinuit.
Ibi divino delectu Animantium vivarium fecit.
Ut reliquæ cum Hominibus perirent Feræ,
In quarum ingenia tranſierant Homines.
Increſcunt undecunque ferales Undæ.
Defluunt, ſuperfluunt, circumfluunt,

Ut Orci mancipia plectant,maria emancipantur;
Ut pereant Homines, tabeſcunt nubes;
Ut terras obruat, Cœlum ruit.
Sorbentur cum Gregibus Populi;
Rotantur cum populis Urbes,
Interit cum Urbibus Orbis.
Ne quid inultum vivat,aquæ plectuntur quæ plectunt:
Nam Maria ipſa in diluvio pereunt,
Dum ſua nomina amittunt.
Quale ſpectaculum, ſi ſuperfuiſſent ſpectatores?
Sola hæc indomitum Oceanum inſedit Machina.
Alterius Orbis ſpem claudens.
Luſit annuo in naufragio centenaria navis,
Unica in ſalo ſalus:
Donec, quæ omnia merſerat,emerſit Terra;
Et ſuffocatis flagitiis Orbis reſpiravit.
Itaque ſpeculatrice Columbâ, pacis internunciâ;
Omnium hominum Portitor Noes
In Orbem alium deſcendit.
Prodiere abdita illa meliorum gentium exemplaria.
Feræ ipſæ,humano ex contubernio minus feræ,
Suis ſaltibus redditæ.
Tum ex Arcâ ad Aram procedens,
Verus Deucalion,
Ætatis primæ poſtremus, ſecundæ primus,
Victimas pro naulo ſolvit:
„ Et hoc Ratis reſiduum pro Anathemate ſuſpendit.
„ Diſce Viator: immerſibilis eſt vera virtus:
„ Medio in Ponto Portum inveniet.

CHAM
NOE FILIUS.
DIRÆ.

Voveo te tuis manibus,
Navare mancipium Chame.
Cui provida Fata.
Calidum nomen pro ſtygmate inuſſere.
Quid enim Chami vocabulum, niſi ardor impurus?

Apage

Apage in Arcam illam, dignior Ferarum conviva.
Quamquam fœdior nulla Bellua
Ex natante illo ſtabulo prodiit.
Nam illæ incluſæ caſtimoniam ſervarunt,
Tu ipſo in Salo ſalax.
Vel in Arcâ ſolutus.
Sanctiſſimam illam ſalutis onerariam
Laſcivo concubitu polluiſti.
Nec ſola hæc tua probra.
Primam Vindemiam dedicaverat Noes;
Ut triſtem aquarum memoriam vino reſtingueret.
At indoctus adhuc lymphātem Bacchum mulcere lymphis;
Qui de Oceano ſiccus emerſerat,
Fecit in cratere naufragium.
Robuſtior quippe vini vis,
Effœtum ſenem proſtravit, nudavitq;.
Parum fuit nudaſſe;
Niſi proditorum pudor, pudoris proditor Chame,
Ad paterna ludibria Germanos convocaſſes.
Tu igitur damnoſior, an Bacchus?
Ille Patrem ſpoliat, tu ſpoliatum oſtentas:
Uterq; ingratus authori.
Furiæ te omnes, inſolentiſſime Puer,
Nova purgati Orbis macula;
Et unicum Patris malefactum.
Meritò illa derides, quæ te genuerunt:
Hoc ipſo turpia, quia genuere tam turpem.
Utinam oculis caruiſſes, aut linguâ,
Nunc verendæ nuditatis inverecundus ſpectator, ac præco,
Dum tegenda & tacenda, nec tegis nec taces,
Nemo te protegat, de te nemo taceat,
Vereri incipies, quem deſinis revereri.
Ibis impacto Genitoris anathemate.
Nudum & ebrium Germanis ergaſtulum.
Voto eodem Filios gignes, ſed ebrios;
Nepotes habebis, ſed nudandos.
Nam Paleſtina & Aſſyria purpura exuti,
Fabulam dabunt quam rides.
Quin fœdo eodem ſemini progeniti Æthiopes,
Impuriſſimi ardoris tui afflicti fumo,

Mores tuos de ſuo colore teſtabuntur.
Nec in Parentis arcanis tua ſtabit curioſitas,
Nam præſtigioſus Inferorum ſcrutator,
Barbaro Nomine Zoroaſter,
Magicas peſtes Orco evocabis:
In Orcum revocandus:
Ex Unda ſervatus ad flammas.
Dediſce, Viator, mala culpare Tempora.
Semper ſibi Orbis conſtitit,
Ter ſi diluvio mergatur,
Ter emerget impurior.
„ Vitia erunt donec Homines.

NEMBROTH
CHAMI NEPOS.
DIGRESSIO.

Aliquid extra orbitam
De Nembrotho leges, Viator.
Ne malis artibus partum pereat Nomen.
Magna etiam infamiæ debetur æternitas.
Hic inter inhumanos immanis,
Tam corporis,quam ſcelerum mole Terram oneravit.
Membra leges exceſſere, ut animum caperent exlegem.
Impotens igitur ſui quòd nimium poſſet,
Virtutem violentia violavit?
Et Aſſyriæ ſceptrum extorſit,ut torqueret Aſſyrios.
Itaq; non mirere amiſſum Imperio impio commiſſum:
Minimum eſt Homines vincere, niſi Deum laceſſat.
Nam primus Idololatra, & Idolum,
Divinos ſibi honores aſſeruit.
Debuerat ipſe Aræ admoveri, non ipſi Ara.
At vulgo in adulationem prono,
Belus Iupiter dicitur,verius deinde Beelzebub.
Levi diſcrimine, Tyrannus colatur,an Dæmon.
Hinc leve nomen ut ſiſtat, marmori alligat.
Nam cruentis gladiis in ſcalpella verſis,
Suam lapidibus effigiem primus tradidit.
Hærente natura inter imaginem & exemplar.

Niſi

Niſi quod mutuatis officiis,
Ipſe lapidi imaginem, lapis ipſe duritiam commodavit.
Et imaginis imago fuit.
Improſpera videbantur hæc ſcelera, ſi perirent.
Ergo Turrim meditatur,
Quæ ultra diluvii metum ac Mundi metam,
Trophæa cum ſideribus miſceat.
Eò crevit impietas, ut condenda Solo nomina oſtendat Soli
Et peccare jam pudeat, niſi peccet in Cœlo.
Grandeſcit ſuis authoribus ſimilis Machina;
Gigantum turris, ac Turrium Gigas:
Quam inſiſtere ſperat, contra fulmina fulminaturus.
Sed ignavè ſuperbus Artifex,
Dum fluminum vires pavet, ad fulminum ſedes accedit,
Et patentiorem ſcopum exhibente magnitudine,
Vindictæ occurrit quam fugit.
Confuſis igitur linguis,
Ut creſceret Moles obſtitit Cœlum;
Ut decreſceret inſtitit Euphrates.
Vertitur ab imo compacta ſcopulis Babylon,
Non ſolidum opus, quia ſtolidum;
Vani nominis fulcrum, non vanum nomen.
Uno prodigioſa miraculo, quod ruente Turri infamia ſtetit.
Hoc te volebam parumper digredi: ad Chriſti Proavos redi.

SEM & JAPHET
NOE FILII.
STATUÆ.

Effinge mihi, divine Phidia,
Ingenuos Juvenes duos.
Qui collectum humeris palliolum.
In nudum Patrem averſo vultu rejiciant,
Ex uno gemini ſpirent lapide.
Ut cognatæ materiæ, nexus unanimes fateatur, ac Fratres.
Tam religioſum par Fratrum.
Nec Argi oſtendent, nec Athenæ.
Nivea Paros materiam dabit:

Ut

Ut notus marmoris nitor, nitoris arcani ſit nota.
Pudibundus volo, & attonitos.
Vis tales fingere? lapideos finge.
Nam magni pudoris anteſignanus eſt pallor, ſtuporis rigor.
Capitalibus verò literis hoc adjice Lemma,
Piis Fratribus,
Semo & Iapheto,
Paternæ famæ tutelaribus:
Quòd Parentis nuditatem profanis oculis verberatam,
Honeſto pallij oppoſitu ſanctiſſimè protexerint:
Et infami deriſore objurgato,
Infamiam ſui ſæculi deleverint:
Ac per ſuos etiam Nepotes,
Impuris Chami Nepotibus,
Tranſcriptæ impudentiæ multam irrogaverint:
Ob eamq; rem munerati,
Pro injectâ veſte, regiam Chlamydem receperint:
Quot Filios tot Reges,
Orbis univerſi regionibus diſtribuerint:
Alter Hebræorum, Romanorum alter parens,
Hebraicæ Romanæq; Eccleſiæ Protoparentes extiterint:
Humani demum Generis Servatorem
Progenuerit alter, alter coluerit.
Terrarum Orbis univerſus,
Proſperæ Pietatis Imagine in exemplum datâ,
Lubens gratuſq; gratulatur.

ARPHAXAD
SEMI FILIUS.

SALEM Arphaxadi Filius.
HEBER Salemi Filius.
PHALEG Heberi Filius.
REVUS Phalegi Filius.
SARAG Revi Filius.
NACHOR Saragi Filius.
THARES Nachoris Filius.

CA-

CATALOGUS.

Quidquid ſexcenti ſoles dedere Sanctum,
Catalogus hic dabit:
Reliqua devoravit oblivio.
Servari debuerant germina, Servatorem germinatura;
Hæc illa renovati Orbis innocentia
In Arphaxado, Salemo, atque Hebero;
Qui ſuos ſibi montes pro meta poſitos rati.
Tamdiu curis, quamdiu curioſitate vacarunt,
Itaq; ſuorum litorum cunabulis appoſiti.
Ubi naſcebantur, creſcebant;
Ubi creſcebant, denaſcebantur.
Hoc beneficio diluvium profuit,
Quòd erectis montibus, ambitionem circumſepſit.
Sed nimirum bonis ſtirpibus agnaſcuntur ſtolones.
Creverunt Chamitarum corpora animis majora,
,, Nam peſſima ſtatim adoleſcunt.
Crevit proinde ſpatij neceſſitas, & imperij fames;
Finitimique vocabuli authoritate,
Jus & vis pro eodem accepta.
Tunc orti legiſlatores cùm mortuæ leges:
Tunc ſcripta Jura cùm proſcripta Juſtitia.
Hinc nata militaris diſciplina, Ars moriendi.
Eoque inſolentiæ ventum,
Ut glorioſius haberetur Cœlum aggredi quàm mereri,
Ac Deum adoriri, quàm adorare.
Obſtitit Numen audacibus cœptis,
Faceto & inſigni commento:
Dum patriam Hominum vocem
In ignota comminuit idiomata.
Tyrannidis miniſtra lingua eſt:
Hanc Deus mulctavit cùm mutavit.
Solvitur enim mala Reſpublica, cùm dividitur.
Profuit hoc tamen Orbi ſupplicium:
Dum enim repentè Barbari,
Inter tot linguas viderentur elingues;
Inutili jam convictu,
In hoſpitum hàc illàc quæſitarunt hoſpitium.
Diſtributa ſunt igitur cœlitùs exilia quæ colerentur.
Quâ neceſſitate
Naves, mobilia Mortis domicilia, compactæ.

Hinc

Hinc Maria Monſtris, Sylvæ Feris ereptæ.
Denique unâ ex Chaldæâ
In Regiones omnes traductæ Coloniæ;
Et animatus eſt Orbis.
Solus Heberus Hebræorum Pater, & Iſagogus
Patrium Solum, vocemque retinuit;
Et in pectoris ſacrario,
Natale idioma, ut divini oris Oracula conſervavit.
Natus Hebero Phaleg:
Cujus nomine linguarum diviſio memoriæ conſignata.
Succeſſerunt Revus, Sarag, Nachor & Thares:
Quorum laudes ſiluit Moſes,
Ne Magni Abrahami laudibus obſtreperent,
Itaq; de Abrahamo ut loquamur,
Cæteri ſileantur.

ABRAHAMUS
THARÆ FILIUS.
NARRATIO.

Abrahami geſta narro; Viator audi.
Hic in Chaldæa natus,
Cum inter Siderum cultores, Auctorem Siderum coleret,
Patrium Cœlum amittere maluit quàm adorare.
Profugus igitur & palabundus,
Ut famem averteret, propè famam evertit.
Nam Conjugis ſpecies Abramo periculo fuerat,
Niſi Abrami ſolertia Conjugi ſaluti fuiſſet.
„ Uſq; adeo mala ſarcina eſt pulchritudo.
Eò igitur perfugiens, unde profugerat;
Ex Ægypto in Cananitidem redux,
Aram poſuit, quietis arrham.
Lothum habuit Fratris Filium;
Cui, permixtis divitiis, commercia nexuit.
„Societate creſcunt opes; ſed opibus decreſcit ſocietas.
Crevere cum prædiis famuli, cum famulis rixæ.
Nec geminum ſolium, unum capiebat ſolum.
Idq; cum affinitas confinium non pateretur,

Terram

Terram partire maluerunt quam corda;
,,Sed hæc humanarum rerum neceſſitas;
,,Sociata augeri,aucta dividi,diviſa perire.
Ergo amœniſſimam Pentapoleos regionem
Tyranni quatuor populantes,
Lothum abducunt.
Perierat Loth,niſi Patruum habuiſſet,
Qui Servis trecentis ſub vexillum collectis,
Tot Hoſtias, quod hoſtes jugulavit.
Quis jam trecentos narret Lacones,
Qui non ſe numerant, ſed æſtimant?
Plus egere Abramo Duce totidem vernæ.
Unam illi repreſsêre aciem, hi quatuor oppreſsêre.
Adeò facilè militant, qui Deum habent commilitonem.
Sic inter Mortales Abram floruit,ſed mortalis.
Infelix erat felicitas,qui non habebat hæredem.
Nam, unâ Nominis illicebrâ,
Abramus erat,non Abramus:
Pater videlicet, ſine prole.
Erogare illi omnia voluit Deus,
Ut aliquid eſſet quo Deum rogaret.
Rogando,Iſmaelem orbitatis ſolatium ex Ancillâ ſuſcepit,
Sed nondum ſatis.
Invidioſa erat Conjugis ſterilitati Ancillæ fœcunditas:
Liberis egebat tanta fortuna,non libertis.
Itaq; ut nihil jam à Naturâ deſideraret,
Nihilque naturæ deberet,
Rogando,de ſterili Conjuge Iſaacum ſuſcepit.
Sed carò emit tam carum pignus:
Ipſum quippe ſenectæ gaudium,
Suâ jubetur dexterâ jugulare.
Lucroſo nimirum periculo.
Nam pro ſobole oblata ſtellarum numerum æquaturus,
Ex Abramo fit Abrahamus.
Ex inani Patre,multorum Pater.
Quæris quam magnus fuerit?
E ſinu metire.
Omnes probos gremio excipit,
Exceptos omnes, Beatus facit.

LOTH

LOTH

ABRAHÆ FRATRIS FILIUS.

TOPOGRAPHIA.

Sulphurea, Viator, quam cernis Lacuna, Pentapolis fuit,
Quinq; olim Regibus beata ſedes,
Nũc fumoſum famoſi Cupidinis buſtum, ſuas faces experti,
Inverſis hujus ignibus reſolutæ nubes;
Imbres in flammas verterunt.
Ut contra Naturam laſcivitum non dubites;
Naturæ legibus ita perverſis.
Nam contra Naturæ inimicos, inimicæ fœderantur Naturę,
Ignis, & Imber.
Sic flendos inter luſus,
Igneâ procel â afflati Cives omnes,
Præpoſterè arſerunt ut amarunt.
Immo, geminato miraculo,
Ignis ex aquâ fluxit, mox aqua ex igne.
Ambuſtam quippe Regionis faciem
Pigrum delevit Mare; vero nomine mortuum,
Cocyto ſimile, unde orta Venus.
Ita profanæ Urbes poſt incendium naufragæ,
A Vulcano mortem, à Neptuno tumulum habuere.
De more:
Nam Cupidinis flammas lachrymarum ſequuntur undæ.
Nulla igitur hic Ceres, nec Cereris Comes.
Caſſæ tantùm fruges:
Et poma præſtigioſo colore blanda,
„In exemplum voluptatis, quæ foris nitida
„In pœnitendum mox cinerem vaneſcit.
Lætior illa Inſula, Lothi ſedes ac Domus fuit,
Qui ſolus æruginoſo ſæculo purus, igne non eguit;
Soluſq; incendio ſuperfuit.
Hunc ſuavi cum Uxore, ac Gnatis duabus,
Angeli de Hoſpitio grati, vindicavere.
Lege datâ ne Patriam à tergo reſpicerent.

„Adeò

„ Adeo divina judicia humanis oculis interdicunt;
Vel averſa Venus miſerationem demeretur.
At fœminæ illiciuntur vetando: augente voluptatem periculo.
Hæc, clivo in iſto reſtitans, dum ſe vertit, in lapidem vertitur ſalſum,
Digna ſigillaria quæ in ſulſis mittantur.
Hoc in monte abſtruſus reſpiraverat Loth:
Filiarum comitatu Uxoris jacturam leniente.
Sat felix quod cariora flammis exemerat:
Neſcius heu puellarum ſinu pejora incendia foveri;
Quæ diù clauſa ruinam faciunt.
Hæ ſe virorum generi ſuperſtites ratæ,
Virginitatis tædio, maternam thalamum ſcandunt.
Nimirum feſtivæ hilaritatis ſpecie Genium ſoluturæ,
Pleniores calices Patri propinaverant.
Ut Veneri lenocinaretur Bacchus & ignis in igne fureret.
Hinc nefandæ Bacchantes, ebrij Genitoris implexæ amplexibus,
Fœdis Liberalibus, fœdiora miſcent Floralia,
Oh, poſt illum Salem, adhuc fatuæ Sorores!
Debuerant Matri conformari:
Quæ niſi eſſet ſtatua, nunc fieret.
Verum eſt quod ajunt, lethalem floribus vitem;
Cum Virgineos necuerit flores.
Infelix Genitor; cui flammæ ſervatus?
Ignem fugit, & ſecum tulit in dolio.
Felix tamen, quod gemina inter ſtupra caſtiſſimus,
Salva honeſtate filias fecit Matres.
Nam clamdeſtino Vini philtro obſtupefactus,
Baccho, Nocte, Somno, ter cæcus,
Inceſtum furantes Filias non ſenſit.
Ut non abſurdè afferatur Somnus Paſiphaæ Maritus,
Cum & inceſtificus eſſe poſſit.
Licet hoc etiam miraculis adnumerare,
Carneam ſtatuam, dormiendo gignentem.
Ergo utraq; concepit rivalis Soror.
Et utraq; ſuum peperit fratrem:
Quorum alter Moabitis, alter Ammonitis nomen fecit,
Olim Iſacidis infeſtum genus;
Quale tali thalamo ingignitur.

C Perge

Perge Viator.
Citra fabulam tres fabulas tenes,
Phaetonta, Nioben, Myrrham.

LOTHI
UXOR.
METAMORPHOSIS.

Quam ſtupes muliebrem Statuam
Tanto artificiô fictam,
Artifice caruit.
Genita fuit, & ſine ſcalpello ſculpta.
Et, quod impenſius mirere,
Olim ſpirabilis, & loquuta.
Brevi, Fœmina fuit.
Dicerem, eſt;
„ Niſi prodigium videretur,
Fœminam eſſe, & tacere.
Gorgonium vidiſſe illam putas?
Aut Ciconum fontem bibiſſe?
Erras: Se ipſa finxit.
Nam contra Divinum præſcriptum
Dum Patriam ſpectat, ſe amiſit.
Sola igitur Mortalium, nec Imaginis egens, nec Sepulcri.
Ipſa ſua ſtupiditatis Imago.
In ſemitâ hæret.
Et in ſuâ Statuâ tumulatur.
Licet igitur intra Metamorphoſes numerare
Fœminam ex verâ fictam,
Imò nunc veram, quia fictam.
„ Nam quid in fœminis videas, niſi fictum?
Itaque mentiri ſolita, ſeipſam mentitur.
Mortua Vivam ſimulat, vel viva mortuam.
Magis mirere,
Quod inſulſa, ſalſum migravit in lapidem:
In ſale mortua, quo viva carebat.

„ Sic

„ Sic ſolent fœminæ : ſapiunt cùm pereunt.
Ah fuge hunc ſalem, ſi ſapis, Viator.

ISAAC
ABRAHÆ FILIUS.
TRAGOEDIA.

Adeſte Cives.
In Monte Moriah Tragœdia dabitur.
Cui nihil ſimile dedere Athenæ.
Idomenæus, & Agamemnon fabulæ ſunt:
Et ſi confero, mihi frigent.
Protaſin aget Numinis Internuncius;
Qui Iſaacum Patriâ jubebit dexterâ immolari.
Diſtrahetur infelix Pater inter filij vel fidei jacturam;
Aut incredulus futurus, aut crudelis,
Atque ut totas ærumnas ſecum tractet,
Ad ignotam procul Aram peregrinabitur,
Ut ſingula per veſtigia gladium parans,
Locum omnem horreat, dum locum ignorat:
Toties enectus antequam necet.
Epitaſin aget Iſaacus;
Spes Patris, ac timor: Cœli munus & muneris pretium:
Tot victimis à Patre expetitus, nunc Patris victima.
Quem Deus fœneratus eſt Puerum, ut repeteret Virum.
Uterq; procedet ſuorum myſteriorum Sacrifer:
Hic lingua geſtans, quibus inardeat,
Ille facem, quam poſteritati ſubjiciat.
Nam totius Populi Caput de capite periclitatur.
Jam ad mœſtam cataſtaſim venietur.
Hanc uterq; perſolvet;
Dum Arâ poſitâ, compoſitâ ſtrue,
Diſcet puer ad ſe pertinere illum gladium.
Ambigeres, flebilior ne Sacerdos, an Victima ſit.
Niſi quod mollius eſt amanti,
Mortem impetrare, quam imperare.

Jam in ore primo ſtat Anima:
Jam gladium alter, alter jugulum nudat.
Jam morti acerbiſſimæ nihil deeſt,
Præter id quod Mortis acerbitatem adimit, Mors ipſa,
Sed cataſtaſis horrorem læta excipit cataſtrophe:
Dum momento eodem,
Imperium Deus, ferrum Genitor, revocabit.
Itaq; ad fortunatum Rebeccæ connubium ſervatum Puero,
Fœdus Aries pro ſuccedaneâ Victimâ Aram imbuet.
„De more Numinis, qui bonis minatur, malos perimit.
Sic Iſaacus iterum natus, Abrahamus iterum Pater,
Uterq; Actor, corollam ferent.
Agetur Tragœdia ludis verè Olympicis.
Modos facient Cœleſtes Chori.
Spectante Cœlo, Actore Homine, Authore Deo,
Qui veræ cædis progymnaſma, fictâ in cæde meditatus,
Eodem in Monte Filium immolando, Tragœdiam explebit.

JACOB
ISAACI FILIUS.

MONITA.

Habes, Viator,
Tot in Jacobo documenta, quot geſta.
Hic in ſterili conjugio divinitùs impetratur.
„ *Diſce per vota quærere quod optas.*
Nam magnum aliquid porrigit Cœlum, cùm flectitur.
Jam in gemino tumente fœtu, Jacob optimus,
Eſau peſſimus,
Feliciſſimam ſimul, & miſerrimam fecere Matrem.
Diſce quam finitimum Virtuti ſit Vitium.
Cum Mali Bonis agnaſcantur.
Sed ô prodigia! Rixantur Pueri antequam prodeant;
Et gladiotoria Palæſtra uterus eſt.
Tumulus eſſe poterat, ſi magna odia poſſent latere.
Diſce quam præmaturè ſe prodant pupillorum ingenia.
Ergo ex pellibus in aciem deſcendunt: ex utero in Orbem,
At primas obtinuit Eſau, hærente ad calcem Jacobo.
Diſce commune rerum fatum,

Ut

Ut dignitates indigni rapiant, non ſervaturi.
Vagus enim venator Eſau, rabidâ inſtinctus fame,
Flatulenta edulia Sacerdotio paciſcens,
Fit ex Domino Verna.
Diſce quàm ſtolida ſit improbitas.
Nam irretitus ſuamet arte venalis venator,
Cum ad eſcam involat, libertatem amittit.
Conſpiravit in Jacobi gloriam
Matris acumen, & Patris cœcitas:
Dum pius impio ſimilis,
Paternæ dexteræ ſubrepens, primatum ſubripit.
Et Eſau capitur dum Feras capit.
Diſce tua jura ingenio promovere:
Humanius enim mentis acie vincimus, quam Ferri.
Jam Fratris iras ut fugiat Jacob, patriam fugit.
Et ſollicitudines per ſollicitudines mulcens,
Exitium declinat exilio.
Diſce quàm arduum ſit Fratres componere, niſi dividas.
Magnus ex odio Jacobi labor; major ex amore.
Rachelis conjugium,
Unam videlicet ſervitutem ſeptenni ſervitute mercatur.
Diſce amoris nequitiam; qui Sapientes dementat.
Impoſuit Jacobo Labanus,
Dum pro pulcherrima, lippam ſuppoſuit,
Bis igitur ut nubat, bis ſervit:
Et liberos ut acquirat, libertatem amittit.
Diſce quid avaro fidas, ſi ſanguinem ſudoribus vendit.
Sed opportuna Soceri importunitas Genero fuit.
Nam ſterilem invenit pulcram, deformem frugi.
Diſce humanarum rerum vices.
Spem fallit ſpecies, utilia ſunt quæ ſpernuntur.
Infelix igitur Rachel ut prolem pariat, vota concipit:
Felix niſi litaſſet.
Nam Animam ſimul, ac Benjaminum enixa,
Vitam amiſit, cùm dedit.
Diſce quàm noſtra nos prodeat Cupiditas:
Perierat niſi pareret: periit, quia peperit.
Jam Natorum ac Pecudum Gregibus auctus Jacob,
Soceri auget invidiam.

Diſce quàm magnum ſit infortunium magna fortuna,
At malum malo mutatur,
Dum à Socero lapſus, in Fratrem relabitur.
Sed inter furem ac furentem medius,
Illum dolis vincit, hunc donis.
Diſce quàm ſecura munimenta ſint munera.
Nam ferro invictos, auro vinces.
Ultima reſtabant tentamenta Virtutis.
Soceri aſtu, Fratris æſtu inconcuſſus,
Natorum flagitiis concutitur:
Cruento Joſephi ſpolio deceptus,
Fictam cædem veris lachrymis luit.
Diſce, multiplici ex cõnubio plus doloris quam ſolatij progigni.
Rediit tandem felicitas ſera, ſed ſeria.
Læta enim ac tragicâ agnitione,
Dum Benjaminum repetit, Joſephum reperit.
Itaque inter Filios duodecim, oſcula, & Animos dividens
Ingenti felicitati ſuccubuit.
Diſce Virtutis leges, Viator;
„ Vere ut gaudeas, diù lugendum.

TRIBUNI XII.
JACOBI FILII.
SOMNIUM.

Suavis futurorum interpres Somnus,
Vel Ioſepho ad Cœlum rapto,
Vel Cœlo ad Ioſephum delato,
Talibus Oraculis puerile pectus implevit.
Huc nobis Infans.
Signiferum illum Orbẽ, Phœbi Phœbesq; curriculum vide.
Ubi Aſtra duodecim tempeſtates alternant.
Veſtræ familiæ vides Emblema.
Hic Signorum Princeps, ac vernæ fœcũditatis antiſtes *Aries*,
Te tibi oſtendit,
Cui Primigeniorum dignitatem
Naturâ negatam Virtus dabit;

Cùm

Cùm ex famulo Princeps.
Ægyptum ditabis, ab Ægypto ditabere.
At ille toroſus, & aratro ſacer *Bos*,
Iſſachar eſt:
Qui oneris quam honoris patientior,
Vectura vectitans, juge perferet jugum.
Jam *Geminorum* Fratrum nodus Benjamino aſtruit.
Vero Philadelphiæ exemplo.
Unico tecum animo, quia ab unico utero.
Jam verò ſub æſtuoſum tropici limitem
Refugus latibulans *Cancer*,
Nephtalis eſt à recto retrogradus.
Nec ſervile ingenium mirere, de Servâ natum.
Cernis ſubinde jubatum radiis *Leonem*,
Magnanimum, victor, ſtrenuum caput?
Hæ Judæ dotes;
Qui nomen Genti, ſceptrum Regibus, Meſſiæ natales dabit.
Virginem verò,
Solivagum, ſeverum, ſed caſtum Sydus,
Ad Levim referas.
Quem pudicitiæ amor ultorem libidinis faciet,
Ac Tribu ſoloq; dimotum, aris Temploq; admovebit.
Danum æquiſſimum Judicem; *Libra* præſagit:
Quæ noctem diemq; , hoc eſt pœnas & præmia,
Pari lance ſuſpendit.
Cernis ne *Scorpionem* illum truculenter blandum,
Ore innocenti, nocente cauda?
Simonis perfidiam notat:
Qui vel ſuo proditor nomini
Paci verba, dexteræ telum aptans,
Credulo Sichem, citius jugulato quam jugato;
Nuptialem ipſam facem ſupponet.
Nec melius ex *Centauro* præſagium:
Hinc humana ſpecie, inde equina laſcivia biformis,
Rubeno reſpondet.
Tantæ humanitatis, ut tuo funere pollui nolit:
Tantæ laſciviæ, ut Patris thalamos ultrò polluat:
Æquè pius dum Fratres ſervat,
Ac impius dum Fratres gignit.

Pari igitur præmio pœnaque dignus,
Primogenitus naſcitur, Primogenita amittet.
Euge, fœdiſſimum *Capricorum* cum Gado conferas:
Deformes, ſed uniformes.
Nam Martis ille ac Maris turbator.
Campos cædibus, freta tempeſtatibus aſperat.
Hic Sociorum quietem movebit:
Ditiones ſeditionibus agitabit.
Contrà verò,
Regius hic miniſter *Aquarius*, Azeri ſchema eſt:
Qui de gregali ad Regalem ſedem vocatus,
Regum Animos tractabit, iras mulcebit.
Piſces demum, lubricæ Maris animæ,
Zabulonis ſortem pingunt.
Qui piſculentam ſortibus oram,
Divitias ac delicias comparabit,
Hæc veſtræ fortuna Domus;
Cœli filia, Cœlo nixa, cum Cœlo duratura,
Quid enim Cœlum, niſi myſteriorum Pictura?
Hæc vaticinatus Sopor, evanuit,
At experrectus Ioſeph,
Suo Somno Fratres fecit inſomnes.

MUN-

MUNDI
JUVENTUS.
DUCES.

JUDAS
JACOBI FILIUS.

Chriſti | linea.

Ex Levi Judæ fratre.	*Ioſeph. Judæ frater.*	*Phares.*	*Ex Dan. Iudæ fratre.*	*Ex Eſau Iacobi fratre.*
Moſes & Aron,	*Ioſues.*	Eſron.	*Samſon.*	*Iob.*
	Gedeon.	Ramus.		
	Iephtes.	Aminadab.		
		Naaſon.		
		Salma.		
		Booz.		
		Obed.		
		Jeſſe.		

JUDAS
JACOBI FILIUS.
ETYMON.

Tertium vides Orbis Parentem, Viator.
Qui fati conſilio nomen à laude ſortitus,
Gerendorum præſcium, geſtorum pretium.
Id meruit adultus, quo donatus eſt infans.
Ergo ne ſilentium rapinæ damnetur,
Suam Judæ Etymologiam pro præconio reſtitue,
Animum illum celebra magnum, ſtrenuum, juſtum:
Qualem poſcebat Mundi Juventa.
Magnitudinis fuit,
Quod Patri ſe Vadem pro Benjamino devovit:
Certus, aut raptum reducere, aut raptorem.
Strenuitatis, quod hoſtiles ſectas hoſtiliter inſectatus,
Bella exercuit pro venatu.
Juſtitiæ, quod ignoti inceſtus ſe conſcium noſcens,
Brevem luxum diù luxit.
Has ut laudes unico vocabulo conſtringeret Fatum,
Iudam vocavit.
Migravit in ſtirpem tanti nominis teſſera,
Nam Judæ Tribus, Tribuno ſimilis,
Juſtitia, ſtrenuitate, magnitudine cæteras vicit.
Hæſit nepotibus avita gloria pro ſtimulo.
Quine nomini impares arguerentur,
Numini pares eſſe debuerant.
Eodem tituli augurio Regis dignitas fulſit:
Quæ primogeniti annis debita, indebita vitiis,
A Rubeno ad Judam, ab Evirato ad Virum, transfugit.
„ Adeò facilius eſt nanciſci Reges, quam naſci.
Hujus imperio nullum majus.
Nam longa perpetuaq; Regum lineâ decurrens,
Deniq; in Dei humeris ſedit.
Ita Judæ ſolium fuit altius Sole.
Nec cæco Providentiæ myſterio,
In *Iuda* nomine infandum Dei nomen invenies,
Addito *Delta*, quod *Ianuam* ſonat.

Nam

Judæa Virgo Janitrix fuit, & Genitrix.
Quanta hæc Judæ Gloria, quod ſui Author Authoris
Numen numeret inter Nepotes , & Judæus dicatur Deus.
Sed, heu miſeræ vices!
Tanti nominis laudem ſimile nomen inficiet,
Surget *Iudæ* Antagoniſtes Judas,
Hic Numen edet, ille prodet.
Sanctumq; os putri violans oſculo,
Summet nomen contaminabit.
Diſce Viator avitos jactare faſtos.
„ Hominum eſt Virtus, non Nominum.
Nam totidem literis Meſſiæ Patrem appelles, & Parricidam.

JOSEPH
JACOBI FILIUS.
EULOGIUM.

Dulces Rachelis primitiæ Joſeph,
Ut primus evadat, undecimus naſcitur,
Egregium aliquid meditante Naturâ,
Quæ tot exemplaria delineavit, ut unum abſolveret.
Paternæ virtuti, maternæ pulchritudini compar;
Ut impares Fratrum mores de ſuo Typo corrigeret.
In ſopore Vigil,
Pingente Somno, futuræ dignitâtis expreſſit imaginem.
„ Sed periculoſa res eſt eminere.
Per cognatum livorem
Vivus humatur, exhumatus divenditur.
Infelix Puer,
Vel perimatur ne imperet, vel ſervetur ut ſerviat,
Bis infelix,
Ab Eunucho emitur, ut ſerviat Fœminæ.
Ter infelix,
Purus impuræ ſervit, ingenuus captivæ:
Nam liberali mancipii ſpecie Domina capitur.
Hic inhoneſtum thalamum fugit:
Sed voto repugnat forma, pudore aucta:
Itaque inverecunda procacius perſequitur verecundum.
Hic Domino, quam Dominæ obſequentior fugit:
Illa

Illa deniq; impudentiæ impudicitiâ ſuffragante,
Arrepto pro Juvene palliolo,
Indicium criminis inſonti objicit.
Quid multa? favor ſequitur ream, reatus inſontem,
Itaq; liberalius ducens Joſeph,
Servili compede, quam herili amplexu conſtringi,
Carcerem ſubire maluit, quàm mereri.
,, Sed Virtus quicquid intrat, condecorat.
Læta ac mœſta ſomniante Pharaone,
Ut ambages ſolvat, vinculis ſolvitur.
Anguem diceres per latebras tractum,
Ut exiret nitidior.
Ægypti fata denuncians, Ægypto præficitur,
,,Nemo enim meli⁹ proſpicit malis, quã qui proſpicit mala.
Itaq; ore affirmata, re firmato præſagio,
Nam ferax, nunc ferox tempeſtas
Septennem fertilitatem ſeptenni ſterilitate devoravit.
Nepos nimirum Natura cùm prodigit, decoquit,
Hinc optimus Promus-Condus Joſeph,
Frumento gravidas Pyramides pandens,
Calefacta annonâ promit quod tepente condiderat.
Ita Ægyptiæ Pyramides, jam ſepulcra, mox horrea,
Ægyptios alunt quos tumulabant.
Tunc Aſia in Ægyptum emendicante,
Frumentatores Fratres agnoſcit Joſeph.
Pia Fati Talione:
Ut ab eo vitam emerent, quem vendiderant.
Dulciorem tamen agnitionem ſimulato facturus jurgio,
Ceu furto deprehenſo, ceu fures comprehendit,
Pari violentia amorem pectore, carcere Fratres, includens.
,, Sed lubrica res eſt Amor:
,,Medullis coercitus pupillas rumpit:
Cæcusq; per oculos viam rimatur.
Lætas igitur liquatus in lacrymas Joſeph,
Suis ſe proditoribus prodit.
Cœlum diceres illam domum, Aſtris duodecim lætam,
Sed ſine Sole, dum ſine Patre:
Qui demum accerſitus, totam fortunam ſerenavit,
Omnia recuperaverat præter Patriam.
Huic oſſa legavit pro Oraculo;

Ubi,

Ubi, poſt obitum peregrinatus, tandem quievit.
Semel mortuus,
Bis tumulatus,
Ter fletus,
Quater felix.

PHARES
JUDÆ FILIUS.
PRODIGIA.

Adoleſcens, quem cernis, Phares eſt:
Matris inceſtu, Patris adulterio ſatus:
Parentum dedecus, Nepotum decus,
O Prodigium!
Duos fleverat Viros, eoſq; Leviros Thamar,
Tertio deſponſa Fratri, & fraudata.
Ne orbitatem fleret,
Fraudulentâ libidine, ab Judâ Socero Prolem furatur.
Nam pellax Pellex,
Proſtituto corpore, non vultu.
Filium concepit Mariti Fratrem, ignota Nothum.
O dirum Prodigium!
Obſcuri ſceleris palam convicta Meretrix,
Accuſatore utero, Socero Judice, ad flammas trahitur;
Ut Veneris crimen Vulcanus plectat;
Et flammam expiet flamma.
Sed productis ſcortationis præmiolis,
Sigillo, ſudario, baculo;
Reum Judicem convicit rea.
O implexum Prodigium!
Sanctum adulterio miſceri, adulterio ſanctum gigni.
Immò unico adulterio bis adulter Judas,
Crimen geminat:
Quippe unico inceſtu, geminos gignit.
Oprobroſum Prodigium!
Gemello inſtante partu,
Exertam Zaræ dexteram purpura diſtinguit Obſtetrix;
Purpuratam dexteram in uterum revocat Zara:
Et poſterior Phares prior oritur,

O di-

O divinum Prodigium!
Quid monſtri ferunt hæ vices?
An purpureum vinculum,
Ut Ægyptiæ captivitatis omen, exhorret infans?
An penitus in uterum reſilit,
Ut purpuream Regni notam oſtendat Fratri,
Cui divinæ ſtirpis authori debentur primæ?
An quòd aurore plagam ſignificet Zara,
Purpuream auroræ notam coruſcat,
Ut Solis inſtar procedat Phares?
An gemini Populi præpoſteræ notantur ſortes?
Nam qui legem primus accepit,
A legis actis manum retraxit.
O Felix Prodigium!
Nemo utilius peccavit, quàm Thamar.
Nam legitima areſcente Judæ Prole,
Tota Judæorum Regum Sylva
De ſpurio hoc Stolone propagatur.
Pro Providentiæ Conſilio:
Ut decolor Hebræorum purpura
Haberet unde erubeſceret:
Et Regali Throno oppoſitus Thamaris Thorus,
Tyrannicum typhum excuteret.
O maximum omnium Prodigium!
Regia Chriſti Gentilitas hoc probro ſuperbit:
Et Virginei partus Aviæ jactantur inceſtæ,
Dum Chriſti Genitores ex Thamare dicuntur Nati.
Sive id augendo Divinorum natalium ſplendori:
„ Nam fœdiore in nebulâ clarior elucet Iris.
Sive minuendæ ſeveritati:
Dum criminum Vindex criminoſos invenit
O læta Prodigia!
Abi Viator, & Spera.

JOB
ESAU PRONEPOS.
MONOMACHIA.

In Arenam, ô Cives:
Gemini congrediuntur Athletæ,

Orien-

Orientis alter, alter occidentis ſolis imperator;
Job, & Dæmon.
Simplicem illum videbitis cum multiplici Hoſte pugnantem.
Illum ſemper eundem; hunc ſemper alium:
Qui formâ carens, formas alternat.
Sed proderit Jobo adverſarii varietas,
Toties unum triumphaturo.
En mollium Sabæorum ſpecie ſimulatus Hoſtis,
Jobi Boves prædatur.
Hæc prima Dæmonis velitatio; Robur enervare deliciis.
Sed irrito eventu,
In flammam mutatur flammarum hoſpes:
Et Cœlo cadens, ubi ſtare non potuit,
Incendit quacunq; incedit;
Et Paſcentes oviculas igni depaſcitur.
Hinc Magicum Chaldæorum agmen mentitus,
Camelos cum rectoribus córripit.
Suſtinet hanc jacturam divinus Pugil,
Qui opibus impeditior quo ditior,
Æquè beneficum vocat Numen, ſive afferat, ſive auferat opes.
Sic prædonem angit, dum de præda non angitur.
Hactenus proluſit aggreſſor: jam propius,
Ut Regiam evertat in ventum vertitur:
Nil enim aulæ nocentius vento.
Omnes turbat hic turbo præter illum cui nocet:
Qui ruinas inter infractus,
Latiore Cœlo fruitur, dum tecta ſubſidunt.
Sed majores cietlacrymarum nimbos hic ventus.
Dulcem ſenis ſobolem inter epulas ruina ſepelit.
At facilius terram movet, quam Jobum:
Qui ruente familia ſuſtinere poteſt orbitatem.
Spoliato quid ſupereſt? Vita.
Hanc tortoris imagine cruciat, non rapit:
Ut intra corpus, & cadaver medius,
Job vitam optet, vel Mortem,
Job neutram curat.
Et ante Numen cadens, æmulum ſternit dum ſternitur.
Debel-

Debellaverat; niſi defeſſus Antagoniſta,
Deteriorem ſibi vicarium ſufficeret, Fœminam;
Viro igitur Uxorem delegat,
Quæ poſtremam ſuis malis imponere manum ſuadeat;
Et Mortem Morte anteverteret.
Beneficam crederes hanc Maleficam, niſi eſſet Uxor,
Cui luxus eſt debili marito carere.
Detrahit hanc pietatis larvam Mariti pietas:
Ac linguam lingua retundens,
Vivere mavult, inviſus Conjugi ac ſibi;
Totieſq; Hoſtem verberat, quoties ſpirat.
Et nihil amaturus præter Deum, Mortem etiam odit.
Nam poſtremis in malis,
Fortius eſt Mortem arcere, quam arceſſere.
Jam inter rapinas & ruinas nudus, palmam tenet.
Sed ipſam in palmam victus involat Dæmon:
Et ultimos conatus adhibet, amicorum probra.
Hi tantâ virtute amaris ſalibus reſperſa,
Famoſis carminibus Victoris famam corrumpunt.
„Habet hanc felicitatem noviſſima calamitas,
„Quòd invidiam extinguit. hoc uno invidenda.
Job omnium miſerrimus, invidos habet amicos,
Nimirum Poetas,
Tam malè mordaces, ut velu'ceroſum mordeant.
Adeo inter Aulicos, Virgines Muſæ laſciviunt.
Evicit extremum hunc laborem ſtrenuus Job.
Qui contemptus & contentus, Hoſtes Hoſtiis luſtrat.
Hic toto Cœli Theatro plauſus excitus.
Nec minori præmio, quam prælio,
Regno, liberis, opibus, duplo auctior,
Suos ipſe luctus cecinit,
Et calamitates calamo felices fecit.

ESRON
PHARESI FILIUS.
RAMUS ESRONIS FILIUS.
AMINADAB RAMI FILIUS.

AVLICISMVS.

Aulam eſſe Auram,
Triumviratus hic docet;
Aulicæ fortunæ levitatem expertus,
Quæ cum Eſrone proceſſit,
Cum Ramo ſtetit,
Cum Aminadabo receſſit.
Nemo igitur Eſrone felicior Aulicus.
Nam cum injuria Sideris depulſa Ceres,
Aſiam, atq; Africam fugeret;
Et areret quicquid araret:
Eſron in Ægyptum receptus,
Regnante Amoſi Pharaone, Proregnante Joſepho Patruo,
In ſolivago Thebaidis ſolo cœlitum vitam vixit:
Urbicas delicias nactus inter Agreſtes.
„Candida enim felicitas mapalium fumo non tingitur.
Senſit Colonorum innocentiam Canopi Tellus;
Quæ regali Judæorum vomere exculta,
Vota frugibus anteivit;
Ac nihil debuit Nilo.
Certavit cum agrorum fœcunditate Agricolarum fœcunditas;
Nam exiguus Iſraelitidum cætus
Prodigioſâ ſuperfœtatione implevit Ægyptum,
Dubitas quantâ vi ſoboleverint?
Una Judæ Tribus quinos in Ægyptum deduxit Pueros.
Intra octogeſimum luſtrum,
Septuaginta millia bellatorum diduxit.
„Adeò clementiâ Principis propagatur Reſpublica;
Et favonius conceptui favet.
Hactenus cum advenâ Eſrone velificata felicitas,
Cum Ramo indigenâ ſubſiſtere cœpit.
Nam ab Amoſi ad ſuccedaneos Pharaones,
Ægyptio deſultante Sceptro;
Joſephi merita cum Joſepho funeravit oblivio.
Hoc aulæ ingenium:
„Malefacta in ſaxo, Benefacta in aquis ſculpuntur.
„Et cum beneficiario interit beneficium,
Tantam igitur Judæorum fortunam

Sequuta

Sequuta, ut ſolet, invidia:
Cui omnia ſuſpecta, niſi deſpecta.
Noviſſimæ igitur calamitati ſervatur Aminadab;
Malè Regnante Amenophi;
Qui Regiam Judæ ſtirpem, luteo miniſterio defixit.
Additis operarum Cenſoribus,
Qui, crebriore quæſtione quam quæſtu,
Ceſſantes inceſſerent.
Ut infelix Populus operam aut animam ageret.
,,Hæc Tyrannorum natura;
Divitias rapere quas donent; timere quas dederint,
,, Ac ditatos calcare ne calcitrent.
At innoxiis nihil noxium.
Semineces Hebræi, & vivaces,
Baſilicæ inſtar herbæ, creſcunt per jurgia.
Quamquam doloris auctarium eſt
In ſterili fortunâ fœcunditas.
Horruit Pharao feracem hanc Excetram;
Contra quam gladio niſus.
Fœmineos Hebræarum fœtus virere jubet ad Venerem,
Maſculos vetat.
Æquè iniquus dum perdit, ac dum parcit:
Comite ſemper crudelitatis laſciviâ.
Infelix omninò Aminadab,
Quòd non citiùs aut ſerius naſcitur.
Nempe, cum Hebræa libertas,
Ægyptum attigit aut reliquit.
Immo omnium feliciſſimus,
Qui tantum infortunium fortiter tulit.
,, Miſerum enim eſt, miſerum eſſe neſcire.
Age Aulice:
Tres horum ætates compone, Aulici ætatem habebis.
,, Cui mendax Fortuna,
,,Primum applodit, mox ſupplodit; demum explodit.
,, Quod ſi Aulæ vicibus Principum vices accedant;
,,Sis licet cautus, non vitabis has cautes.

MOSES
LEVI NEPOS.
EXEGESIS.

Hactenus homines Natura genuit, nunc Deos.
Provectiori Mundo Ingenium crevit.
Novi Regis odio flagrante,
Nova Hebræorum ſpes naſcitur, Moſes.
Ortu, Vita, Obitu,
Intra fidem, ſupra opinionem.
Utero exactus flumini traditur;
Ut lethes eſſet pro lavacro,
Sed jactura caruit hic jactus.
Mergi non poteſt ſpectata pulchritudo.
Inter papyros hærentem ac biblos
(Jam tum Biblia meditabatur)
Regia ſpectans puella,
Optat, educit; adoptat, educat.
Sed lubricum Aulæ culmen ingenuis:
Fratrum oſores peroſus,
Ægyptio confoſſo, Ægyptum deſerit,
Obſcuro ſeceſſu, ſucceſſu illuſtri,
Nam Ovium Paſtor, mox Hominum,
Dilecto Populo deligitur Princeps.
Primus Moſi labor, Hebræorum libertatem rogare:
Sed à Tyranno.
„ Fruſtra nimirum rogantur, quibus aures in oculis.
Manu igitur, quam linguâ, facundior,
Ut aures audiant, oculos terret.
At quos Deus obfirmat, plectas facilius quam flectas.
Hebreæos cedente Mari incedentes,
Vado ſequitur Pharao.
Sed in undis demerſus, memori elemento pœnas dedit,
Quas naſcenti Moſi decreverat.
„ Sic ſuis artibus pereunt Tyranni.
Tanta pro ſuis fecit Moſes; plura pertulit à ſuis.

Nam

Nam ſternax Vulgus promiſſas ad ſedes eductus,
Angitur dum agitur;
Sanctumq; ductorem, ut ſeductorem criminatur.
„Adeò nec probi immunes à probris.
Profuit Moſi Paſtoritia:
Didicerat cum Brutis vivere.
Quanta in contumaces miſſa beneficia & amiſſa?
Liquitur invitâ de Pumice non ingratus ingratis liquor:
Virgâ lapides molliente, non Homines.
Sapit ſiti admonitis amarus nuper aquarum hauſtus.
Nec linguæ amaror melle depellitur.
Tota condiendis altilibus ancillatur Natura:
Sed rabida ora munus mandunt, munificem mordent.
Caneſcunt dulci rore concreta gramina:
At delicata mancipia incipiunt faſtidire delicias.
O veſtro luto lutulentiores!
„ Nil diſſolutius ſervo recens ſoluto.
„ Nam ſervitutis impatiens, libertatis incapax,
„In ſervitio libertatem amat, in libertate ſervitium.
Duras igitur ut cervices emolliat Moſes,
Ad Tonantem ſcandit per fulmina;
Leges rogaturus, quas irroget.
Sed divino è cultu Deo ſimilis reverſus,
Jumenti Cultores Jumento ſimiles reperit:
Geminas facie faces ejaculatus,
Qui paſſim ſtrati,
Legem detrectant, obtrectent legiſlatori.
Adeò periculoſum Antiſtiti gregem deſerere,
Etſi Deum adeat.
Jam verò iteratis oraculis,
Ter alius, & ter idem,
Civile, Militare, Pontificium Jus edens,
Proceres, Duces, Pontifices,
Foro, Caſtris, Templo conſtituit,
Omnium ditiſſimus,
Deum in Arca poſſedit,
Omnium doctiſſimus,
Divina geſta Commentariis excepit.
Omnium ſtrenuiſſimus,

Stationes quaterdenas annis totidem metitus,
Viam per avia vel invenit, vel fecit.
Quin ipſe Belli Dux,& bellica machina,
In Monte fixus,
Hoſtem dejicit, dum manus erigit.
Populo deniq; tot per clades traducto,
Primum ac poſtremum optati ſoli conſpectum rapiens
Patriam amiſit, cum vidit.
Hoc tantum Humanum fecit, quod defecit.
Morientem nemo vidit,
Mortuum nemo invenit,
Tumulum nemo erexit,
Si Deus moreretur, ſic moreretur.
Quis Moſem neget Pharaonis Deum?

AARON
MOSIS FRATER.
PARENÆSIS.

Adeſte Præſules. Paucis vos moneo.
Cecidi; nemo fidat: Convalui; nemo diffidat.
Ego Pontificum Princeps, & Principum Pontifex,
Moſis frater, immò pars fratris fui.
Nam quo alteruter carebat, ab alterutro ſumſit
Illi ego linguam, ille mihi manum ſuffecit.
„ Uni omnia nunquam conceſſa.
Sed ego nimio indulgentior,
Vulgo Deum Deo meliorem flagitanti, Dæmonem dedi.
Inaurium auro flammis domito, Monſtrum conflavi:
Ut aurium dolore oculi reſipiſcerent.
At nimis imperitè aureum formavi, ſi coli nolebam:
Cum aurum colatur vel informe, & Numus pro Numine ſit,
Materiæ pretio vilem addidi Jumenti ſpeciem,
Ut Numen darem colentibus ſimile.
Sic circa Vitulum vitulantur laſcivi;
Et Paſtores ducuntur à Pecude.

Itaq;

Itaq; in elemento eodem, Deum Moſes, ego Dæmonem reperi,
At nemini ſuum artificium pluris ſtetit.
Levius Authorem torſit Phalaridis Taurus,
Quam meus me Vitulus.
Nam ſemel ille gemuit, ego ſemper.
Finem ludicri luctus excepit:
Dum Vulcano redonatus eſt Vitulus:
Et flamma ſcelus delet quod fecit.
Tum, verſo in medelam veneno, Idoli Cineres in aquis ſorbui,
Ut Bacchi facinus eluerent lymphæ.
Hinc, ultore Levitarum gladio Populum depopulante,
Toties cado, quoties video cadentes.
Ut trigeſies millies peream, triginta millia pereuntium ſpecto.
Sic populus Antiſtitis culpa,
Antiſtes Populi pœna, torquetur.
Illi ſanguinem fundunt, ego lacrymas.
Heu quot lacrymas?
Nullas ad Filiorum funera mihi ſepoſui.
Vidi infelix infelices pueros,
Profano igni adolentes, ſacro igni aboleri,
At exhauſtis meo crimine oculis,
Nihil inveni quod ſuprà alienum crimen effluerer.
Supererat pro ſolatio dignitas: hac etiam ſpolior in Monte Hor:
Et Pontifex de Ponte dejicior.
Mors denique dolores omnes oneratura,
Optata litora proſpectantem oppreſſit.
Obii à Patria extorris, quam oculis tantum tenui,
Credite Antiſtites.
„ Lubrica res eſt præeſſe.

NAASON
AMINADABI FILIUS.

EXEMPLAR.

Lege, attende, mirare,
Principis Tribus Princeps Naaſon,
In Principum exemplar eſt poſitus.
Hic fortiſſimo Atavo fortior Abnepos,
Primus ab Ægyptio luto pedem extulit,
Novæ fortunæ Protoplaſtes:
Moſi obſequutus, non Pharaoni:
Qui cum Hebræos, nec amare vellet, nec amittere,
Amiſit quos amavit;
Graſſante per tenebras Cœli gladio.
Adeò auguſtum Imperandi augurium eſt, Deo parere.
Primus morante acie ad Orientem movetur:
Caſtrenſis vigilantiæ documento,
Ut Solem cadentem ultimus,
Naſcentem primus adſpiciat Princeps.
Primis Sanctuarium in Caſtris recepit,
Aggregatâ in contubernium Leviticâ Tribu;
Ut hoſtiarum cædes Hoſtium cædi proluderet.
Alterno enim fœdere,
Religionem Princeps, Religio Principem ſervat,
Primus in procinctu Martem laceſſit;
Non receſſurus niſi victoria receptui canat.
„Præpoſtere nempe bellatur,
„Cum Dux ab agmine ducitur, non agmen à Duce.
Primus ad Erythreum trepidante Turba,
Inſolens vadum dividui maris intravit
Et mendaci ſe credidit Elemento.
Dumq; illi Rubrum pelagus pallidi ſpeculabantur,
Hic Deo fretus, fretum deriſit.
Tanta hæc fiducia, ut anteceſſorem Angelum anteceſſerit.
Nam attonitum mare intrante Naaſone,
Anteſignana columna pone aciem receſſit.
Vel quod Angelo audentior fuerit Princeps,
Vel quod Principis exemplum melius præluceret.
Aſſurgit inambulanti reverens unda:
Aqueo cæmento ſtipans altrinſecus viam,
Hic terram pro fluctu, fluctum pro litore inveniens,
In undarum lubrico ſuam ſpeculatur ſoliditatem.

Neſcias

Neſcias utrùm magis mirere,
Stantes undas, an euntem Ducem:
In mari conſtantiam, an in Principe obſequium.
Exili virga indomitum domari mare,
An Mare ſine Mari, à Nauta ſine Navigio, tranſmitti.
Sanè hinc didita fama, Regalem purpuram meruiſſe Naaſonem;
Quod Purpureum fretum calcaverit Primus,
Habetis exemplar Principes: incipite quæ præcipitis.
„Malè imperat, qui imperat tantum.

SALMA
NAASONIS FILIUS.
GRATULATIO.

Gratulor tibi Principum feliciſſime Salma,
Hoc primum, quòd cœco erranti populo
Genitus es in deſerto.
Nihil deſerto illo fœcundius,
Ubi peregrinatus ſtatim ac natus.
Patriam in exilio habuiſti, exilium in patria.
Magis gratulor, quod legem per fulgura dictante Deo
In lucem veniſti.
Et Cervulæ inſtar, tonante Cœlo ſoluta eſt Parens.
Juſtum igitur non mirer, cui cognata jura,
Nec fortem, cui tonitrus increpundia.
Habuiſti cœleſtis alumnus nutricia ſidera,
Et manna pro mamma.
Unde dulciſſimi tibi mores:
Nam alimentum eſt indolis elementum.
Nec dulcia defuere viatica, donec viarum acerbitas,
Penuriam donante Cœlo, ut domicilium.
Hic inſtar Cœli, in agitatione firmiſſimus,
Quadraginta dierum iter annis totidem produxiſti:
Non tua ſed blaſphæmi populi culpa,
Qui pede uti linguâ errabundus
Tamdiu à recta quamdiu à recto deviavit.
Planè Peripatetici, qui ſapientiam condiſcunt ambulando.

Quid lubrica illa monſtra commemorem?
Neſcio anguesne flammeos, an flammas anguineas vocem.
Antiqui ſanè Serpentis Germina,
Qui Tartari Salamandra uritur, non aduritur.
Neq; enim decentior carnifex furioſorum linguis,
Quàm furiarum Colubræ, debebatur.
Tu verò ſupplici prece peſtes illas repreſſiſti:
Quâ nulla promptior excantatio.
Ut reciproco ictu
Linguæ anguibus, angues linguâ mulctarentur.
Macte tua illâ conſtantiâ,
Quæ tot per funera nuſquam periit.
Nam cæteri ex Ægypto digreſſi
(Præter unum, aut alterum)
Ante confectum iter, itinere confecti ſunt.
Ita, populoſa illa ſolitudo, vitioſorum cribrum,
Tot aucta cunabulis quot ſepulcris.
Alterum accepit populum, alterum dedit;
Melioremque dedit quàm accepit.
At quantâ virtute
Solâ ferri tui acie aciem univerſam tutatus,
Adverſus adverſos primum ſemper telum torſiſti?
At tribus & triginta proſtratis Regibus,
Meſſiæ annos victoriis totidem prænumeraſti?
Clareſcit tua fama Hierichontis incendio,
Quam Urbem orator & explorator ingreſſus,
Viciſti ut vinci poſſe vidiſti.
Vindicatâ manubiarum loco Raabâ,
Hoſpitali fide maritalem fidem ſupplente.
Meretrix meritiſſima.
Quæ ſervatorem progigneret, cujus progenitores ſervarat.
Ergò tibi gratulor quod primus, quod ſoſpes,
Primam & ſoſpitem promiſſæ telluri appuleris tribum.
Integra Genitorem manebat hæc palma,
Ut metam præciperet, qui ſe præmoverat.
Sed eam bipertire viſum ſuperis,
Ne tanta Parentis gloria inglorium faceret Filium.
Itaq; illi Erythræum, tibi Jordanis fuit prætentandus;

Qui

Qui retrocedentibus undis vadum reliquit.
Nimirum, virtuti cædere, docile flumen à mari didicerat.
Terge tam purâ lympha ſudores tuos,
Et malis recreare poſt mala.
„ Nam amara, memorando dulceſcunt,
„ Et aures mulcet quod oculos terruit.
Fruere partis deliciis inviƈtiſſime Salma,
Quo Auſpice, bellari cœptum & debellari;
Quo Duce, hoſtes omnes ceſſerunt, aut receſſerunt.
Quo reduce, Judæa Tribus centum Urbes ſortitur;
Quarum indigenæ tuo admoniti gladio,
Vacuas ut relinquerent ſedes, Tartarum implevere.

JOSUES
EX JOSEPHO.
TRIUMPHUS.

Egregium Triumphum inſtrue Silo,
Victor incedit Joſues.
Hierichontinæ præcedant tubæ,
Ut accedenti victori accidant Urbes.
Eximio triumpho non portæ panduntur, ſed mœnia.
Diſtinguat cohortium ſigna ſalubre Tetragrammaton
JESUS.
Vincendi teſſera, Victoris titulus, Victoriæ tutela.
Hoc enim ſervatus quo Servator,
Tartaro formidines feſtinavit.
Idumæorum ſuccedant manubiæ:
Quorum terga dumtaxat vidit.
Officium fuit ſpoliaſſe fugaces, & armis graves.
Nam timidiorum arma prædatorem vocent, non hoſtem.
Prima inter fercula Sinæ Montis occurrat ſpecies.
Ubi cum Moſe Empyreus Pyrauſta Joſues, in igne vixit.
Nimirum pravæ naturæ franguntur leges, cum divinæ conduntur,
Quas ſolus Moſes dedit, ſolus Joſues ſervavit.
Hinc duorum terga ferentium premat immanis Botrus,
Oſten-

Oſtentui datus,
Cum quadraginta annorum itinere, quadraginta diebus exhauſto;
De Gigantum te'lure
Fruges retulit, colonis ſimiles.
Olim tam colonos meſſurus, quam fruges.
Ergo tergemina Gigantum Henacinorum capita
Contis præfixa geſtentur;
Quibus robur rubori fuit.
Nam Viros non à viribus voces, ſed à virtute.
Volo etiam acervum lapidum plauſtro vehi,
Ingratam ingratis memoriam,
A quibus pene exanimatur dum territos animat.
Adeo timenda eſt timidorum audacia,
Tum Madianitarum Trophæa;
Quos ad Moſis inferias mactavit inferis:
Medio Baalami capite, exerta lingua:
Quam præſtigiator Prophetes, ſuo jumento ſtolidior,
In imprecationes conatus, in preces reſolvit.
Hinc Jordanis imago, ſi licet ſimulari, producitor.
Qui à Myſtis geſtatam, & Myſteria geſtantem Arcam
Veneratus ac veritus;
Stuporem inter & metum, ſimul ſtetit & fugit.
Hiericho inter ſimulacra victarum Urbium præcedat:
Quæ tubarum ſono turbata,
Saltantem Joſua contremuit.
Septem præterea Urbes graviori Marte deletæ,
In Imagine tantum vivant.
Sæviendum enim erat, aut ſerviendum.
Flagrent ante currum profacibus Sol, & Luna;
Qui pridem gradarij, jam ſtatarij Planetæ.
Ne victoriam morentur, morantur diem.
At Gabaonitæ, catenata mancipia, currum trahant,
Nam callidè vitam pacti, catenas in lucro ponunt.
Turrito curru immineas Victor;
Hæreditario Moſis diademate radiatus
Ut noctem illuſtret, excæcet invidiam.
Triumphalem Senem laureatæ ſequantur tribus,
Nemine juventam excedente.
Solus enim cum Calebo Joſues

Ægy-

Ægyptum vidit, & Judæam;
Carcerem, & Metam.
Pompam excipiat cœleſtis Arcus.
Sic inſcripto faſtigio.
Ieſu ſervatori,
Dictatori virgineo.
Africano, Aſiatico.
Quòd ad Palæſtinas delicias vindicato Populo,
Tyrannis tribus & triginta, igni, ferro, cantu, Proſtratis:
Totidemq; Regionibus tributim diviſis:
Sanctuario in Silunte collocato;
Ut Deus quieſceret, nunquam quieverit.
Sen. Popul. Q. Hebr.
Portam Trophæis inſignem aperuit.
V. O.

SAMSON
EX DANO
IDÆA.

Adeſte Juvenes, quibus Robur & Cupido.
Do vobis utriuſq; Idæam, Samſonem,
Alcidis coætaneum, Alcidi ſimilem, robuſto & forti:
Mox Cupidinis mancipium, Cupidini ſimile, cæco & nudo.
Hic de ſterili germinat:
Quo miraculo vel Jacob, vel Eſau naſcitur, nihil medium.
Nazarenus Nazareno dicatur; lecto à floribus titulo.
Avarum nempe munus. Vitæ autumnum Deo dicare, non florem.
Ne temulentia tumentem faciat;
Fonte puro fallere ſitim jubetur.
Ut bibentis imaginem reddente lymphâ,
Se ipſum noſcere aſſueſcat.
Contra pugnaces divino robore afflatur Puer:
Nil enim hoſti nocentius quam innocentia.
At Martius ille ſpiritus capillis illigatur:
Ut ſcias quam caducum ſit donum, juvenile robur,
Cum tenui admodum de filo pendeat.
Ad Hoſtium cædem conſecratus.
Odia Philiſteorum ab Philiſtearum amoribus incipit,
Incircumciſum connubium firmante Deo;

Ut

Ut Marti facem ſubjiciat Cupido.
Primus Samſonis labor, qui primus Alcidis,
Leonem immaniſſimum ſternere.
Dulciore tamen victoriâ,
Ferinas inter exuvias mellificium invenit:
Et Leonis hiâtus, Hominum ſepulcrum, mox apium nidus,
Feritate in dulcedinem verſâ.
Convivali ænigmati materiam dedit:
Quo enodando convivæ perfidum Sphingen adeunt,
Samſonis conjugem.
Hinc novus Juveni labor.
Qui malè ſoluti problematis amarum pretium ſoluturus,
Philiſtæos triginta occidit; & Hoſtium ſpoliis Hoſtes induit.
„ Sic ingenio victores vincuntur viribus:
Et dolos ſequitur dolor.
Hinc nova malorum Hydra:
„ Nam injuria vindictam, vindicta injuriam provocat.
Samſonis Uxor cognatam cædem adulteriis ulciſcitur.
Ut non mirère mariti ſecretũ vulgaſſe, quæ ſe ipſam vulgat.
„ Nil enim Fœminæ arcanum, cui nihil ſanctum.
Samſon trecentis Vulpibus faces ſubligat:
Ludicro initio, flebili eventu.
Nam incendiariæ animantes per ſegetes ſparſæ,
Famem cum flammis ſpargunt.
Hoc incendio adoletur Adultera;
Et Cereris facibus ad Proſerpinam ducitur.
Sic Vulpina ingenia plectuntur à Vulpibus.
Sed alii ex aliis nectuntur labores.
Nam ſociali perfidiâ Philiſtinis proditur â Tribu Juda
Chriſti ſpecimen non daret, niſi à Judâ proderetur.
Sed vinculis repente exutus,
Aſelli mandibula Cataphractorum cervices terit.
„ Nullum enim vile telum in virili manu.
Quin eadem clava gemino clara miraculo,
Vincenti telum, victori fontem miniſtrat;
Saniem emaculatura quam fuderat.
Nimis felix jam Samſon, niſi ſuæ Gloriæ ſuperfuiſſet.
Sed tantam famam libidines infamarunt.
Et hic labor Herculeis adnumeretur.
Gazeæ Meritriculæ amplexibus illaqueatus,
Phili-

Philiſtinis deſtinatur ad prædam.
Monocerotem diceres, Puellæ in gremio captum, ſed impuræ,
At exitu inopinato declinavit exitium,
Urbis compagibus felici niſu revulſis.
Portarum fores foras portavit.
Sic Sirenum præſtigias ſemper effugiat.
Quæ vorant quos vocant.
Sed amoris impotens, labores mutat, non vitat.
Tertiam Omphalem amavit Dalilam.
Alcide fortior dum toties vincit,
Effœminatior dum toties ancillatur.
Mulierculæ igitur fidem auro decolorant Philiſtini;
Exploraturi unde vinci poſſit amaſius:
Atq; , ut Martem capiant, Venerem captant.
Hic procaces hoſtilis Amicæ rogatus eludens,
Nervos, rudentes, trabalem clavum diffringit:
Semper captus, & liber.
Sed ſagaciſſimus Quæſitor eſt Fœmina,
Blande torquendo verum extorquet.
Tergiverſari difficile eſt,
Cum Apparitor Cupido faces admovet.
Hem ſæpe decipiens, ſæpius deceptus,
Ne ſuos amores contriſtet, Virtutem comis implicitam prodit.
Secto igitur per fraudem capillo, robur avolat;
Et qui Leones ſtraverat, Lupa ſternitur.
Coortis undique inſidiis, enervis in nervum mittitur.
Et oculis orbatur, quos in aliena fronte perdiderat.
Sic ex Alcide Oedipus fruges terendo conteritur;
Hoc tantum felix, quod ſe miſerum non vidit.
Rediit tandem ad Samſonem virtus, cum Samſon ad Numen;
Crevitq; mens cum capillo.
In Veneris Templo Cyclopem ludere juſſus, nec larvâ egens.
Labefactis columnis Templum impellit;
Et ſpectaculum perimit Spectatores.
Sic ſua inter Trophæa moritur Samſon;
Odiis felicior quam amoribus.

Hoc

Hoc tamen egregi,
Quod Veneris idolum moriendo comminuit!
Eamq; perdit qua perditur:
Cujus inſidias vidit cum oculis caruit.
Tu ne ſerò videas,
Samſonem vide, ac perge.

BOOZ
SALMÆ FILIUS.
OBED BOOZI FILIUS.
MYSTERIUM.

Booz Cananitide Raabâ ſatus,
Moabitidem duxit Rutham.
O Myſteria!
Mirum quod ex Meritoria caſtiſſimus naſcitur;
Et pauperculam ducit æratus.
Magis mirum,
Quod legis peritiſſimus legem violat.
Nam cum divinis tabulis cautum ſit,
De alienigenis naſci Hebræos,
Ne de profanis naſcantur ſancti:
Hic uxoriam obſcuritatem ex materna continuans,
Alienigenæ Filius & Conjux,
Contra legem genitus, genuit contra legem.
Quodq; fas omne ſuperat:
Nefaſtus uterq; Hymenæus
Per avitos Maſſiæ faſtos ſerpit:
Et infelicium tedarum fumo tantam nobilitatem denigrat.
O Myſteria!
Quot involucris divina conduntur!
Callidus legis interpres Booz,
Legislatoris ingenium aſſequitur, dum à lege recedit.
Erit cum Cœleſtis aliquis naſcatur Booz,
Ex Meretriculâ Synagoga.
Qui alienigenæ nubat Eccleſiæ.
Illam Raabam, hanc Rutham meritò voces.
Hanc igitur Sponſam luto perlitam diluet:
Fame enectam, ſacris frugibus alet:
Ad pedes jacentem, in Regni ſolio collocabit,

Men-

Mendicam dotabit, ditabit.
Hæc effœto Conjugi Obedum gignet:
Gaudente Noemâ, congaudente vicinia.
Expirante nimirum Chriſto vivet Chriſtianum Genus,
Cœlitum voluptas, Divinitatis Deliciæ.
O Myſteria!
Hæc in arcanis habe Viator, ac perge.

GEDEON
JOSEPHI NEPOS.
ARGUMENTUM.

Quid inani cytharæ aucupio aures illigas Orpheu?
Ex Hebro ad Hebræos diverte:
Altius Hymni Argumentum dabit invictus Gedeon,
Tibi coævus.
Hoc cautu, non aerias, ſed empyreas aves morabere.
Magnas Viri virtutes pange, poſt magna vitia.
Optimus ex contrario concentus.
Strophen dabit Gedeonis ignavia.
Nam pridem vecors, trementia vexilla tremuit:
Et cum hoſtilibus telis certavit fugâ,
Addita ſignitiæ impietas.
Male audiit quod Deum non audiit.
Nam Victoriam ſpondenti Numini,
Fidem negat, niſi majora fide prodigia videat,
Ergo flamma & imber ad Gedeonem legantur!
Utroq; dignum Nuncio Auditorem,
Qui divino minus ori, quam ſuis oculis credit.
Poſthæc dedecora;
Antiſtrophen ex virtutibus verte:
Plaudente ſibi Providentia, cum hæc illis mutat.
Cane ut divinæ vi vocis contra Madianitas egreditur.
Quos à Moſe deletos,
Unde vixerint neſcias, niſi à ſuis tumulis:
„Adeo mala gramina numquam bene pereunt,
Hic ex trepido intrepidus,
Univerſos jam provocat. qui ſingulos formidabat,
Itaq; ex Sacerdote Miles,

Dei cultor, mox ultor;
Cultrum ſanctè, gladium fortiter, vibrans,
Mortuam pietatem impiorum mortibus ſuſcitavit.
Verſo jam nomine Jerobaal,
Adorato Dæmoni fucum fecit.
Nec ſimules quam exiguâ manu tot capita ſparſerit.
Centum & triginta Madianitarum millibus
Trecentos objecit, ſed viros:
Ne ignaviæ fugam augeret, numerus diſciplinam minueret.
Militum virtutem aquando exploravit:
His ſelectis,
Qui fluvium manu legunt, non proni lingunt.
Nam lingua fidentiores quam manu, arceantur Bello.
Hos tubis armatos in aciem ducit:
Tam Deo fidens, ut victoriam canat, dum pugnat,
Tum face, & gladio armatos producit.
„Nam virtus in exemplum poſita, micat dum dimicat,
Terrentur ſtolato agmine Madianitæ,
Certis velut exequiis;
Gladio cædem, face funus ominante.
Ita lymphatis terrore, & errore animis,
Ceu Cadmæi Terrigenæ inter ſe gladios tranſfigunt;
Et mutuatis moribus cadunt.
„ Malorum enim concordia in diſcordiam deſinit.
Hic victoriam premens,
Hac illac fugat quos fugerat,
Reges duos lictorum ſecuribus ſubjicit.
Quos puerilem gladium indignantes, dignatur ſuo,
Glorioſus planè victor,
Qui Reges necando, ſuperbos facit.
Nemine ſuorum amiſſo, neminem hoſtium ſervavit.
Stirpitùs vellendi erant impij.
Numquam enim alij niores fuiſſent, niſi alij Homines.
Hoc ergo vindice verè pereunt Madianitæ:
Nullumq; ſtante Gedeone Idolum ſtetit.
Lætam hanc Antiſtrophen lugubre excipiat Epos:
Nam tot inter palmas,
Unum ſupra ſeptuaginta ſuſcepit Liberos,
Magis felix, ſi non minus fœcundus.
Unus nimirum Abimelech,

Ut Patriam proderet, Fratres perdidit:
Paternumq; ſceptrum regit cum rapuit.
Sic bonis inviſus,
Paternæ memoriæ invidiam fecit.
Heu miſeræ Patris laudes natorum notis,
Hic hilares modos ſuſpirio rumpe.
„ Humanarum rerum ſtilus eſt,
„ Læta triſtibus finire.

JEPHTES
JOSEPHI NEPOS.
MONIMENTUM.

Lege Viator, ac luge.
Miſeranda memoria hanc Aram complectitur,
Jephtes Galaadita,
Invito Deo ſatus, adultero nimirum thalamo:
Contra leges natus, nullis legibus vixit.
Fratrum convictu depulſus, latronibus convixit.
Tanto profectu, ut latronum Princeps evaſerit.
Quippe in vitiorum ſchola, brevi ſuperatur Magiſter.
Ære ſuo levis, ære alieno graves acceſsit;
Qui ne ſolvant, rapiunt; & peccant, ne pœnas luant.
Ferocem Juvenem flammavit temeritas;
Non tam præda, quam prædandi periculis læta.
Ammonitarum armis Galaaditas prementibus,
Ad profugum Jephte confugit Patria.
Et de more vulgi, utroq; immodici,
Regem flagitant, quem noluerant Civem.
Exuerat is Patriæ amorem, non Filiæ:
Quæ unica, tota erat Domus.
Huic dotalem gloriam cumulaturus,
Totam belli molem ad ſe recepit;
Regiam infulam pactus ſub pugnam:
Quo linteo nullum melius bellico ſudori tergendo.
Ita bellum ſine Regno ſubiit, ut Regnum ſubiret ſine bello.
Pium igitur purumq; duellum voto auſpicaturus;
Quicquid reverſo primum occurrat,

Pro victoriali piaculo huic Aræ ſpondet.
Heu pietatis improvidæ ſimplex impietas!
Hoſtiam magis horrebit, quam Hoſtem.
Ergò ſive ira, ſive indulgentiæ Numinis, vicit.
Ammonitas nec paci, nec bello paratos, momento expugnavit.
Urbes viginti ſimul obſidere cœpit, & cepit.
Longos victori gemitus feſtinante victoriâ.
Jam Patriæ redonatus, & voti reus,
Nil ante Filiam pro foribus vidit,
Geſtientibus Puellarum choris prægeſtientem.
Ah quæſtuoſam morti lætitiam!
Hunc illi victoriæ finem hoſtes voviſſent.
Tum nivali oſculo Natæ libato,
Ceu ſupremum ſpiritum ore legeret;
Vicimus (inquit) Filia: nimio victoriam mercati!
Tuo nempe ſanguine.
Illa non vitam rogare, ſed ſpatium:
Nam mori mollius fit morâ.
Bimeſtri ergo ejulatu in ſurdas cautes eliſo,
Quo, ſibi Præfica, ſuas anticipiat nænias,
Huic ſe demum Aræ votivam ſiſtit.
Æquè imprudens obſequio Puella, & imperio Pater:
Niſi Pontificis ignorantia, utriusq; culpam minueret.
Aſtat jam cum intrepidâ Hoſtiâ
Trepidus Sacerdos Pater.
Nam dolorem hic premendo auxerat,
Illa plorando conſumpſerat.
Jam, ne quid non ritè fiat, linguis favetur,
Hærent in Virginis vultu Juvenum vultus:
„Nam deſperata pulchritudo acrius movet;
„Et Solis inſtar major videtur cum cadit.
Cœlum ſpectat ſpectata Puella:
Cujus lacrymas aſtantium oculi ſpargunt.
Jam neci devotam componens Genitor,
Ferro jugulum invictæ Martyris delibat:
Et ſemianimis ſuper exanimem cadit.
Vorant Virgineum corpus mundiſſimæ flammæ;
Cœloq; inferunt, quo feruntur
Cætera ſanctè ritèq; peracta;

Niſi

Niſi canentium numeros innumeri gemitus fregiſſent.
Hunc bello finem impoſuit
Nimis liberalis prædo, Sanctus Jephtes,
Pugnare doctior quam vovere.
At trepidæ Virgines, ne ſimili Patrum voto illigarentur,
Aram hanc immortalibus literis inſcriptam
Annuo ejulatu circumlatrant.
Grajæ etiam Muſæ, quia Virgines,
Pacti Invidiam
In Agamemnonem Coætaneum rejecerant.

JESSE
OBEDI FILIUS.
CLAUSULA.

Agmen claudet invictiſſimus Iſai:
Ducum palmes, & Regum radix.
Avitam bellicæ præfecturæ virgam
Sudoribus ita rigavit,
Ut cædendis ſceptris ſylveſceret.
Bethlehemi Patricius,
Patriam fecit Deo dignam.
Primævus in Philiſtinos gladium acuit,
Quos uti cotem virtutis reliquerat Deus.
„ Nam arma bello, milites pace franguntur:
„ Et hoſte mortuo, pugnant ſodales.
Sacræ militiæ authoratus,
Pro Sanctuario Sanctus bellavit.
Quod vel amiſſum, in ejus pectore inveniſſes.
Miles fuit ſine militum vitiis;
Qui victoriæ Cupidi, à Cupidine victi,
Fœdiores referunt plagas quam inferant.
Emeritus, conſilio pugnavit,
Utilius enim reguntur bella, quam geruntur.
Cum pro galea canicies eſt.
Ubi telis nil amplius valuit,
Filios pro telis in hoſtes miſit,

Qui tergiminas manus Patri ſuffecêre;
Et tricorporis inſtar Gerionis,
In triplici corpore, ter unus pugnavit;
Atque ſedendo vicit.
Quæris quâ virtute natos habuerit:
Natu minimus, Gigantum maximum vicit.
Quæris quâ ſpecie?
Deſpectior, imperio dignus eſt viſus.
Hæc tanta felicitas
Jeſſeum pectus impetu ingreſſa,
Animam expulit.
O Mortalium voluptas nocens!
Hæc cogita Viator:
Et ſedens interjunge.

MUNDI

VIRILITAS.

REGES.

DAVID
JESSE FILIUS.

Chriſti linea.

Salomo.

Ex Ioſepho Robeam. *Ex Iuda,*

Samuel Abias. *Suſanna.*

Aſa.

Joſaphat.

Joram.

Ochozia.

Joas.

Amaſia.

Ozias.

Joathan.

Achas.

Ezechia.

Manaſſes.

Amon.

Joſia.

Eliacim. *Ioachas.* *Sedecia.*

Jechonia.

DAVID
JESSE FILIUS.
ADINATON.

A Ducibus ad Reges venio.
Crudam Mundi juventutem maturuiſſe indicat purpura.
Coacervatæ tamen cum dignitatibus curæ;
„ Ubi enim curæ niſi in curia?
Solem circumnectens corona nimbos minatur.
Coronatorum primum ſpectabis Davidem:
Omnium feliciſſimum & miſerrimum.
Felicitatis hoc habuit maximum, quod ex minimo crevit.
Hoc ipſo miſerrimus, quòd ingentes ærumnæ invenere felicem,
Jugulatores paterni gregis leones infans jugulat
Ipſo infelix triumpho.
Nam citra infantiæ ludicra, dura exorditur à teneris.
In prætextâ chlamydi candidatur.
Hoc ipſo non invidendus, quia præmaturè invidendus.
Carneum Philiſtinorum propugnaculum Goliam ſternens,
Unico lapide Rempublicam fundat.
Sed victoriam potitus, non præmium,
Plus odij lucratur quam gloriæ:
Et optimo inter aulicos argumento, diſplicuit.
Entheatum Saulem cythara mulcet;
Utroq; Arcu felix, ſeu fila impellat, ſeu tela.
Sed Erynnes irritat dum temperat.
Nam lirâ ludens, haſtâ pene confoſſus,
Ineluctabiles gemitus à cantu exorditur.
Inter Getheos aulicos recipitur profugus,
Sed Regi carus, non Satrapis.
Ut inſanos fugiat cogitur inſanire.
Jam Regali conjugio ſuperbit Opilio:
Sed Philiſtinorum præputiis empto, Pronubam habuit Libitinam.
Judæ & Iſraelis Diadema,
Ex gemino unum, ſuo capiti implicuit:
Sed Saulis ac Filij ſanguine gemmatum.
Quos ardentiſſimos hoſtes ardentiſſimè amans,
Vivos fugit, mortuos deflet;

E 5 Mœſtus

Mœſtus ne vincat, & quia vicit.
Sic mutuis vulneribus, ſanguinem victi, victos lacrymas fundit.
Omnium hoſtium vidit funera;
Quo vel ipſe, vel Deus, vel ipſi ſe, confecere:
Sed plura ſuorum vidit,
Triduanâ peſte, trienni fame, perenni bello,
Ut flebile lucrum fuerit, amiſſis civibus urbes capere,
Reges omnes finitimos aut ferro vinxit, aut fœdere.
Sed externis liber, inteſtinis obnoxius:
Æque infelici Marte, ſive vincat, ſive vincatur.
Pacem peperit tandem: ſed bello pejorem.
Nam pondere armorum liber, amorum vinculis captus
Cupidinis Matri mancipium datur.
Tum ex adultero homicida.
Raptâ Conjuge, Maritum ſuſtulit.
Multiplici conjugio lætus, non Filiis:
Quorum alter Sororis ſtupro, alter Novercæ inceſtu
Bis infelicem fecere Patrem.
Tum diriore ultione quam crimine,
Stupratorem inceſtificus vetante patre necat; dolente necatur.
Ut neſcias flebilior ne Patri contigerit injuria, an vindicta.
In ornatam Hieroſolymam capit, captam ornat.
Ut miſerrimæ Urbi ſalubrius nihil contigerit, quam vinci.
Sed Sanctuario Urbi donato
Templum Sanctuario donare cavetur,
Cruentæ dextræ munus horrente Numine.
Ut Davidis victoriæ eidem exoſæ fuerint à quo imperatæ.
Tandem ſeptuagenario major exceſſit,
Sed clarior ſi citius.
Nam frigidus, imbellis, attritus;
Quaſi ex illo Davide nihil retinuerit David;
Imperium ſenex depoſuit, quod meruit infans.
Et infante invalidior, decenni filio ſceptrum commiſit.
Hoc uno feliciſſimus eſſe poterat,
Quod hominum ſtrenuiſſimus,
Hominum ſapientiſſimum genuit:
Niſi quod præviſa Filij nequitia morientem mori coegit.

Heu

Hem qualem in Purpurâ felicitatem ſperes,
Si Principum feliciſſimus, miſerrimus fuit.
„ Quamquam hæc Regum conditio eſt,
„Felices facere, non eſſe felices.

SAMUEL
EX JOSEPHO.
EPITHETA.

Qui hic conditur,
Uno ſignari nomine non poteſt.
Aliud ſemper nomen meruit.
Mœroris Filius, lætitiæ Parens vocetur.
Nam Novercæ æmulatione Matrem habuit,
Lacrymarum clepſydrâ moras notantem.
Speratus cum deſperandus,
Sterilem habuit Matrem.
Tantæ animæ deſperabat Natura æquare corpus,
Conceptu acerbus, virtute maturus,
Ipſo illatebratus utero ſanctitate luſtratur.
Ut divino ſpiritu prius reſpiraſſit, quam ſuo.
Faſciis liber, voto adſtrictus.
Nazareorum miniſteria Templo circumdat:
Officiis cum Deo, certante Matre;
Quæ in Templo impetratum, Templo deſpondet;
Et liberum Deo reddidit ſervum.
Obſequio cæcus, monitis oculatus,
Incipit ventura profari antequam fari.
Ut uni Samueli nihil inopinum contigerit:
Nec Prophetam mireris ex Prophetide natum.
Fervore cadens, innocentia candidus,
Circa propitiabilem Arcam excubias ducit.
Ut gemina Cherubin tertium mirarentur.
Templi cuſtos, & Dei Templum,
Divinâ conſuetudine per ſomnum fruitur.
Pontificis vocem ſimulante Deo;
Ne aliam Pontificis vocem credas, quam Dei.

Pavore vacuus, Numine plenus.
Pontificis Filiis extrema denunciat.
Qui ſacrificia libare doctiores quam litare,
Lucem noxis, noctem luxu tranſigebant.
Aſper eloquio, dulcis moribus;
Trepidum Pontificem intrepidè increpat.
Qui nimis indulgente in Filios cenſurâ,
Raptores arguens, rapinas participabat.
Præviſu verax, proviſu velox,
Cadente Pontifice, Pontificatum ſuſtinuit.
Sic dignitas Aaronitas defecit, cum digni Aaronitæ defecere,
Vincentis Præfectus, centenario ſuffectus:
Amiſſam Arcam Fœderis, renovato fœdere vindicavit;
Ducitq; pœnas pœnitentiâ vitare.
In pace pugnax, in pugnâ pacatus.
Philiſtinos quieſcendo vicit.
Nam Cœli fulmina, populi gladios invocans,
Captos perdit, perdita capit.
Æqui Iudex Iudicum æquiſſimus:
Filios ſibi ſubſtituit.
Sed populo impoſitos, ſtatim depoſuit,
Ne juſtitiæ lances auro deprimerent.
Populi Conſul, populo conſulens.
Saulem Regem creat, inter malos meliorem:
Peruncto vertice, ad medelam.
„Regius enim eſt morbus ſuperbiæ tumor.
Zelo æſtuans, lacrymis madens,
Saulis contumaciâ ſervatum Agagum diſcerpit:
A Saule ad Davidem gregis regimen transfert,
„ Nam timendi ſunt Reges, qui Deum non timent.
Omnium deniq; laudem compendium eſto,
Quod omnium laudum compendium fuit.
Itaq; ne Virtutis oſores amet, tandem moritur.
Nec obtinet votum.
Nam Pythoniſſæ incantionibus fretus Saul,
Eâdem pravitate mortuum quærit Samuelem,
Quâ vivum oderat.
Scilicet virtutem ſequentem fugimus, fugientem ſequimur.
Sed evocatus è tumulo Samuel,
Saulem ad tumulum devocat:

Et

Et umbrâ territum ad umbras rapit.
Sic ſuis inventis obeunt curioſi.
Samuel igitur,
Bis ut vivat, ſemel moritur.
Semel ut quieſcat, bis moritur.
Tu ne quieſcenti obſtrepas,
Tace viator, ac perge.

SALOMO
DAVIDIS FILIUS.

SCYLLA.

Triforme hoc Monſtrum,
Humano capite, fœmineo pectore, ferinâ caudâ,
Scyllam putas? falleris:
Salomo eſt;
Hoc Puero nemo ſapientior.
Unus mortalium omnia ſcivit, nihil didicit.
Venit ad Juvenem prudentia, quæ Juvenes fugit:
Sui ſecura apud pudicum,
Cui candor pro canicie.
Quod magis mirere, ad dormientem venit:
Muſarum ductore ſomno, qui Muſas fugat;
Itaq; per occluſas fores, oculos, ingreſſa eſt ſapientia;
Vel hoc indicio cœleſtis.
Nec venit indotata:
Sceptro manum porrexit Salomo cum cæteri ferulæ.
Ut dubites uter utri plus contulerit:
Nam per Sapientiam regnavit Puer, per Puerum Sapientia.
Prima imperantis cura fuit Patris ſepulcrum:
Tanta magnificentiâ, ut Patrem æternaverit tumulando;
Errant nimirum qui, ne degeneres arguantur,
Parentis famam extinguunt.
„Non extinguitur fama, cum deſiderantur extincti.
Eadem pietate
Mortem patrio teſtamento legatam Joabo dedit.
Optimum novi Principatus fundamentum ex talium ruina:
Qualis enim Populus, ſi peſſimi optimates?

Ex

Ex Rege Sacerdos, Templum dicavit,
Mundum voces, non Templum;
Spatiis tripertitum, plagis quadrifidum:
Annis totidem, quot Mundus ſolibus abſolutum,
Meritò igitur undecumque delatæ opes;
Ut Mundum Mundus ornaret.
Hinc à divinis ad civilia; uti decet.
Urbem mœnibus, Regnum urbibus ſtipat:
Ut populum cohibeat, quem auxerat pace.
Regiam & tribunal, gemmâ & oſtro conſternit:
Ne venalis ſperetur juſtitia, quæ opes calcat.
Atque ut profugam revocet Aſtræam,
Aureos mores in aureâ domo reſtituit.
Nuſquam lautius Sapientia ſedit,
Qua interprete implicitas lites momento explicuit.
Illam præcipuè, de ſuperſtite Infante.
Qui cum duas inter Matres, nullam Matrem haberet,
Utrique mori juſſus, ut neutri cederet.
Amore indice Matrem invenit.
Eâdem Dictatrice Sapientiâ, Divina ſcripſit Oracula,
Cum quicquid diceret, Oraculum eſſet,
Hæc Regiæ fama Sapientiæ, Reginarum ſcitiſſimam traxit:
Quæ majorem famâ, Regem mirata,
Plura didicit quam quæſierit;
Plura retulit, quam obtulerit:
Nam Salomonem alterum in utero retulit.
Sed heu, quid Mortalibus tutum?
Tantum ingenium marcuit, cum maturuit.
Ut neſcias utrum magis mirere.
Senium in Infante, an infantiam in Sene.
Tantæ cauſa dementiæ, libido.
Nec mirum, ex Berſabæa nato.
Septingentis conjugiis, trecentos concubinatus,
Innumerabilia ſtupra, conjunxit.
Amavit quotquot vidit;
Voluit quotquot amavit, habuit quotquot voluit.
Stupente naturâ,
Quod fœminis omnibus unus ſufficeret, non uni omnes.
Sic effœminatus Salomo Sapientiam amiſit.

Vene-

Veneris perfidiâ; quæ in alios non mitior, quam in Filium;
Amantes excæcat, ut Amorem.
Hinc Aſmodæi quam Dei legibus obſequentior,
Suorum Idolorum Idola coluit;
Et Venerem veneratur venereus.
Ut non immeritò Venerem vocarint Luciferum,
Cum alter colatur in altero.
Sequuta, ut ſolet, luxuriem feritas:
„Nam nimia liberalitas rapinis alitur.
Ergo, Regni opibus in gynæceo profligatis,
Per graviſſima tributa amicos nudat, ut amicas ornet.
Quin per magicas artes aurum ſcrutatus,
Feralis Æruſcator, vectigales Dæmonas facit;
Et Plutum quærit apud Plutonem.
Tot inter flagitia pacem amiſit pacificus:
Salomo, non jam Salomo.
Bellante Idumæo, latronum duce.
Rebellante Jeroboamo tributorum quæſtore;
Per Mammonæ miniſtros, Mammonæ cultor affligitur:
Donec divino Numine afflatus Achias
Suum pallium, & Salomonis Regnum, diviſit.
Sic obiit inſanus Sapiens;
Hebræorum decus & dedecus.
Inops inter opes, ſterilis inter conjugia,
Unico de tot thalamis ſuſcepto Filio.
Nam nihil Veneri nocentius, quam Venus,
Primus è Chriſti Proavis Stygem coluit;
Et primus intravit.
In dubio argumento: nam Idola poſuit, non ſuſtulit;
Et flenda leguntur, non fletus.
O ſaga Puellarum forma,
Quæ inſanire Sapientiam facit,
Et Hominem vertit in Scyllam.
Oh, ſi ſapitis, hanc Scyllam fugite.

ROBOAM
SALOMONIS FILIUS.

PA-

PARALLELA.

Inſano inſanus ſuccedit natus;
Natus ex nondum inſano.
„ Mala exempla natalibus prævalent.
Uterque Regnum ſuſcepit;
Ille annis tantum, hic tantum ingenio puer.
Sed juvenis Salomo ſenes audiit;
Senex Roboam juvenes audiit:
Sero erudiendus periculo,
„ Juvenili Senatu Regna ſeneſcere.
Pari libidine uxoria dedicant Idola:
Sed ille Venerem, hic Priapum;
Effœminatus virilem.
Cujus Sacerdotio perfuncta Conjux, amat quod colit:
Tali Numini melior victima, quam Sacerdos.
Pari amentia Conjugum gregem paſcunt.
Sed ille majorem, quia ditior;
Nam ſine Mammona furit Aſmodæus.
Pari levitate populum tributis gravant.
Sed ille mollius, hic durius.
Nam rapacitati additis convitiis
Bis fera, ungui nocuit, & lingua.
Pari in utrumque ſeditione, conſpirat populus ut reſpiret.
Sed ille turbas placavit, hic placando turbavit.
Nam Aduram tributis Præfectum,
Mulcendo cœtui delegat, quem mulgendo cenſui delegerat:
Qui magnetica eadem facundia,
Lapides trahit, qua aurum traxerat.
Uterq, flevit Regni ſchiſma:
Sed ille adumbratum, hic verum.
Nam diviſo cum Religione Principatu,
Roboamo Judaicus, Jeroboamo Iſraeliticus ceſſit;
„ Nihil enim citius Regna ſecat, quam ſecta.
Pari fato externos irritant Reges.
Sed ille procumbit, hic ſuccumbit.
Nam Ægyptius Pharao Seſoſtris,
Roboamum libertate, auro Templum nudavit.
Adeò inteſtina diſſidia, finitimorum ſunt lucra.
Pari affectatione Templum ornant, non colunt.
Sed ille aureis, hic æneis donis;
Ut ex diſpari ærario noſceret,

Quam

Quam citò ſæculi metallum degeneret.
Paria igitur vitia par ſequitur pœna.
Cupidinis enim flammis ad Tartari flumina acti
Alternis ſe ignibus cruciant.
Lite dubiâ, uter inſanior
Qui ſapuit aliquando, an qui nunquam.

ABIAS
ROBOAMI FILIUS.
EDICTUM.

Adeſte Cives, Advenæ, Convenæque.
Quod Abias Roboami & Maacæ Filius,
Paternam impietatem,& maternam libidinem retinuit:
Quòd ex malis malos geniturus;
Omnium mulierum vir,omnium virorum mulierem duxit,
More ut nomine Matri ſimilem:
Quòd ultimis ceris ſcriptus hæres,
Secluſo primogenito; nihilo melior evaſit;
Et legum vindex, vivit ſine lege:
Quòd veræ Religionis ſuaſor,non ſectator;
Et fari promptiot quam facere,
Non percepit quæ præcepit:
Quod juſtiore ferro, quam mente,
De perduelli Jeroboamo Victoriam naviter potitus,
Ignaviter eſt uſus;
Et quingentis millibus Iſraelitarum cælitùs necatis;
Idololatras conterere maluit, quam Idola:
Quot Bethel, & Sichem ſchiſmaticas Urbes
Triumphator ingreſſus;
Fanorum aurum, non profanorum aras ſuſtulit;
Et prædata captivarum pudicitiâ;
Urbem luſtris implevit; non luſtravit.
Quòd partâ libertate
Bis-fenis connubiis ſtatim mancipatus;
Gynæceo citius quam Templo receptus;
Manubiis Sanctuario debitis thalamos cumulavit:
Deniq; quòd octo ſupra triginta liberis undecunq; genitis,
Paterna vitia pro patrimonio reliquit:

Hunc Hominem ingratiſſimum, impuriſſimum;
Initio Regni, vitæ medio, nequitiæ ſummo,
Lare & laurea privandum,
Vita & Vitta ſpoliandum,
Stygio ergaſtulo mancipandum;
Et Manium manibus, quos adoravit, adurendum;
SEN. POP. Q. CÆLESTIS
Atris calculis
Cenſet, Pronunciat, Jubet.

ASA
ABIÆ FILIUS.
ROGUS.

Projice odores in hanc flammam, Viator.
Aſa Rex Juda,
Primus Regale funus rogali luce radiatum,
Afflatumq; pigmentis, cupiit: nec immeritò.
Principum Phœnici tales debebantur exequiæ.
Hic Atavi Filius, non Patris,
Videntem audiens Azariam, Religionem reſtituit.
Optimus Patriæ Pater,
Matrem Priapejorum Antiſtitam Regno abdicavit.
„ Malorum enim principium ſunt mali Principes.
Maſcula Venere effœminatos,
Qui ſubterraneo abſtruſi delubro
Brutam libidinem in Brutorum ſpecubus exercebant,
Terra eductos igni tradidit: hac tantum dignos luce.
Nam Conſcientia Judice, mortem morentur,
Qui ſe tumulant, ut peccent, & pœnas de compendio pe-
tituri,
Latebras quærunt Inferis propiores,
Majore prodigio Priapum in Cedronem demerſit;
Qui ſubita gliſcente flamma à torrente ipſo torretur.
Diceres Virgineum Chriſti pedem libaturas lymphas,
Ob impuræ imaginis attactum, igne luſtrari:
Dubito, aquis ne uratur Idolum, an aquas urat.
Minimè novo miraculo:
Cum Venus flamma ſit, aquis nata;

Et inter lacrymas ardeant amantes.
Diro certè ſpectaculo,
Terrentur Idololatræ dum torretur Idolum;
Et in flamma naufragium facit.
Vera igitur nominis nota Medicus appellatur,
Quod languentem populum ſanaverit.
„Magna enim vulgi cenſura eſt Regis virtus.
Tantæ virtutis honorarium retulit, victoriam & pacem.
Immò in pace victoriam,
Nam decies centena Æthiopum millia,
Certum ſibi funus de colore ominata,
Panicis terroribus divinitùs incuſſis,
Spernendo potius quam ſternendo diſflavit.
Volvuntur humi nigra corpora, ceu torres ſanguine extincti,
Fugiunt ad Orci flammas fuliginoſæ jam animæ,
Ac Furiis ſimiles ſibi advenas ſtupentibus,
Tartari tenebræ geminantur.
Sub alterum pacis decennium
Aſæ Baaſa, ut Roboamo Jeroboam fatalis hoſtis,
Victoriæ materiam inruit verius quam bellum.
Quin aſportatis hoſticæ Ramæ ruderibus,
Gabaam & Maſpham, Regni propugnacula, exaggeravit.
Iraq; inverſam triumphi ſpeciem vidiſſes,
Hoſtes dirui, mœnia duci captiva.
Nec omni tamen labe caruit: Davidis genus erat.
Nam omnia Ethnicorum emaculavit cunabula,
Præter excelſa Fana,
Montibus ingenió altioribus nixa.
„Ut intelligant Principes
„Quanto periculo arces Hæreticis indulgeant,
„Cum tela vix evolent quo impietas repit.
Iſraelem oppugnaturus, divina humanis auxilia poſt habuit,
Aſſyriorum fœdus toto ærario paciſcens,
Ab infidelibus fidem emit.
Prophetam indigno fœderi reluctantem nervis præpediit:
Cives prophetæ faventes gladio addixit.
„Adeò intutum Reges carpere, vel optimos.
Æqua igitur talione,
Trienni podagræ, felleæ bilis filiæ, cruciandus traditur;
Et qui Vatum pedes nervis arctaverat, pedū nervis arctatur.

At de crimine pœnam traxit, de pœna crimen.
Ad nobilem illam peſtem, medicis fortiorem,
Medicorum manus implorat, non Dei.
Ipſo ridendus nomine, dum Medicus eget medico,
Denique lectum pro equuleo nactus,
Membrifragâ torquente podagrâ, erratorum ſummam fatetur.
Reſumptaq; virtute redivivus,
Odoratum hunc Rogum ſibi vivus compoſuit;
Ut Empyreum prælibaret in flammâ.
„Nam Virtus non fragrat niſi flagrat.

JOSAPHAT
ASÆ FILIUS.

MINÆ.

Veh tibi, Viator,
Si quid tibi conſcius, cenſorium hoc Solum calcas.
Inexorabilis Arbiter Joſaphatus hac in valle jus dicit.
Cui tanta veritas, ut nihil ignoſcat,
Integritatis teſtem do zelum,
Quo à ſtirpe revulſas effœminatorum reliquias excoxit,
Divini Juris interpres
Legis tabulas in omnium pectora tranſcripſit è ſuo,
Meritò lapideas; ut lapidem rogent, qui lapidem violant.
Inſpectores utriq; Foro conſtituit Æaco ſimiles:
Peccanti attentos, non precanti.
Quibus tam leve aurum, ut recti lances non flectat:
Tam recte ferrum, ut à recto deflectentes proterat.
„Civium quippe ſecuritas eſt ſecuris,
Damnandi rigorem æquavit plectendi vigor.
Nam conſcriptis familiatim bellatoribus,
Regno arces, arcibus præſidiarios,
Præſidiariis præfectos impoſuit.
Ut omni aditu gladiis obſtructo
Fugere cum nequeant ſceleſti, ſcelera fugiantur.
Nec armis opus;
Si adſpectu Galaaditas vicit, Moabitas cantu.

Nam

Nam Hebræis modulantibus, in furorem acti hoſtes,
Inter ſe digladiantur.
Paribusq; momentis illi canunt, iſti cadunt:
Chordarum concordiâ cordium diſcordiam proritante.
Riſit Mors muſica tot Andabatarum paria,
Sono occæcata, ad numeros cadere,
Horruit Mars amuſicus arcum nervos lyræ nervis eludi:
Et lyram inter arma numerari, ut inter aſtra.
Heu duræ minæ!
Quid faciet Judex, ſi ſævit Cytharedus?
Veniet ſuuma dies, die carens, cum Apparitor Angelus
Omnes antiſtare jubeat hoc Forum, cui omnia liquent.
Quod vadimonium nec favor excuſabit nec lacrymæ;
Ne Mors quidem.
Nam rupta tellure, ſolutis Mundi compagibus.
Mors ipſa jure petitura, quod bona fide poſſidet,
Abſorptos evomet, ut reſorbeat.
Aderit Adraſteæ miniſtra Erynnis,
Carnifex nimirum flamma;
Quæ luce eâdem ſcrutatur impios, & comburat:
Ac nequid inultum lateat, nil inuſtum relinquet.
„Metue ſceleſte non cunctaturum Judicem.
Plus metue cunctantem.
„Diu gravida nubes damnoſius parit.

JORAM
JOSAPHATI FILIUS.
SENTENTIÆ.

Recurrit ad Joramum Atavi impietas.
„Nam in aulico freto
„Vitia fluunt, ut refluant.
Ante imperium innocens viſus.
Octennio nequiter egit, quo imperavit.
Nam innocentiæ candorem immerita cruentat purpura.
At regnum ſublatus Fratres ſuſtulit.
Nam Tyrannus ſanguinem ſitit quem timet:
Nunquam lætus niſi dum canit exequias.
Addidit crudelitati ſodalem idololatriam.
Bis de inferis optime meritus;

Quos auget, & adorat.
Quid enim colat niſi mortua, qui vivos odit?
Impietatis magiſtram audiit Conjugem.
Illam nempe Athaliam, Achabi mortalium ſceleſtiſſimi.
„Nam ſæpè impietas eſt dotalis.
Uxorio exemplo citius raptus quam patrio,
Maſcula thura effœminavit.
Nam efficaciſſima ſuadendi oracula ſunt oſcula.
Ad inania pavidus, Heliæ minas non pavet.
Nam perituri Tyranni argumentum eſt
In ſecuris metus, in metuendis ſecuritas.
Vero igitur eventu Judæam prædantur Arabes,
„Nam Regum delicta Regnum luit.
Infelix populi conditio,
Quia præmitur a Tyranno, Barbaris tradi;
Et deſperire, quia perit.
Regiæ conjuges raptæ, Filii trucidati.
Itaq; infelix cælebs & orbus,
Conjugum lecto, natorum letho funeſtatus,
Flevit, à nemine fletus.
Nam populi mulſum, Tyranni lacrymæ.
Sic acerbiſſimæ morti ſervatus,
Animam cum viſceribus ponè regeſſit.
Ut intelligas quo loco mentem habeant ignavi.
Rogo demum caruit, non tumulo.
Hoc etiam præpoſterè:
Quod igne fraudatus quem meruit,
Tertiam impetravit quam terruit;
„Nam Tyranno maxima pœnarum eſt,
„Poſt obitum non lucere.

OCHOZIA
JORAMI FILIUS.
JOAS OCHOZIÆ FILIUS.
AMASIA JOASI FILIUS.
SAXIFRAGIUM.

Tres haſce ſtatuas,
Inter Chriſti Proavos pridem collocatas,

Mate-

Matthæus fregit dum tacuit.
Execratum Achabum Matris Patrem
Reſpicit hæc vindicta;
Cujus Nepotes ad tertium uſque diris voverat Vates,
Itaq; ne Chriſti Majores Achabi Minoribus miſcerentur,
Nepos, Pronepos, Abnepos
De ſacro Stemmate exulantes,
Nomine carent, & effigie.
His alia vita, non alia vitia:
Primus primâ, medius mediâ, ultimus ultimâ
Ætate defecit:
,,Ut ſcias, animi eſſe crimina, non pili,
Omnes imminentem pueritiæ fugerunt gladium:
Primus hoſtilem, alter maternum, tertius ſervilem.
Parcente falce, donec ſcelera matureſcerent.
Omnes laude indigni, digna laude incepere:
Nam vana ſimulacra,
Primus diu non coluit, ultimus coli vetuit,
Medius colentes occidit.
Omnes ad volutabrum reverſi, Idola reſtituunt:
Hoſtilia primus, aulica ſecundus, paterna tertius,
Omnes monitoribus aſperi:
Primus Heliam non arridentem deridet;
Tertius minanti Eſaiæ mortem minatur;
Medius Zachariam lapidum cultus exprobantem,
Lapidibus obruit.
Omnes rem publicam perdunt:
Primus poſtulatitio fœdere;
Alter emptitia pace;
Tertius voluntario duello.
Omnes Templum dedecorant;
Quod primus deſerit, ſecundus ſpoliat, tertius ſpoliari
patitur.
Omnes conjurato ferro ignaviter ſublati.
Primus dum latet, alius dum ſtertit, tertius dum fugit.
Omnes denique mali;
Non itá ut altero pejor alter,
Sed omnes omnium peſſimi.
Omnes igitur Matthæi calamo, ut Judæo gladio, confoſſi;
Nec inter vivos, nec inter extinctos numerantur.
,,Nam quos premit oblivio, non natos puta.

OZIA
AMASÆ FILIUS.
PARAPHRASIS.

Hoc in tumulo non tumulo, jacuit non jacuit
Vivum cadaver Regis agricolæ.
Qui victor victus, Deum ſprevit dum coluit.
Et vulneratus ut convaleſceret, moriendo convaluit.
Hunc vivos fugientem, mortui timuerunt.
Reſtitas ad hunc griphum, Viator? paraphraſin cape.
Hic eſt Ozia Rex Juda;
Qui urbana vitia in ſuburbio declinavit.
Rediit ſub hoc Principe ad ſuum exordium Regia dignitas;
Nempè ad Paſtoritiam,
Hic triumphali aratro terram domuit.
Unde mira fœcunditas;
Cum trabeato Agricolæ vectigalior ſerviret tellus:
Et regiâ manu maritatæ gemmarent Carmeli vites.
Audiant Principes qui ex Urbium cinere aurum cribrant.
Veræ fodinæ ſunt ſulci:
Bobus, non hominibus graves.
Ibi vegetæ opes radices agunt.
Has humaniſſima humus ſinu promit;
Quæ Hominum altrix, & alumna.
Rivis nutrita, frugibus nutrit,
Huic uni fœnerabantur utique Reges,
„ Quibus pro loculis erant ſcrobes.
„ Nunc terram dedignantur terræ filij:
„ Nec colere modo, ſed calcare.
Nam purpurâ interpoſitâ à ſe Matrem ſecernunt;
Eandem per ſe ſi pro quâ dimicant.
Hinc Principum lubricæ opes, quia ſine radice,
Plutus à Cerere gignitur & Jaſone;
Segete, & vellere:
Utroque ſuccreſcente ſumentibus.
Rubiginem vomeri non indulſit; ſed neq; gladio.
Utraq; Martis materia, ferrum;
Utroq; modo terram ſubegit,

Phili-

Philiſtinos, Arabas, Ammonitas,
Tam facile ſub jugum miſit, quam juvencos.
Gethum, Iabriam, & Azothum, hoſtiles Urbes,
Eodem vomere quo glebas, exaravit.
Pari luſu vulpeculis tragulas, & baliſtas hoſtibus tetendit.
Eâdem arte ſegetum meſſor, & capitum.
Cereris falcem morti commodavit.
Ita ex arvis ad arma, ex armis ad arma divertens,
Oleas meſſuit, quas ipſe conſeverat.
Sed utinam ne extra ſuas oleas.
Nimirum vanidâ victoriarum diſtentus aurâ
(Qui felicium eſt morbus)
Sacerdotali ſibi jure arrogato,
Sacro thure profanus adolet.
Oh, quid agis mitrate villice?
Te aratrum decet, non ara.
Huic fumo ſucceſſit flamma; ambitioni iracundia.
Uno ſcelere bis injurius,
Cœlum thure, thuribulo Myſtas exterret.
Non dilata vero vindictâ,
Subita lepræ illuvies Regiam frontem populatur;
Et infulæ locum fædat.
Decebat talem Pontificem talis lamina,
Ut frontonis ſupercilium deprimeret.
Dicitur etiam Tellus ingenti fremitu trepidaſſe,
Exitura de centro, niſi ille de Templo.
O fluxa, Reges, gaudia!
Cum ipſum, ſupra quod ſtatis, inſtabile ſit.
Atqui cum ſua Tellure tremens Ozias,
Extemplo reſilit ex Templo.
Et Regno exauthoratus,
E vivis migrans non è vitâ,
Marcido in corpore non ſepultus, & inſepultus,
Solivagos intra penates lugendo conſenuit.
Diu expiravit vivum cadaver;
Sero moritur, jam mortuo ſimilis;
Et avito ſepulcro interdictus,
Agro tumulatur, quem coluit.
Adeò ſuperborum contactum vel Mortui pavent.

Habes griphi ſententiam,
Viator abi.

JOATHAN
OZIÆ FILIUS.
LEGATIO.

Adeſto Fama.
Ad Principes te delego,
Unico exemplo magna conſilia tranſacturam.
Joathani Regis virtutes Regibus refer,
Ut emerito Patri ſuccedens puer,
Feſſo Athlanti Alcides integer,
Ægro Parentis capiti ſuppoſuit ſuum,
Felix Genitor, qui vitâ peractâ vivens,
Succeſſoris virtutes non ſperavit, ſed ſpectavit.
Felix puer, qui paternæ frontis adſpectu, frontem remiſit,
Et humilitatis magiſtrum habuit tumorem.
Et quis credat? unum caput alterius morbo ſanatum.
Addetur Iſaiæ, Zachariæ, Oſeæ, Amoſi,
Nobilibus ſpectris admonitus.
Rectum iter inſtiterit.
„Nam veritas privatæ fortunæ bonum,
„Ad Principes non illabitur, niſi è Cœlo:
Non immeritò Jovis Filia.
Prædica, ut Numine uſus propitio,
Syriæ & Iſraelis conjuratos Reges cohibuit:
Ammonitas ſemper cæduos feliciter cecidit:
Numquam non lædente ferro, numquam læſus.
O militiàm innocentem!
Ubi ad meliores partes applicante victoriâ,
Nemini nocebant arma, niſi nocenti:
Et rectior rectiùs collimabat.
Poſt militare, civile ſtudium exaggera.
Ut ſanctæ Urbis intuta muniit, diruta erexit:
Nec molles fundavit Moles, ſed ſibi ſimiles.
Ut Dominus ex Domo, Domus ex Dominò agnoſceretur,
Turrim Ophel evexit ſupra nubes,
Regiæ mentis Idæam ſemper ſerenæ,

Portam

Portam Templi ſpecioſam,
Æris & auri ornatu, nomine dignam fecit.
Specioſam ne magis, an ſpatioſam?
Sanè totam Petri charitatem triumphali fornice excepit;
Quam recto veſtigio claudus ſequutus,
Ne torto pede ſpecioſum limen deformaret.
Narra ut hoc Principe,
Vomuit vetuſtas multo ſolidiora quæ exederat.
Ut collapſa nemo dixerit ædificia,
Sed ſponte inclinata; ut altiùs gliſcerent.
Celebra denique magnificentiam,
Quâ urbes Civibus, agreſtibus mapalia condidit.
Illas præſidio, hæc ſubſidio,
„Nam mutuis gladii, & ligonis officiis,
„Tuetur qui alitur, alitur qui tuetur.
„Et arces pereunt poſt caſas.
Poſthæc elogia altum ingemiſce,
Quod hoſtibus ferox, ſuis blandior,
Objurgandæ ſuperſtitioni linguam non habuit.
Itaque glorioſius
Delubra ſolo, quam ædificia Cœlo, æquaſſet.
Ut mirum non ſit,
Adulari populos Regibus, cum Reges populis adulentur.
Adde igitur Principibus animos;
Ut à Divinis exorſi, degeneres increpent:
Joathani ejurato exemplo.
Qui fortia faciliùs fecit, quàm dixit.

ACHAS
JOATHANI FILIUS.
HISTORIA.

Amicitias beneficiis parari qui putat,
Hiſtoriam hanc legat.
Achas ad Judæ ſolium divinitus erectus,
Omnem lapidem movit quò Deum perderet,
Nam inter ſaxeos Dæmonas diviſo cultu,
Nullum ut faceret Deum, multiplicem fecit,
Parum fuit Deum obruiſſe lapidibus,

Sum-

Eundem importuno Oeſtro vellicaturus,
Muſcam Deum fecit.
Planè ſuos inter Deos numerandus;
Puſillus, Excors, niger, moleſtus:
Mirare Divini pectoris patientiam,
Quæ injuriam peroſa non injurium, hoſtem prole auget.
Et quod optimum Dei munus, optima prole.
Hic ex beneficio maleficus,
Acceptum Filium Idolis comburit.
Timuit orbis eundem Rogum:
Tremuit populus Thyeſtæam illam coquinam:
Inventa eſt flamma, quæ aſtantes frigidos faceret.
Nefandi ſacrificij locus Gehenna;
Quæ tartaro nomen dedit, ut exemplum.
Quippe infernus ignis
Nondum nomen invenerat ſatis horrendum.
Achas Plutone pejor, ignem dedit inferno pejorem.
Parati affluere Dei vindices,
Raſis & Phaceus; Syriæ & Iſraelis Dynaſtæ.
Maluit tamen Deus contumacem contumaciter demereri;
Itaque Iſaiam Achaſo delegat,
Qui pro victoria ſpondeat:
Prodigium quodcunque daturus pro vade.
Et quo prodigia firmentur,
Dei Filium pignori pollicetur.
O Numinis patientia toties irritata, non irata!
Achas prodigia reſpuit:
Et Numen inter Nepotes dedignantur.
Puto Deum ipſum Gehennæ immolaturus, ſi naſci feſtinaret
Spretis igitur Cœli copiis,
Aſſyriorum Regem mavult auxiliarium.
Sic mendax nemini credit, niſi mendaci.
Ac ne pretio careat tutelâ,
Totum ærarium, ſanctum, profanum, Aſſyriis profundit.
Vitamq; pretio taxat.
Itaque quicquid rapere hoſtes poterant, donat:
Seſeq; ſpoliat, ne ſpolietur.
Quin ſublatis exuviis Templum claudit;
Quaſi incluſo ac ſpoliato Deo, victor.
Riſit inſaniam Deus;

Et

Et perfidum reliquit fœderatis plectendum.
Nam perditi, ipſi ſe perdunt.
Affuit ergo accitus Aſſyrius Thelegat-Phanaſarus;
Qui attritis Achaſi hoſtibus, ipſum attrivit:
Sic nocent auxilia malo majora,
Et bellorum nimbi detonant in authorem.
Putas Achaſum reſipuiſſe? deſipuit.
Ab ſua Muſica perpunctus Damaſcenorum Idolo ſe devovet.
Itaque contra Syros, Aſſyrios implorat;
Contra Aſſyrios, Syrorum Deum,
Qui ne ſuos quidem ſervaverat.
Hic divina patientia deſperavit;
Et ſervare nolentem ſemel perdidit.
Malè morietur inter utrámq; vitæ metam:
Et extra tumulum tumulatus
(Quis enim juſta faciat injuſto?)
Gehennæ aſſignatur, cui nomen fecerat.
Sic ei fiat, qui beneficium in vitium torquet.

EZECHIA
ACHASI FILIUS.
INDEX.

Rerum ab hoc Principe geſtarum indicem cape.
Sub Romanæ Urbis natales naſcitur.
Achaſi Filius Ezechia.
Sed ille ex optimo Patre peſſimus,
Hic ex peſſimo optimus, iterum peſſimum geniturus:
„Sic teſſellata fortuna bona malis interpolat.
Sanctiſſimæ Parentis mortes libavit, non Patris.
Quæ felicior Mater quam Uxor,
Pro votis Filium accipit, non Maritum.
Quintum ſupra viceſimum annum natus,
Florem ſceptro impoſuit, quem cæteri perdunt.
Primo imperij anno Templum aperuit,
Quod nihil Sanctum vidit, niſi Regem.
Moſis etiam ſerpentem dejecit, olim ſalubrem, jam viru-
Poſtquam ſuperſtitioſis aris concaluit. (lentum;
Anno, & Animo eodem,

Scul-

Sculptilia in Cedronem ſparſit;muſicos modos reſtituit.
Utrumq; nexum: quid enim Cedron niſi mœror?
Sic populi lacrymas Idola ſorbent;
Et flente flumine, cives canunt,
Tot Pharaonibus demerſis,quot Idolis.
Merguntur incendiarij illi Dæmones:
Inferno ardore ex antiperiſtaſi geminato.
Et adorata illa ſaxa, adorantium ſcopuli,
Poſt animorum naufragium ipſa naufragantur.
Poſtero anno, diviſa Judæ ſtudia pro concione componit.
Amphioni comparandus Orator:
Nam urbem ille paravit, hic reparavit canendo,
Inſtante Paſchate,
Ad Solimorum celebritatem ſchiſmaticas alliciens Tribus;
Judæ Iſraelem conjunxit.
Ita Paſchalis Agnus, agnos fecit convivas:
Et fractis Idolis integrata concordia:
Poſt hæc, Salomonis de plantarum uſu commentarios
co[illegible]buſſit.
Jam enim ex horto non è Cœlo ſalus quærebatur:
Et herbarum non oculorum expreſſo ſucco,
Membra curabantur,non animi,
In illa agitur flammâ ars mortua, ſpes revixit.
Utinam Coi Senis farcimina ad Ezechiæ manus veniſſent:
Sine carnificina homines convaleſcerent.
Auctis jam annis,
Aucta cum Sacerdotum pietate, laicorum liberalitate:
Condendis largitionibus,Templi horrea laxavit;
„Qui neget frugi eſſe virtutem?
„ Cum ſacrâ opera ſacras opes adaugeant.
Anno imperij bis ſeptimo,qui ſemper Clymactericus,
Ezechiæ virtus tentata,
Nam Aſſyrius Sennacherib Judæam evertens, & everrens,
Citius rapuit arces quam vidit.
Quæris quantâ acie?
Terra contecta, montes depreſſi, flumina epota.
Sed armatorum tot millibus,
Trecenta & triginta talenta obſtitere,
Toti Ægyptiorum armamentario,
Totum Templi ærarium objecit Ezechia.

Nam

Nam ſacræ divitiæ eo ſervantur ut ſervent.
Fecerat hoc etiam Pater, ſed impare ſtudio,
Ille Templum timebat, hic pro Templo.
Extremo eodem anno,
Aſſyriâ fide recrudeſcentibus Barbaris,
Infanda effutiente Sennacheribbo, ad pias preces confugit.
Felix certamen: linguâ pugnacem lingua vicit.
Minus dixi; dormiendo vicit.
Nam per tenebras cæcutiente Angeli gladio,
Aſſyriorum millia centum octoginta, ſomnus conſignavit
Sorori.
Dirigit Sennacherib nocturnæ cladis ſpectaculo:
In patriâ, à Filio, ante Idola cæſus,
Qui patriam liquerat, pro Filio, contra Deum.
Anno victoriam ſubſabente, dirùm ægrotat,
Tumente ulcere quò animus detumeſceret.
Lethum denunciante Iſaia, luget, ſubmittitur, convaleſcit.
O dulces lacrymæ, vitæ auſpices, vel ineptæ, vel receptæ.
Primum naſcentium omnem, ultimum pereuntium ſuffragium.
Anni igitur quindecim ad vitæ ſtamen aſſuti:
Illuſtri teſte, Sole;
Qui ſupra lineas decem retroactâ ſtyli umbrâ
Viam & Vitam redorditur.
Hem quid ſolidum in humanis,
Si ætas horarium eſt, annus linea, umbra vita.
Lethalis umbra, quæ lineas enecat, quotquot attingit:
Pariterque dum proficit, deficit.
Poſt menſes duos.
Babylonum Legatis divitias & delicias oſtentat,
Neſcius quam rapaci populo illecebras.
Sed ô rigidam diſciplinam circa Principes,
Pro quantulo crimine, quantum diſcrimen?
Funeſtior intervenit Legatus Iſaias.
Qui in oſtentatiunculæ pœnam,
Jacturam opibus, capturam Liberis ominatur.
O lethales divitiæ, quas nec celare tutum, nec proferre!
Sed ô vitales lacrymæ, vel celatæ, vel prolatæ!
Ad præſentiſſimum hunc panchreſtum redit Ezechias,
In ſuis oculis ſalubrem hunc ſuccum quærit,

Quo

Quo Numen emollitum, ira reſtincta.
O efficaces iterum lacrymæ!
Tacitæ oculorum voces, & liquidi vocis oculi:
Nec fœcundus humor tantum, ſed facundus,
Qui animum egerit dum cadit, & cadit ſine jacturâ:
Nam ſolam hanc mercem prodigere licet.
Exinde piſcinas, fontes, aquæductus,
Puto ſuarum imitamenta lacrymarum, aperuit.
Per quas deniq; animus enavit ad palmam.
Anno à ſuſcepto Imperio viceſimo nono.
David non conferendus, ſed præferendus:
Nam majora fecit, minora deliquit.

MANASSES
EZECHIÆ FILIUS.
EXOMOLOGÆSIS.

O Rerum Opifex, Reorum Opifer; Deus;
Adverte tandem æquas aures,
Clemens attrito, felix catenato, Rex Regi
Infanda mea facta ad rationem revoco,
Tu ſolus audi, quæ ſolus ſpectas:
Aut ſpectare deſine, quæ piget audire.
Ille ego Manaſſes, Orbis Eoi Veſper:
Ut lucem fœdarem in lucem veni.
Conceptus, lethale nefas concepi.
Et hærente adhuc cortice, odiſſe te cæpi antequam noſſe.
Jam de latebrâ proſerpens Vipera, hoſpitalem uterum torſi:
Felici hoc exordio mihi plaudens,
Quod nondum natus potui Matri nocere.
Alumnæ gravis ſarcina, papillas morſu tentavi;
Sanguinis avidior, quam lactis.
Circumciſus, impreſſum generis ſignum
Pro libidinis teſſerâ ſuſcipiens,
Dixi; hunc ſanguinem Veneri propino.
Infandus Infans, parvus ſed pravus.
Execrationes infrendens inter vagitus;
Candidum nihil habuit præter ſyndonem;
Hanc ipſam cruentaturus,

Dec-

Deerat jam nocendi avido, nocendi facultas.
Hanc è voto feſtinavit fortuna,
Cum duodenni gladium commiſit.
Ita, nimis impotens, quia nimis potens,
Proceres terrui Puer; quo levior, eò gravior populo.
Qui citum diadematis fulgorem, ceu fulgur expavit.
Hinc divini, humani Juris immemor,
(Quid enim Manaſſes, niſi obliviofus?)
Unam mihi legem ſtatui, legem nullam ſervare.
Durus, Difficilis,
Rogari, invidiam; non rogari, contumeliam duxi;
Injuſtus, inhumanus;
Aliis omnia licere volui, aliis nihil.
Impius, perjurus,
Studio, & ambitu paterna exempla non inſtiti,
Puduit Regem bene agere de exemplo.
Anteire malos malui, quam bonos ſequi.
Hoc uno Patris ſpeculum,
Quod ejus imaginem reddidi ex contrario.
Proinde, ex tuo Templo,
Quæ ille intulit, ſuſtuli; quæ ſuſtulit, intuli.
Atque ut à te maximè ſejungerer,
Duo ſejunctiſſima conjunxi, atheiſmum, & ſuperſtitionem;
Excelſa diruerat Pater; refeci:
Ut altiore de prærupto contereretur Religio.
Priapi aras ſuſtulerat; reſtitui:
Laſcivè ſimul, & ſacrilegè;
Ut dignitatem libidini adderem, adimerem tibi.
Has inter ſortes volutus, ſauciari potui, non ſatiari.
Planetarum ſectator, quia errantium,
Eorum ſimulacris Templi atria ſtipans,
Inveni quo tua tibi Sidera fierent odioſa.
Auſpiciis, & aruſpiciis attentior quam tibi,
Avium pennas, & pecudum fibras
Veraciores duxi, quam tuas tabulas.
Hoc minimè falſus,
Quod Brutis ſtolidiorem me cenſui, dum Bruta conſului.
Striges, Ariolos, Magos, Pythones colui.
Te ut Orbe depellerem, Dæmonas evocavi.
Itaque quo irreligioſior eſſem,

G Religio-

Religionem mutavi, non ſuſtuli.
Aſtra, lapidem, Bruta, Furias,
Quidlibet eſſe Deum paſſus, dum tu non eſſes.
Senior factus non ſanior,
Ab impietate ad crudelitatem prorui.
Nam calcanda erat poſt Divinitatem humanitas
Crudelitate crudelitati ſuffragante;
Hoſtes opinatus omnes diſſimiles;
Ferus ut timerer, & quia timebar,
Hoſtium numerum auxi tollendo.
Prophetarum voces cum ſpiritu intercluſi.
Iſaiam Socerum ſerrâ diſſecui.
Deniq; adamantinã cordis duritiam flammis exploratur;
In valle Gehennæ Filios combuſſi.
Lætus, quod nec Avo meliorem me invenit illa flamma,
Tot ergo ſcelerum cumulis impuli patientiam tuam,
Ut perditus videreris, niſi me perderes.
Viciſti proinde, ne vincerem;
Immiſſo Babylonico, ut Tyrannum Tyrannus plecteret.
Qui tam citò vinctum, quam victum,
Me, meos, mea, ad fœdum hoc ergaſtulum abduxit.
Ah ſatis pœnarum habes, victor,
Dum inter opima catenatum numeras Regem.
Non tu innocentibus pœnitentiam delegas,
Quæ reatum necat, non reum;
Et in ſolutum imputat crimina, cum numerantur.
Meum jus urgeo; ad hanc provoco:
Suffragante ipſa ſcelerum multitudine.
Poſſibile non erat tanta committi niſi ab inſano.
Exere ſplendido miraculo vim tuam
O bone, & parcendo exercite.
En ut ventoſâ victoriâ tumens Hoſtis,
Vernaculorum te tuorum deſertorem ridet, & vivit,
Ex uſu non eſt ſcelera mulctare ſceleribus;
Et externos recreare tuorum pœnis.
Redde heu conſpectum mihi beatæ Urbis;
Ubi Reges peccare ſolent, & pœnitere.
Ululabo ubi deliqui:
Sanguinis rivos lacrymarum rivis exſtergam:
Exulabit Idolorum populus, urbe donatus:

Et

Et exemplo corruptos, exemplo corrigam.
Hæc oravit Manaſſes, & Regno redditus votum explevit.
Atq; ut diutiùs doleret, nemo diutiùs regnavit.

AMON
MANASSES FILIUS.
SYMBOLUM.

O Spes fallaces!
Intempeſtivè concuſſi flores,
Intempeſtivè ſepulti ſymbola ſunt.
Amonem florentis ævi Principem,
Qui de paterno exemplo,
Inter vitia & virtutes ætatem diviſurus,
Pœnitendi fiduciâ, pœnitenda commiſit.
Templo Idola, latibulis ſtupra, Urbi funera,
Velut fœnori intermiſſa reſtituens,
Ut probè ſeneſceret, improbè adolevit.
Sed heu; claudicante ſpe velocior Mors,
Conjurato aulicorum ferro,
Vota cum vitâ ſuccidit.
Itaque ſpe florens, non virtute;
Inter flores jacet, ſed frugiperdas,
O Spes fallaces!

JOSIA
AMONIS FILIUS.
EPINICIUM.

Io Triumphe.
Idolorum Everſor curuli feretro effertur.
Hic eſt ille Joſia,
Quem ſupra trecentos annos Natura parturiit.
Jam tum enim fatidicâ voce præmonſtratus,
Idolis operantem Jeroboamum ſolo nomine tremefecit.
Nondum natus, jam notus:
Vel natus ante Parentes.

Io Triumphe geminate Cives.
Hic ille cenſorius infans.
Qui ſupercilio contractâ morum licentiâ,
Rempublicam octenni ſibi cōmiſſam octennio compoſuit.
Itaque Davidem ſequutus, anteceſſit:
Nam David bonos invenit, hic fecit.
Adeo parvi intereſt parvum corpus.
Quin ad illum delegatur Jeremia, ad puerum puer.
SeneſcentisReipublicæ argumento, cum virtus repueraſcit.
Io Triumphe iterate Cives.
Hic ille divinus ædilis,
Quo Templi diruta reſarciente,
Amiſſum legis volumen inter ruinas inventum.
Tanti duxerant impij Templum diruere:
Mortuam rati legem, ſi liber humaretur;
Vel libera ſcelera, ſi liber lateret.
Itaque poſt Joſiam exhumata lex lucem vidit;
Et in eodem ſcrobe virtus revixit.
Immò in Joſiâ tota revixit.
Nam vitia cæteri vel induxerunt, vel indulſerunt:
Solus hic mortalium nec commiſit ſcelera, nec permiſit.
Io Pæan.
Hic ille zelator adoleſcens,
Qui monente Prophetide,
Toties rediviva ſimulacra in cinerem ſolvit;
Et plebeiis tumulis inſperſit:
Ut à mortuis diſcerent tandem mori.
Senſere Manes pulverem illum gravem:
Pluſq; Dæmonas combuſſit ille cinis, quam ſuæ flammæ.
Io Pæan geminate Cives.
Hic ille intrepidus adoleſcens,
Qui nefanda fanorum nemora incendens,
Nocentes umbras, & hoſpites Lupas abegit.
Eodemq; incendio Solis quadrigas fulminavit.
Novum aſtropoplectum ridente populo,
Dum Phaetontis Pater, Dei ſedes affectans,
Phaetontis ſupplicium tulit,
Et ex fabula Hiſtoriam fecit.
Io Pæan iterate Cives.
Hic ille aſſertor juvenis,

Qui

Qui Juda,& Iſraele flammis expiato,
Vanos Antiſtites ſuiſmet aris impoſuit;
Suppoſitâ Idolorum ſtrue:
Ut quale Numen colerent, ipſi ſentirent.
Mutatis igitur officiis,
Adoletur qui adolebat, & ab idolis uruntur Vates.
Quâ victima nulla melior, quia nulla pejor.
Io victor dicite Cætus.
Hic Principum Protomartyr,
Noviſſimo incumbente Reipublicæ Fato,
Irati Numinis telum ut frangeret, in ſe reflexit; (poſuit.
Dum implueut bus Ægyptiorum telis devotum pectus op-
Sic ante Pharij Nechaonis os in quadrigâ confoſſus,
Spiritum Tartaro formidabilem in Tyrannum efflavit.
Neſcio an occumbendo vicerit,an vincendo occubuerit.
„ Occumbit certè, non procumbit, qui ſedens moritur.
Ita ſuo ſanguine trabeatus,
Eodem curru Mortem in triumphum traxit;
Et feretro pro Feretrio ſpolia ſua deferens,
Ad Mauſolæum, veluti ad Capitolium,proceſſit.
Primuſq; poſt obitum triumphavit.
Io Victor, Io Pæan, Io Triumphe.

ELIACIM & JOACHAS
JOSIÆ FILII.
REVOLUTIO.

Extrema Regni tranquillitas extremam cladem minatur.
Die inclinante grandior floreſcit Iris.
Crevit ad ſummum Hebræa felicitas Joſiæ nixa;
Quo ſubducto univerſa corruit: invidente Aſiæ Africâ,
Quæ purpureo Mari diviſæ, Judeæ ruinis coivere
Spectabat ad Eliacimum Regia dignitas,
Hanc Joachas rapuit natu minor.
Ah puer infelix! rapinam timebis.
Cur inauſpicatum ad imperium involas,
Unde mitior te natura ſepoſuit, naſcendi mora?
Torpedo Judaicum ſceptrum eſt:tangẽtes manus nodabit.
Itaque ex ſecundo primus, ex primo poſtremus,

Regnum pervertit, quia prævertit.
Hunc Pharao, à Fratre accitus, catenatum rapuit.
Ridente Ægypto mancipia redire ex Regibus,
Qui ex mancipiis abierant Reges.
Ita poſt ſexdecim Soles quæſita ſceptra,
Poſt tertiam Lunam amiſit.
Brevi Regi ſpatium, Tyranno longum, Civibus nimium.
Explevit igitur iras Eliacim:
Sceptro potius jam cariore, quia rapto.
Rediit ad illum infula, ſed & infulæ fatum.
Aliis per Pharaonem imperat, illi imperat Pharao,
Cui tributi taxatur: hoc uno pretioſus.
Atque ut libertum ſe noſcat, non liberum,
Alio donatus nomine Joachim vocatur, non Eliacim.
Quid illi relinquent, qui nomen eripiunt?
Regnum itaque ſub Rege impetrat;
Cum idem ſit impetrare quod amittere.
Egit tamen Ægypto pro maleficiis grates,
Dum deformem Idolorum coloniam ex Ægypto traducēs,
Polluit, quæ Pater ſanxerat.
Uriam ferro, Jeremiæ librum rogo deſtinat:
Ferro deſtinandus, non rogo.
Immò ut dites ad Ditem trahat:
Gemmâ & annulis Dæmones includit: bis Idola.
Nam gemmæ Dæmonum Filiæ, concepto Dæmone Matres fiunt.
Heu carò venales opes! quamdiu gemet has gemmas?
His annulis catena nectitur.
Hunc Nabucodonoſor infido infidus,
Deceptum vinculis implicuit:
Implicitum ferarum ſpecubus incluſit:
Incluſum ferarum faucibus objecit.
Aliquis ergo prætereuntium dixerit,
Hic moritur Tyrannus præmortuo nomine:
Qui vivus jacuit in tumulo: mortuus vixit extra tumulum.
Hunc Matthæus à Chriſti Genealogiâ ſecuit,
Ne feram pro homine insereret.

SEDE-

SEDECIA
ELIACIMI FRATER.
SORTITIO.

Excidit infelix par Fratrum,
Quorum alterum feræ, alterum furor abſumpſit.
Te vero Sedecia, tertia Sors manet,
Utraq; pejor.
Movente Regalem urnam Fortunâ,
Jechonia Eliacimi filio Babylonem abducto,
Nepotis ſceptrum à victore impetrabis.
Æquè in Nepotem durus, in hoſtem mollis,
Ut illum ſpolies, huic ſervies.
Mutato etiam nomine, ex Mathania Sedecias,
Juſti nihil habebis præter nomen.
Toties direptam Urbem diripies:
De pauperum penu Idola recreabis hoſtilia:
Præſcias Vatum fauces obſtringes:
Quaſi fatum tuum in Vatum pectore concluſurus.
Sed divino conſilio conſilium adimitur,
Deo ſimul & Chaldæo fœdifragus,
Tributi jugum dum excutis, ſub jugum cades.
Nabucodonoſore noviſſima expeditione graſſante,
Hieruſalem, per te non Hieruſalem,
Claudetur, incendetur, ſolo æquabitur.
Tu tot inter mortes mortem non reperies.
„Miſerius enim eſt miſero animam trahere, quam tradere.
Reductis brachiis Babylonem traheris catenarius Canis.
Manu & oculis captus; oculis & Liberis orbus.
Planè inter pudenda impudens,
Cum oculos amiſeris, pudoris ſedes.
Itaq; cum Babylonium tibi carcerem Ezechiel minetur;
Tu Babylonem te viſurum neges;
Uterq; divinabitis.
Cæcus Urbem in Urbe non videbis.
Verus Sedecias, Juſtitiæ ſimulacrum, quia cœcum.
Peribis tandem veteranum mancipium:
Et acervo ignobili additus,

In tanto Patriæ rogo, rogo carebis.
Nam ſceleribus clarus, rogi luci non eges.

SUSANNA
HELCIÆ FILIA.
ADMONITIO.

Adeſte Nuptæ, Innuptæq;:
Quarum Virtus in pulchritudine, nō pulchritudo in Virtute,
Docebo quàm ſpecioſum damnum ſit ſpecies.
Suſanna fui, ex Regiâ domo in Regiam domum ducta.
Quâ formâ fuerim, ex nomine habes.
Quid enim Suſanna, niſi Roſa?
Florum nempe Regina, & Reginarum flos.
At nimium felix eram ſi forma defuiſſet:
Quam perdere dum metuo, penè me perdidit.
Babylone captiva,
Colebam hoc qualecunq; corporis decus:
Unum captivitatis ſolamen uni Conjugi.
Itaq; nudam me nemini oſtendi, niſi thalamo, & fonti.
Occluſis pomarij foribus; nec ſolem arbitrum paſſa,
Quem, meridie curioſiorem, nemus arcebat:
Addebam membris lympharum nitorem;
Liberatoq; capillamento,
Aureas undas comarum, argenteis fontis undis mergebam;
Ut fontem in fonte diceres.
Neq; ſpeculo opus: in ſpeculo natabam:
Tergente ſimul, & imaginem reddente rivo.
Qui blando ſuſurro membris adulatus;
Non tàm lavabat, quàm laudabat.
Inepta, quæ fugax donum fugacioribus morabar undis
Ne lubricâ ex imagine formæ inconſtantiam novi.
Proh ſanctè pudor, quid uſq; ſecurum?
Falſum eſt à fucis tutam eſſe Roſam.
Latebant inter virgulta amaſii duo:
Angues in herbâ.
Hi Popularium Seniores erant, & Judices:
Quos, vel inter algentes aquas, urebam:

Ignara

Ignara puellarum faciem eſſe facem,
Erumpunt ex inſidiis amantes hoſtes:
Horreſco vulnificos vultus;
Aquis membra ſubmergo;
Sed perſpicui latices me produnt, ut vitrum Roſam.
Sinum crinibus obduco, ſed crines eventilant auræ;
Quæ ſpirando, in me conſpirantur.
Dubitas omnia conſpiraſſe in flagitium? rivales fœderantur.
Fuſtrati precibus, terrores addunt.
Et maximum innocenti malum minantur, calumniam.
Ego inter vitæ aut virtutis diſcrimen,
Qui agimus (inquam) Suſanna?
Corpus eluis, & animam pollues? Vale potius vita.
Hæc mecum exigens, clamo.
Altius illi clamant, & crimen regerunt;
Impermiſſam Venerem cum pubere adultero.
Ego causâ melior, patrocinio pejor,
Inter Parentum lacrymas, & vulgi convicia;
Seminuda & ſemianimis, ad ſupplicium trahor.
Jam ſaxa parabantur, adulteris debita,
Ut eadem legis & mulctæ materia ſit,
Et aliquis eluto jam lapide, lapidi ſimilis hæſit.
Nam pudor extremus decorum augebat.
O pudicitia, ut ſervantem ſervas!
Quis credet? Concionem moratur duodennis puer:
Qui utrumq; ſeorſum teſtem de criminis loco ſcitatus,
Utrumq; diſcrepantem invenit:
Et mendacio mendacium detectum.
„Dulcius nihil radiat quam Veritas, ut nubem fregit.
Mutantur populi voces
Siccine (inquiunt) captivus furit, captivos ferit Cupido?
Poſt Patriæ incendia,
Sceleſtiores flammas Babylonem attuliſtis?
Hypocrytæ, perjuri, ardentes nives.
Quid de nobis æſtiment hoſtes,
Si Optimates peccant, Judices pejerant, Senes laſciviunt?
Quid multa? Mutatur rerum ſcena.
Deſultant vincula à me ad Senes.
Ego ad thalamum ducor, illi ad flammas:
Ut benè ardeant, qui malè arſerant.

Sic puer fœminæ, Suſannæ Daniel,
Innocens innocenti, ſubſidio fuit.
Diſcite meo periculo, Puellæ.
Eſte formidoloſæ, ut formoſæ.

JECHONIA
ELIACIMI FILIUS.
THRENI.

Nondum Hieroſolymæ deferbuerat Cinis,
Cum buſto inſidens Ieremia,
Lamentabili hoc fremitu Patriam conclamavit.
O Solymæ, ô adyta, ô læti colles Sionis!
Hæccine illa beata Urbium Mater,
Quam Ævo coævam ſpoponderat Deus?
Quid ergo diuturnum, ſi æterna pereunt?
O Regiæ opes chaſmatum ſimiles!
Quæ vaneſcunt dum lucent.
Cecidit, cecidit ſuperbia Regia pinnis coronata;
Nihil jam niſi funus, & fumus.
O fumum ſemper Aulæ moleſtum!
Quo rediit excelſa Templi moles,
Angelorum colonia, Cœli ſuburbium?
Evertitur mortali manu divinus ille labor:
Et nemini polluto impunè penetrabiles penetrales,
Homicidæ perſultant flammæ:
Eodemq; elemento profanatur ſanctuariũ, quo luſtrabatur.
Ubi vaſa? ubi ſacra? ubi fontes?
Ignavi fontes, & naturæ obliti,
Ignem non extinguunt, quem culpa ſuccendit.
Ubi menſa? ubi ara?
Ubi lampas æterni Solis æmula?
Jam nihil eſt niſi lampas una, totum Templum,
Quas litatura inibis preces infelix turba?
Altiora votis incendia ſunt.
Cui ſupplices feretis palmas linteati Senes?
Abiêre Angeli Templi indigetes.
Ipſa Sion in flammas abiit,
Poſtremo, cremata domo abiit Deus.

O avi-

O avida ignis potentia!
Quam nobis Patriam linquet, qui exulem facit Deum?
Quo congeſtæ opes? quo exoticæ merces, ô Cives?
Quo armillæ, quo veſtri mundi, ô Puellæ?
Præda ſunt inter incendiarium. & incendium diviſa,
Incumbit ſpoliis prædator ignis:
Qui avarus juxta & prodigus,
Quicquid rapit, momento decoquit;
Et alumnus nequam, alentem perdit materiam.
Quin cum ſuis flammis de præda rixatur miles:
Plerumq; raptus dum rapit.
Heu; parum eſt Gazas diripuiſſe.
Unde flagrantibus,ſpiritus vivis,terra extinctis eripitur,
Solem ipſum eripiunt undante fumo.
Et auram patriam repetunt per ſingultus.
Ah dolor! quæritur Urbs à Civibus, ab Urbe Cives.
Pereunt nitentes illi Principum cœtus,
Gemmantes pueri, cana maturitas,
Flos Sionis, virgunculæ.
Hic hoſtili ferro ſuccubuit; ille incubuit ſuo;
Hic patriæ fatum ſequutus flammis exarſit.
Condi non poterant tanta cadavera niſi Urbe inverſa,
Sed heu ſuperſtitum pejor conditio,
Quos inſtans victor præagit.
Gaudete ſub patriæ cineribus ſepulti Cives,
Non obſcuræ umbræ in tanta pyra.
Lugendi ſunt qui vos lugent.
Rapitur extorris ordo, fuligine ac favilla ſordidus:
Quas indigenas opes legiſſe tantum licuit,
Ut Urbis fatum in fronte circumferant.
En ut inter Patriam, & exilium reſtitant,
Incerti utrùm malint.
Itaq; in illo incendio Patriæ amor periit.
Trahuntur hoſtiles per urbes indigna pompa:
Exercitus olim, nunc turba.
Trahuntur captivæ Matres, & alumnos trahunt.
Vinculis antequam faſciis obvolutos,
Pari ludibrio corona, & cydaris inter fercula eunt.
Pari ſequuntur opprobrio Sedecias, & Saraias,
Rex & Pontifex:

Hic

Hic ex lacrymis, ille ex vulnere cæcus.
Qui olim diſcordes, ſolâ catenâ conveniunt.
Nunc ſe Babylon in Cœlum tollit ſine ſua mole.
Sparguntur hac illac Palæſtina ſervitia,
Pudore confecta, vel pedore.
Quondam etiam juxtâ Babylonicum Euphratem cõſidunt.
Ut ſuam imaginem pavitantes ſe ipſi crucient.
Hic mœſtas inter mortes canere juſſi,
Barbaros ejulâtus ſacris numeris confundunt.
Hoc etiam Babylonem decebat idioma.
Ah puer infelix Jeconia!
Ibis tot inter ſpectra deſtinatam in caveam:
Malus Populi cuſtos, cuſtodiâ dignus.
Hunc ignem fumus incendit tuus.
Flagrabunt alij flammâ, tu infamia:
Octo ferè luſtris compedes atteres.
Matrem, Conjuges, Filium,
Triſtem ærumnarum comitatum,
Inter infima Tyranni miniſteria numeraturus.
Ah fœda conditio!
Plus Domini te pudebit, quàm ſervitutis.
Ille ille victor tuus Nabucodonoſor,
Nova & ſtolida metamorphoſi jumentis aggregatus,
Novum brutum, bruta terrebit.
Ut intelligas quam diſpari Domino ſervias.
Tu vero Patriæ confector,
Ætatis quartæ cardinem inſiſtens,
Judæorum Regum miſerabile agmen claudes.
Hoc omnium miſerrimus,
Quòd illis Regnum ſupervixit, tu Regno.
Heu fleas Viator, & iter ſiſte.

MUN-

MUNDI

SENECTUS.

SOLITARII.

SALATIEL

JECHONIÆ FILIUS.

Chriſti linea.

Zorobabel.

Abiud.

Eliacim.

Azor.

Ex Levi.	Sador.	*Ex Levi*
Eſra.	Achim.	*Mater Machabea.*
Jeſus Siracides.	Eliud.	Razias.
Eleazar Protomartyr.	Eleazar.	Matathias.

Judas. Jonathas. Eleazar. Simon.

Joannes Hircanus.

SALATIEL
JECHONIÆ FILIUS.
ISAGOGE.

Pando tibi quintum Atrium, Viator ſubi.
De Chriſti Proavis,
Nullum ſubinde Reum viſurus, quia nullum Regem:
Nullum occiſum, quia nullum homicidam.
Mundi ſenectus ad infantiam rediit.
De impiorum oſſibus nati ſunt Sancti:
Cadmæi prodigij teſte Ezechiele.
Uſui fuit Solymorum incendium:
Nam deſpumante ſuperbiâ,
Ex illâ uſtrinâ liquitur aureum Sæculum.
Pro lumine Salatielem offendes.
Quam latentem ſcintillam patrius fovebat cinis;
Ut novo Sæculo auſpicium faceret.
Fortis, magnanimus, in ſervitute ſibi imperavit.
Hoc ipſo felix.
Nam adverſa Adverſis adverſa non ſunt, ſed Averſis.
Vis ſcire quid pro Populo fecerit? flevit.
Quid enim poſſet aliud Princeps mancipium?
Sed ejus lacrymæ Chaldæorum merſerunt imperium:
Tria quæ cernis proſtrata monſtra,
Tres ſunt Tyranni, quos flendo confecit.
Cernuus hic, & Semifer.
Nabucodonoſor fuit: quondam Magnus, nunc brevis.
Qui Judææ & Ægypti ruinis amplificatâ Babylone,
Sua geſta miratus, hominem ſe negavit; nec fuit.
Nam verâ lycantropiâ Feris permiſtus,
Uliſſeæ fabulæ famam arrogavit.
Quæ enim Cyrce, niſi ſuperbia?
Sic ferus Homo, vel humana Fera, ſeptennium tranſigens,
Formam cum mente recepit.
Et qui bellua fuit cùm ſe Deum credidit,
Jam belluam ſe credens, homo fuit.
Qui adjacet Evilmerodachus eſt.
Initio Imperij major viſus,

Ut

Ut matutini Solis augetur ſpecies,
Illudente oculis Nebula.
Hic Salatielem vinculis eductum Regiæ præfecit.
Faſtuoſa nimirum pietate;
Quòd famulitium faſtidiret, niſi Regale.
Sed blanda utcumq; initia atrocibus actis corrupit.
Maleſidus, maledicus, maledictus.
Ut à Nabucodonoſore ſatum credas, jam verſo in Feram.
Hunc igitur Leviri telo confoſſum,
Tertius ſequitur Balthaſſar.
Patribus ſimilis, quia degener,
Quem Daniel odoratus, Leænam vocavit:
Nec maſculum quippe, nec mitem:
Inter fœminas virum, fœminam inter viros.
Hic impietati ludibria miſcens,
Sacris Templi calicibus, Belo Dæmoni propinavit:
Talem apud convivam brevi cœnaturus.
Nimirum ebrius erat antequam biberet.
Heu quam de proximo junguntur merum & meror?
Aperta manus, operto vultu, ferale decretum ſcripſit;
Adeo malis Principibus nemo propalam vera denunciat.
Tribus notis exaratur:
Ut trium literarum non dubites virum.
O benevolens Providentia!
Media ex Perſide vocati vindices, Darius & Cyrus,
Gynde amne ligonibus mulctato,
Et infractis cornibus humiliore;
Ebriam Babylonem incendunt,
Unius noctis fato periit antiquiſſima urbium;
Hieroſolymæ ſemper æmula, tandem ſimilis:
Quam Sol cadens nimiam vidit, oriens nullam.
Quæris unde irruperit victor Cyrus?
Per Euphratis alveum:
Hebræorum fortaſſe lacrymis auctum.
Verè ut dicas, Hebræos Chaldeorum flammis,
Chaldæos Hebræorum aquis arſiſſe.
Ita ſeptuagenaria captivitate ſoluta,
Ut lætus ad Proavos iret nuncius,
Mori feſtinavit Salatiel.
Plaude Viator; ac perge.

ZOROBABEL
SALATIELIS FILIUS.
MYSTOLOGIA.

Cæcæ Babylonis infelix hoſpes,
Si novum cordis Templum Deo deſtinas,
Zorobabelem ſequere.
Cujus etiam nomen triumphatam Babelem,
Ut caudam, raptat.
Hunc Templo excitando Cyrus excitat.
Meritò Cyrus, hoc eſt Sol.
Quid enim Numen niſi lumen,
Quo amato mens Babylone cæcutit?
Hic Judææ Prorex (nam Regnum amiſerant)
Annoſæ captivitatis analecta in Patriam ducit.
Et è tanto numero vix quinquaginta chiliades ſequutæ:
Sic ſolet; multos ſervitus diſtinet, plures ſervitutem.
Tu è paucis eſto.
Hieroſolymam ingreſſus, Urbem in Urbe non invenit.
Ne Templi fundamenta quidem reperta.
Heu, quàm non perfunctoriè pereunt,
Quos Deus exaugurat:
Scalpente flammâ etiam infoſſos.
Septimo menſe lætitiæ ſacro;
Operans Jeſus Pontifex, aram accendit, & animat.
Quis enim ſine JESU algentem refovet ſpiritum,
Nuſquam lætior ignis emicuit.
Idem elementum facem Templo attulit funebrem & natalem.
Itaque Numinis ira,
Ut nobilem illam flammam vidit, extinxit ſuam.
Zacharia & Aggæo Conſulibus,
Ezechiele Architecto,
Ipſo novilunij cardine, Templum fundat.
Dum nocturna Cœli lampas, tenuior quo propior Soli,
Paria decrementis incrementa redorditur
Nam primum creſcendi auſpicium, coram Numine imminui.
Hæc inter ſolemnia,

Pari pietate, affectu diſpari,
Ovare juvenes, lugere ſenes.
Illi novæ molis ſpectaculo, hi antiquæ memoriâ.
Dubites, natale in funere, an funus in natali celebretur.
Eximio documento;
Ut culpam defleas, etiam reparatam.
Sed hem, priſco anathemate tacti Samaritani,
Hebræorum Templum commune volunt, aut nullum.
Zorobabel nec nullum vult, nec commune.
O qui pietatis arcem moliris!
Talem fuge ſocietatem,
Ubi nequitia in commune, odia privatim:
Quæ omnium deterrima, quia inteſtina,
Ardere neſciunt, niſi totam pietatem reſtinxerint.
Ergo mali Fratres, ut Cyri munificentiæ obſtruant,
Megiſtanas & Satrapas commovent.
O noxia pietati politica conſilia!
Quid refert pium eſſe Regem, ſi impius Satrapa?
Injuſtum Regem mavelim, quam conſulem;
Nam nocere ille poteſt, hic docet.
At Zorobabeli inſtantia non deeſt.
Regio ærario præcluſo, ſuum pandit,
Talem Celerem optaſſet Romulus.
Felix qui à ſuis opibus opem quærit.
Age quod potes, quod agis poteris.
Adjuvat facientem Deus.
Pejore decreto ſeviit Cambyſes poſt Cyrum.
Nam ille creſcere Templum vetat, hic ſtare.
Suo in ſulco tumulatum Templum, ad foſſam rediit.
O nubila, & obſita Dei conſilia! Quid hoc eſt?
Ruere Templum ut ſurgat, ſurgere ut ruat?
Neſcio ruinam optet, an Templum.
Ah, vide quanto in quæſtu ſit pœnitere.
Iteratos lapſus permittit, ut crebro attritus, ſolidior ſurgas.
Nimirum, diu in exordio laborat virtus:
Sæpè ad fundamenta redeundum.
Cambyſi Hiſtaſpes ſucceſſit Darius.
Qui facundâ Zorobabelis legatione commotus,
Tonantis Regiam reponi jubet.
Vis altum proficere? ora.

Dura

Dura molliunt calentes preces.
Exurgit jam Templum; luculentius quo lentius.
E parietinis vivunt parietes; ut è cadavere corpus.
Numquam graviores lapides ſenſit Tartarus!
Nam pondere expenſo, inſidentem ignovit Deum.
Sic ævum riſura molitio, quadriennio coronatur.
Satage ô piger,
Dum calet divinus favor, opus matura,
Brevis mora æterna tollit.
Functi demum labore, feſtivos eunt in plauſus;
Et nova vox *Alleluja* circumſcripat.
Nimirum voluptatum ſumma eſt, Deum recepiſſe,
Qui ſui hoſpitis hoſpes, domum implet ac Fabrum.
Templo abſoluto,
Diu vixit, nihil egit Zorobabel.
Minora agere noluit, majora non potuit.
Nam ſatis egit, qui Deum recepit.

ABIUD
ZOROBABELIS FILIUS.
GENETHLIACON.

Naſcere fortunatiſſime Abiud.
Omnes tecum opportunitates naſcuntur.
Primus extra Babylonem naſceris;
Ut Meſſiæ nobilitatem reſtituas.
Nato Templo naſceris; prima votorum materia.
O quanti locatur Numini Domus.
Pius Genitor lapides dicavit, Liberos recipit;
Verus Deucalion ex lapidibus Prolem.
Naſcere Heroum ſanguis; tecum Patria naſcetur.
Jacuit ad hunc uſque diem Hieroſolyma:
Et Dei hoſpites hoſpitio caruere.
Redditi erant Patriæ cives, non civibus Patria.
Qui poſt exilium exules, domicilium habebant, non domũ.
Naſcere felix civis; naſcitur tecum Neemias,
Qui auſpice Artaxerxe, vere Longimano, quia munifico.
Novam Hieroſolymam dabit.
Frement Samaritæ, naſcentibus muris mortem minati.

Inſtabitis nihilominus audaces Fabri,
Trullâ & gladio utrinque diſtricto,
Ut ſacram operam altera peragat manus, altera protegat.
Cadent invidi ſurgente muro;
Suo ſanguine Cæmentum maceraturi.
Ut miraculo ſit, Civitas pacis bello nata.
Naſcere feliciſſimè puer.
Videbis prodigium annuâ memoriâ celebrandum.
Cùm luſtrante Urbem Neemia,
Et abditam Sanctuarij flammam vindicante,
Aqua pro igni reperta:
Quâ reſperſi aræ lapides ſponte flagrarunt.
Gemino itaque miraculo,
Ignis Filia lympha inimicum Patrem genuit:
In bellicæ præſagium gloriæ,
Ex adverſario clareſcentis.
Naſcere Muſarum voluptas, quæ tecum renaſcentur,
Nam divinus ſcriba Eſdra, obliteratas reſtituet literas.
Prodi ergo in lucem fortunaciſſime Abiud,
De tua famâ ſecurus.
Felix qui Sæculo naſcitur ſcriptoribus fœto.

ESDRA
EX LEVI.
ADMIRANDA.

Audi & mirare, Viator.
Hic eſt ille Cœleſtis Chirogogus Eſdra,
Legum peritus, & lator.
Qui de ſuo Marte Aſtræam terris redonavit.
Nam de mentis Theſauro,
Adamātinæ memoriæ commiſſum Pentateucū depromens,
Jus divinum repoſuit.
Perierant Moſis commentaria pereunte Urbe,
Immò perierat Moſes apud immemores.
Quin ſuæ originis oblitus Orbis,
Aut ſemper ſibi natus videbatur, aut numquam.
Tanto itaque reparatore Heroum geſta revixere.
Et ipſe revixit Mundus, dum ſuos legit natales.

Hic

Hic etiam ſepultam ſcribendi arcem reſtituit.
Perierant humanæ artes cum ſcriptoriâ,
Nam devinctis Babylone manibus,
Nulli legebantur characteres, niſi ſervis injuſti.
Itaque ſapientiâ gravidum pectus,
Nil parere poterat vitale,
Cùm ingeniis obſtetricare deſierant paginæ.
Ferebantur ad aures leviſſimæ auræ,
Et verba per auras moritura.
Hic veloci dexterâ fugientia verba moratus,
Acuto calamo in tabella defixit,
Liquidum ævum duratura.
Certavit cum loquentis linguâ ſcribentis manus.
Novoq; miraculo.
Audiit oculus quod præpetes digiti loquebantur.
Quale portentum? in fertili pagellarum æquore,
Muſarum agello,
Nigerrimum notarum ſemen committi;
Quod aratum calamo, ſæpia rigatum,
Legendam doctrinatum meſſem feſtinet.
Majore oſtento,
Inſcrutabilia cordis ſecreta fidâ in paginâ præpoperè pinxit,
Quæ ad amicos mitterentur longo tractu ſepoſitos,
Ut libri cortice involutus animus
Flumina Oceanumq; trajiceret.
Heu tamen plerisq; lamentabilem artem,
Quibus calamitas calamus, & atramentum venenum,
Sed dira provocantibus imputentur.

ELIACIM
ABIUDI FILIUS.
AZOR ELIACIMI FILIUS.
DIALOGISMUS.

Quis hic? *Aliquis.* Quis Aliquis? *Nemo.*
Nemone ſi aliquis? *Aliquis, & Nemo.*
Solve Hoſpes hos logos,
Audi Viator, & tace.

Hæc miracula patrat *Humilitas*, vera Thaumantis,
Sapientum magiſtra, nil ſcire docens.
Hæc ſuis elementariis in arcanum revocatis,
Ubi nec tuba fremit, nec turba,
Illud Pythagoreum inſuſurrat,
Silere, & ſileri:
Infra ſe omnia ponere: ſe infra omnia:
Deniq; ſe intra nihilum totos claudere.
Ita nemini notos niſi ſibi,
Suo nihilo ut philoſophali palliolo involvit;
Ac *Sophos* demum proclamat; cum nihil ſciverint, niſi nihil.
Hæc Meſſiæ deſtinata educatrix,
Ipſum nihilaturá, qui omnia fudit è nihilo.
Pedagogiæ experimentum in Proavis facit,
Quos latebreſcere jubet.
Ut ignotus ex ignotis naſcatur Deus.
Proinde reliqua Meſſiæ Gentilitas, ad Joſephum uſq; ſilent:
Nam priſtino ſplendori donata Urbe, ſplendorem ipſi ſuum fugere;
Et populari Principatu ad Pontifices miſſo,
Vacatione obtentâ, ad virtutem diverterunt.
Ut propinquum divini Solis ortum non dubites,
Cum magna ſydera condi incipiunt.
Primi Eliacim & Azor in hac Tacitorū Academiâ conſcripti,
Numinis more ſecum habitarunt.
Immò ne ſagaciſſimæ naris Fama quieſcentes adoraretur;
Veſtigia virtutum confundentes
De ſuis geſtis nihil conſtare voluere, niſi nihil.
Ac ne aliquid vixiſſe viderentur, tempus arctarunt in nihilum.
Supererat ſolum nomen, magnus virtutum index, & vindex:
Nam Eliacim, redivivi Numinis triumphum,
Azor, Numinis auxiliarem ſonat.
Sed hoc ipſum Humilitatis artificium fuit;
Quæ tot laudes ut minueret, in Auguſtum coegit;
Totam panegyrim uno vocabulo adſtringens:
Quaſi nil fuerint, niſi nomen, hoc eſt nihil.
Adde quod ſuum ipſi nomen peremerunt.
Nulli enim ſtemmati inſertum, oblituit in nihilo:
Donec ab Arcanorum Præfecto Matthæo,

De

De Cœli Archivis tranſcriptum, cum redivivo Meſſia revixit.
Itaq; ut *nemo* viderentur Eliacim & Azor,
Anomalos ſe nuncuparunt ſilentio.
Perbibe hoc dogma Viator. *Ama neſciri.*
Fulminat invidia quos tonat Fama. Ah nimis multa.
Pulverem ſparge, atq; abi. Tegi iſti volunt, non legi.

SADOCH
AZORIS FILIUS.
ECHO.

O verboſæ Famæ laconica Mima, Echo:
Quæ in hac ſpelunca, inter Sadoci pulveres, exanimis vivis:
Noſtine tanti Viri coætaneum Alexandrum? *Andrum.*
Argutè in faſtuoſum græciſſas;
Debuerat, nomine teſte, hominem ſe noſcere, non Deum.
Orbem tamen implevit Alexandri nomen. *Omen.*
Nimirum uterq; Alexander Aſiæ ominoſus.
Sed alter Græciam in Aſiam, alter Aſiam in Græciam rapuit.
At unde illi Propago? *Pago.* Pellâ videlicet oppidulo.
Ut mirer anguſtum fuiſſe Orbem, tam anguſte nato.
Strenuum tamen Genitorem jactat Philippum. *Lippum.*
Verbo dicis. In Patris oculo legi poterant Filij mores.
Quid enim generet exoculatus, niſi Cupidines?
Cæca illum ſanè furiabat ebrietas. *Ætas.*
Crudam inquis juventam, cui violentia & vinolentia.
Qualis igitur Græciæ vox fuit,
Cùm primum Claſſicum inflavit Macedo? *Cedo.*
Mirum ni urenti Filio cederet Patria.
Jam qualis contra Syriam adventus? *Ventus.*
Sanè ventus: nam celeritatem comitante ruinâ,
Vi & raptim dominatur. *Minatur.*
Sic eſt. Victoriarum helluo, bella ferens ex bellis,
Dum captis dominatur, minatur capiendis.
Nam vix Tyrum potitus, ferro deſtinat Hebræos. *Reos.*
Reos: nam commeatus denegaverant, qui poterat capere,
Quid agerent ergo Sabbatarij.
Adverſo Numini militarent? *Litarent.*

Id actum. In vota & expiationes itum.
Sed age: quidnam lirando fragrantius thus? *Iuſtus.*
Sadoci nimirum lacrymæ: nam Sadoc juſtum ſonat.
Hic ergo ſolivagus lacrymis pro thure ſubſtitutis,
Iratum demulſit Numen plorando. *Orando.*
Benè. Nam diſertus Orator eſt, diſerti fletus.
Sed interim portas attigerat Magnus. *Agnus.*
O Prodigia! Jaddi Pontificis occurſu,
Alexander agnus fit ex leone.
Nam fulgurante JEOVÆ nomine hebetatus
Subſtitit ad eximiam frontis notam. *Notam.*
Pridem notam. Nám quieſcenti monſtrata, victoriam ſpo-
ponderat.
Itaq; terram petens Vatem adoravit Judæum. *Deum.*
Immò. Nam certum Numen in Vate vidit.
Quid ergo pretij tulit Deum nactus patronum? *Thronum,*
Meruit inquis, Imperium Perſicum Græca pietas.
Sed dum Orbes optat, Orbem amittit,
Et ille Magnus ſepulcrum ſubiit exſile. *Siie.*

ACHIM
SADOCI FILIUS.
VICES.

Tu quoque modeſtiſſime Achim,
Taciturnæ humilitatis propoſito latens,
Ingenti hac virtute virtutes omnes operuiſti;
Ut nemo vixiſſe te ſenſerit.
Hanc tamen unam, quâ cæteras tegis, numquàm teges,
Cùm hoc ipſum apparet, quòd non appares.
Nec latuit tuum certè ſeculum:
Quo fortuna, dulcibus acida intermiſcens,
Alternis riſit, ac ſevit;
Ut nec gaudia continere poſſes, nec lacrymas.
Fleviſti hoc primum, quod annuente Alexandro,
Ante pontifex Manaſſe, Samaritanum Antitemplum dicavit.
Potuit diſcordiæ Templum vocari.
Ubi vota votis, & victimæ victimis adverſæ.

Sionis

Sionis cultum geminando minuerunt,
Ibi cruentus ille pecudum & civium mactator
Flammâ dignior, quam flammeo;
Arâ rectâ, rebellium Aſylo,
Docuit Tyrannum tutius imperare rixantibus,
Et Hebræos perdere per Hebræos.
Nam Reſpublica navigium eſt:
Integrum natat, diviſum mergitur,
Recreaſti te nihilominus vindictæ ſpectaculo,
Ipſum quippè Mundi raptorem Alexandrum,
Herculis ſcyphus ſtatim necavit.
O lethum milite indignum!
Animam mero, non ſanguine purpuream, vomere.
Immò ſic mori debuit biboſus victor,
Bacchi & Herculis Æmulus:
Nam utrumque adverſarium expertus,
In Herculis cratere à Baccho jugulatur.
Puto Clytus aliquis in illo ſcypho latebat,
O philotheſium craterem, ſtellis donandum!
Probavit ſe ille ſcyphus Herculeum, Tyranni cæde.
Hujus igitur magnitudo in exiguum contracta cinerem
Veſtræ locum fecit libertati.
Nam, ne Danielis vaticinio derogaretur,
Servi quatuor in totidem fruſta imperium laceiarunt tra-
Adeò Terrarum Orbis (hendo,
Magno puſillus, puſillis magnus eſt viſus.
Heu! Tanti ne fuerat ignota bella ſcrutari,
Ignorante victore cui vinceret?
At ecce novam lacrymarum ſcatebram:
Ptolemæus Lagis ſucceſſor,
Poſt brevem libertatem moleſtius vobis jugum impegit.
Nil purpura voracius:
Hic purpuratus, poſt Ægyptum Syriam cupit.
Religionis imitamento ſacrificium prætendens,
Templum diripit.
Deerat hoc etiam miſeris, Regum pietatem timere.
Ad Aram eandem
Populus pro latrone vovet, latro populum devovet.
O pertinax Hebræorum munificentia!
Se nudant ut Templum ornent, toties nudandum.

Quid erat aliud Sionius collis, quam Barbarorum fodina?
At ne avarus prædo videretur,
Si Hebræorum Gazas, non ipſos raperet;
Centena civium millia catenis oneravit.
Itaq; totum Ægypti ferrum, Judæi;
Totum Judææ aurum, Ægyptij ſecum tulere,
Sed triſtia lætis rurſum mutata.
Vacavit aliquando Africa monſtris?
Ptolemæo Lagidi Ptolemæus Philadelphus ſuccedit,
Rudi eruditus, ideoque benignior,
Cujus beneficia proximus hic lapis ſervat.

JESUS
SIRACIDES.
MEMORIÆ.

Æternitati.
Ptolemæus Philadelphus,
Suaſore Phalerio Demetrio,
Alexandrinam bibliothecam unico libro cumulaturus,
Moſis volumen, ſcitoſq; voluminis interpretes,
A Pontifice Maximo Eleazaro precatur.
Ut impetret, captivos donat:
Et Hebræus liber, liberos fecit Hebræos.
Quantum Phalereo debeat Eccleſia, vides.
Tot habuit ſtatuas, quot annus dies;
Tot meruit, quot æternitas annos.
Immò attoniti liberti, ſpirantes Phalerei ſtatuæ fuere.
Hujus officiis ingens miraculum vidit Pharos:
Duos & ſeptuaginta interpretes,
In Erythræo litore domunculis diſcretos,
Patrium Bibliorum idioma, græcè vertere;
Tantâ ingeniorum conſpiratione,
Ut ne de ſyllaba diſcordes reperti ſint.
Dixeris, aut tot manibus unum præfuiſſe caput;
Aut tot capita una ſcripſiſſe manu.
Unilingues fuere, quia unicordes.
Pretioſiorem unionem nuſquam viderat illud mare,
Unionum ferax.

Nova

Nova res, & miraculo ſimilis,
Inter Hebræos concordia, inter Græcos veritas.
Nimirum, aderat inter interpretes Jeſus,
Cujus nomine veritas ſibi conſtat;
Quæ ſemper eadem, atq; una.
Hoc ſuus teſtatur Eccleſiaſtici liber,
Qui unus omnibus conſonat, & omnia dicit.
Ex uno interprete omnes diſce.
O docta capita; ſua ſcriptili papyro,
Qua Pharij Reges coronantur, laureanda!
Nec improvide librum edidere,
Ubi turrita Pharos fidum nautis lumen oſtendit.
Nam per fallaces Rabinorum Syrtes,
Errore vario jactata ingenia,
Voluminis hujus lampas in rectam ducit;
Et Gentilitati naufragæ prælucet.
Huc proram obverte, & anchoram fige.

ELIUD
ACHIMI FILIUS.
ELEAZAR ELIUDI FILIUS.
CONSOLATORIA.

Deterrimo urgentur Sæculo ſanctiſſimi Heroes.
Eliud & Eleazar.
Debuit tota nequitia ſe proferre,
Integra Inſtauratori materia.
Ad Homines feſtinat ſalus, quia ſcelera ad metam.
Hoſtes pariter & carnifices inſtant.
Brevi, Martyrum Sæculum eſt.
Quorum ſanguis Meſſiæ prælucet, Soli aurora.
Barbarici ferri magnes Templi aurum fuit;
Toties raptum, & rapiendum.
Infelix metallum: nullibi tutum, ne in Templo quidem.
Meritò pallidum, quòd ubicumq; inſidias paveat.
Sacra hujus fame captus Seleucus, Heliodorum immittit:
Qui Angelorum flagello tactus, intactas opes relinquit.
Ac ni Onias oraſſet, invenerat latro pro loculis loculum.

Succe-

Succedit Antiocho felicius;
Qui Oniæ Pontificatum licitantibus vendit.
Atq; ut ſacra dignitas dignitatem amittat,
Coronam ponit ſub coronâ,
Vileſcente Apice quod pretio emittur.
Tum direptam Urbem mortibus implet:
Octingentis Civium millibus intra breve triduum cæſis,
Totidem vinctis, aut ſubhaſtatis.
Feralis haſta, quæ turpius vendit, quàm ferit.
At fœdiora perPhilippum & Apollonium præbet exempla.
Qui præmiſſa pace bellis pejore,
Luce ſacra vacantem Theatro Populum contrucidant.
Et undante ſanie, naumachiam faciunt ex palæſtra.
O luctuoſum ludicrum, & feriæ inferiis proximæ!
Mala Ædilis Mors eſt; ex cædibus ludos facit.
Neque hoc ludicro contentus Antiochus;
Certante cum Theatri arena peremptorum numero
Extritæ frontis Senem delegat.
Cujus ætas ſcribitur, ut vulpem de illo noſcas;
Nomen ſiletur, ut totus pereat.
Antichriſtum citra calumniam voces.
Hic aram caſtiſſimam probroſo inceſtans Idolo,
Hebræorum reliquias à patrio ritu deterret.
Gaude Pietas. Virtutes uti nubes, colliſæ fulgurant.
Videbis nonagenarios, fœminas, infantes,
Sacro etiam bello devotos Machabæorum Duces;
Libertatem retinere, non ſanguinem.
Vos verò integerrimi Chriſti Proavi,
Eliud, & Eleazar, in Bethlehem ſecedentes,
Exilium ferre maluiſtis, quàm mereri.

ELEAZAR
PROTOMARTYR. EX LEVI.
CONCIO.

Hic ille eſt Longævus Levita,
Qui à Sene Antiocheno porcinam mandere juſſus
Rogantes amicos ut ficto obſequio mortem fugeret,
Tali concione increpavit.

Quod

Quod ſuadetis, amici, etiam hoſtis ſuadet.
Bona fide ad cœnam vocatis; quam Tyrannus parat.
Ego perjuris faucibus ſuillas dapes invadam,
Hoc ipſo virulentas, quia proſcriptas?
Hoc ore leges violem, quo legem doceo?
Næ, dignus ſim Bruto apponi, quod mihi apponitur.
At moriar. Quid ni?
Neceſſarium utriq; malum minatur annoſus Tortor,
Solvendum ſemel hoc vitæ penſum;
Quod qui perendinat, Morti fœneratur, diu moriens,
Non æſtimat annorum meorum pondus,
Qui Morte me leviorem putat.
Nonaginta me illaqueant anni.
Hanc effugere nec poſſum velle, nec velim poſſe.
Veteranam Eleazari pietatem terga vertere?
Pulcherrimam vitæ fabulam in extremo actu corrumpere?
Sine fruge hac frondem aravit tempus, niſi aureolam meto.
Quin ſi me intactum fata præterirent,
Nunc occurrerem fatis, ut patriis pro legibus caderem.
In hoc naſcimur, ut honeſtè cadamus.
Tunc dignum eſt mori, cùm indignus es mori.
At nimis durus videor? erratis.
Scabræ cuti tenacius hærere ſpiritus ſolet.
Tamen hunc moriendi metum pellit peccandi metus.
Hic ipſe ſemimortuus confector meus conſtantiam docet,
Qui pene effertur, efferens me.
Cur ferre verbera hac ætate non poſſim, qua ille poteſt infligere?
Tam contra ſenectæ mores crudelitas eſt, quàm fortitudo.
Pudor ſi ſit naturæ imbecillitas,
Vitio ſuppletur, non virtute.
At non onerat novitas meum caſum.
Jam dudum in hoc ſum initiatus.
Sacerdos ſum: mei muneris eſt ſanguinem fundere;
Neq; ſemper minoribus victimis operor;
Ignavus Myſtes, & de alieno tantùm pius?
Tot Hoſtias feci, ut ſemel Hoſtia fieri diſcerem.
At ſimula; eſum finge, labris illude;
Obſequii imitatione circumſcribi Tyrannus poteſt.
Addamus & velle; quid hoc erit:
Amici ſimulationem ſuadent?

Videte

Videte, ne fictus amor ſit, qui docet fingere.
Nil ſimulat ſenectus; ne ſe ipſam quidem.
Fidei colorem oſtendunt cani.
At Græcus proditor ſimulationem ſenectâ ſuâ dignã putat,
Poſt fidem perimens, immò per fidem. Eſto.
Nobis cavendum, ne Atticæ fidei ſimilem faciamus Hebræã.
Religio meretrix non eſt: pigmenta reſpuit.
Peccat non ficte, qui ficte peccat.
Ignoratis convivales amici,
Quales oculos in pectorum ſecreta Numen immittat.
Conſtat de commentario quid ſapiant inpermiſſæ dapes.
Hâc rima mors inceſſit.
Brevi. obſequi neceſſe eſt, vivere non eſt neceſſe.
Malo eſſe eſca, quam tales eſſe eſcas.
Eamus Tyranne: nemo me trahet; omnes antecedam.
Mortem apparâ:
Bene cautum mihi eſt; non poſſum totus mori.
Virgas expedi:
Solùm pulverem excutient; & hunc reparabilem.
Quate, ſicca, reſeca:
Vulnera ipſa vulnera:
Tanto ociùs hoc ſervitutis clauſtrum perrumpes.
Rempublicam fulcire integer nequeo, fractus potero.
Valete amici, aliquando laudabitis quod timetis.

MATER MACHABÆA
MARTYR. EX LEVI.
ICON.

Muliebris hæc Statua, conſtantiæ Imago eſt.
De nomine nihil certum: miracula nomen non habent.
Atqui miraculum eſt, conſtans Fœmina.
Saxeam Niobem fortaſſe voces.
Nam Filiorum ſeptem funera proſpectans, ſic ſtetit.
Sed Niobes à Cœlo, hæc pro Cœlo diriguit.
Extincto grandævo Eleazaro,
Anus intrepida ante Antiochum ſiſtitur.
Hoc deerat ad Hebræam gloriam,
Ut colus numeraretur inter trophæa.

Con-

Contra legiones, Filiorum manipulum ducit.
Numerum ſonorum, atq; concordem.
Hanc gladiatoriam familiam ſanctiſſima Laniſta erudit,
Una die ſpectaculorum hebdomaden præbens.
Ite, inquit, ô meum agmen,
Hoc vultu quo Fœminam videtis.
Docete non ſolas Lacænas viros parere.
Mei Liberi non eſtis, niſi eſtis liberi.
Circumſtant Matrem ſeptena illa capita.
Hydram diceres ferri avidam.
Clarior nulla conſtitit Conſanguineos invidia:
De ſupplicio rixantur:
Nec mors timetur, ſed mora.
At ne perturbatè peccet Antiochus,
Ordinem tenet in ſcelere.
A grandiori crudelitatem auſpicatur:
Ut iiſdem gradibus orba fieret, quibus fuerat Mater.
Aſtanti Puero cibos apponit, ab Eleazaro recuſatos.
Hoc ſufficit, ne attingat.
Averſanti linguam præcidi jubet.
Nam prima Tyranni cautio eſt in linguas.
Quid agis Antioche? ex lingua calamum facis.
Cruentum hoc fruſtulum terram ſignans,
Fortiora ſcribet, quàm loquatur.
Poſt linguam manus poſtulatus,
Citius porrigit, quam jubetur.
Et hoc Tyrannicum eſt, manus formidare poſt linguas.
Cecidit ſub ſecuri ſecura dextera:
Mortua illa palma, palmam rapuit:
Et ſecta manus cœleſte iter Fratribus indicavit.
Parum fuit indicaſſe, niſi veſtigia ſignaret.
Ergo etiam pedes amputanti porrigit:
Sine his citius perventurus quo tendit.
O vera Hermetis effigies, recti terminos ſignatura.
Sed hæc mortalitatis ludibria, propoſiti tenax,
Totus & ſenſim adverſa cute deglubitur.
Mortuos non amat Tyrannus, ſed morientes.
Stupet triumphalis Ephebus ſe extra ſe exiviſſe;
Non alio ſenſu, quam ſi dormiturus ſindonem poneret.

Dictu-

Dicturus ſi poſſet,
Non eſt in cute mea virtus: hanc numquam curavi.
Tene Barbare: nil habes mei niſi vaginam.
Hanc etiam amittes, ad me redituram.
At ne ſic quidem mollitus, bulliente in olivo frigitur.
Si ſartaginem audis,
Neſcias, oleumne querulum gemat,
An ipſo in oleo tripudiet Martyr.
Nemo ſanè inter unguenta majore luxu diffluxit.
O dolorem voluptatum pleniſſimum!
Quid enim Martyrium, niſi beneficium malo animo factũ?
Sic oleum & operam in primo Tyrannus amiſit.
Succedunt ordine reliqui;
Et exemplum capiunt daturi.
Alterius oleum, alterius palæſtræ ceroma eſt.
Singuli fraterno martyrio donantur, & ſuo.
Omnes antiquæ veritati linguas immolant.
Omnes in fidei ſpecimen Deo dexteras donant.
Omnes ad Olympicam palmam ſine pedibus currunt.
Omnes ſartaginis oleo ad Regnum ſacrantur.
Unâ omnes, ſeptemplicis inſtar lychni, Matrem circumſtãt.
Plùs dico: omnes in ultimo ſpiritu loquuntur elingues,
Funduntq; de ſartaginis tripode oracula,
Delphicis meliora.
Mirantur Græci tam ſolida Hebræorum effata:
Quibus nec ſuos ſapientes comparent, niſi numero.
Quæris num fleverit Mater?
Non plus quàm hic lapis.
Suas lacrymas alienis in oculis ridet.
Spectat ſuos Heroas, ſpectata Herois,
Se ipſam in ſingulis miratur:
Et ſingulos tuetur, dum intuetur.
Afræ volucri ſimilis, quæ alumnos obtutu format.
Sic uno die ſepties Mater, & Martyr;
Poſt ſeptena Filiorum funera exarſit;
Et Planetarum numero addidit firmamentum.

RA-

RAZIAS
EX LEVI. MARTYR.
ETOPEIA.

Audi, Viator, inauditam ad libertatem viam.
Ducente virtute, quâ vitium eſt ſequi.
Sperabat Eupatoris Præfectus devinctam Judæam,
Si Raziam ligaret.
Hic ad catenas quæſitus, confugit ad ſuum gladium,
Sed non egit pro voto,
Anguſtiore aperto vulnere,
Quàm quo ingredi tota Mors poſſet,
Hoc more Mors eſt, cita invitis, ſera optantibus.
Ergo inſtante Cohorte, ignavum objurgans ferrum,
De muro ſeſe permiſit.
Non eſt hoc ire, ſed præcipitare ad libertatem,
At eliſis retrò cervicibus, ne ſic quidem moritur.
Puduit animam à tergo exire:
Vel tantæ animæ nullus exitus ſatis patuit.
Trajicit ſe per frequentiam fractus & integer:
Saxumq; pro concione inſiſtens ſuggeſtui ſimile,
Trepidos Cives ad libertatem hortatur.
Ac ne verbis deſit pondus,
Sua ipſe viſcera de vulnere penſilia diſſipat:
Et plenâ manu ſupra populum ſpargit.
O vivacem fortitudinis naturam, quæ ſuis de vitalibus ludit.
Scrutatur ſecura dextera penetrales animæ ſedes.
Tot alte integumentis demerſa pectoris ſacraria,
Quæ nemo ſpectat impunè, manu ducit, & vulgat
Vivis pectoribus calentes exuvias prædatus,
Laceratur qui lacerat, vulnus patitur qui facit:
Et palpitantia viſcera, ut non ſua, frangit, ut ſua donat.
Capite, inquit, *Cives*, *Hæc mea libertatis trophæa ſunt.*
Hic animus ligari non vult; ne fibris quidem.
Vitæ nodos & ligamenta projicio.
Quæ roſtra veriore declamantis facundiâ perſonuerunt?

Non hæc Suadæ medulla eſt ſed metullarum ſuada:
Superavit actri Senis vota:
Ille loquentium pectus de rima introſpicere optavit.
Hic, apertus Orator,
Non tam vocem quam vocis organa oſtendit:
Simulq; ad Auditores verba mittit & viſcera.
O felicem Populum, Argure libertatis Razia!
Qui ſuamet extra, ſacrifica manu tractata, conſulens,
Omnia libera, & ſecura pronunciat.
Actum eſt de tua tyranide Antioche:
Horum hominum ingenuitatem non coges.
Quid enim? Portas objicies?
Libertatis clavim manu tenent, pugionem,
Muros? Ad libertatem murus eſt gradus.
Catenas? Difficiliùs eſt ſua inteſtina proſcindere.
Jugum? Hæ cervices frangi poſſunt, non flecti.
Inediam? Poſſunt ſine viſceribus vivere
Viſcera ipſa exiges? Ultrò ejaculantur.
Puto etiam ſuos nervos arcubus ſufficient, ut feriant.
Ah quid Amore libertatis ingenioſius, ac ſævius,
Titiano immitior vulture, ſuum ſcalpit pectus.
Vis amorem pingere?
Raziam in ſaxo pinge, ſua viſcera dividentem:
Eviſcerati Amoris ſymbolum eſt.
Errant qui Patriæ Patrem vocant hunc Senem
Magnam Matrem veriùs dixerint:
Nam latè fuſis viſceribus Cives amplexus,
Omnes ſuos liberos fecit.
Utinam imſperſilia hæc fruſta Civibus innaſci poſſent:
Nullum verius fortitudinis ſemen eſt jactum.
Voluit igitur poſt declamationem mori.
Ut integrum animum ſemianimi Populo legaret.
Atqui, tardante Atropo,
Vitæ ſuæ filium ipſe præcidit.
Et nullas Fato gratias debuit, ſed ſibi.

MATHATHIAS
EX LEVI.

NEME-

NEMESIS.

O Cœlitum ſtrenuiſſima Nemeſis;
Empyrij Numinis & anxiæ Neceſſitatis Filia:
Dic quales aculeos Levitarum patientiæ ſuffixeris,
Ut Martyria Marte mutarent.
Scio: Poſt enormem Sanctorum ſtragem,
Solitudine in Civitatem ingreſsâ, in ſolitudinem fugerant Cives.
Quâ nulla infelicibus felicior patriâ.
Tu de Cœleſti prætorio delapſa Virgo;
Pontificem Mathathiam in cinere jacentem ſic accendiſti,
Quid agis cinerarie Senex?
Hoc cinere Zelum ſupprimis, qui æternus eſt focus Sacerdoti commiſſus?
Occidi cupis, cum liceat occidere?
O ingloriam fortitudinem, quæ pati tantum poteſt!
Ergo ut vivat Religio ſanguinem totum dabis?
Hoc ipſo peribit exanguis.
Cape in armatos arma.
Miſeri fiant, qui Miſeros faciunt,
Sentiant hoſtes adhuc te vivum.
His monitis perpunctus Mathathias
Sine Populo Princeps, Pontifex ſine Templo,
Se, Filios, familiam,
In ſacram militiam contra Tyrannos conſcribit.
Tu interim divina Nemeſis;
Pro belli ſigno, bellum dediſti,
Commiſſis alto in æthere flãmeorum equitum cohortibus,
Aureis inter ſe armis dimicantium.
Indubio victoriæ auſpicio: quid enim auro inexpugnabile?
Horruit tua conſilia Tyranni Prætor Apelles
Verſuſq; ad crudelitatis alterum genus, clementiam;
Blanda ſpe Mathathiam Idolis conciliare tentat, non nimis.
Sed nihil ſperat, qui nihil timet.
Hic non Deum deſerit modo,
Sed deſertorem Judæum, Idolis adolentem,
Ipſâ in arâ jugulat:
Oppreſſurum quos impunè aluerat ignes.
Tum ferrum in prætoris pectus intendit, cujus oculos ſpreverat.

Ut peccandi author, cum peccat, miniſtro plecteretur.
O meritas vices!
Sacerdos Judici carnifex; Judex Sacerdoti fit reus.
Neſcio ad quem pertineant hæ victimæ.
Sane Deo cadunt à Dæmone rapiuntur.
Rediit ex his vulneribus in Religionis venas ſanguis.
Reſpirarunt Judæi ipſo flatu, quem Prætor exhalavit.
O quantulis ex rebus quanta pendent!
Calamitas & beatitudo, ſola pugionis acie diſtabant.
Succeſſu animoſior Pontifex.
Ad Dei partes Populum vocat.
Vox claſſicum fuit, vexillum pugio.
Egiſti ſub ea ſigna Aſſidæorum academiam,
Fortiſſimum genus, quia Sanctiſſimum.
Græci, ex leonibus vulpes, ad patrias artes confugiunt.
Aderant ſeptimæ lucis ſacra otia:
Tum feriatum Hebræorum Martem laceſſunt Barbari.
Heu miſera ignorantiæ conditio!
Judæorum pleriq; ignavi, quia ignari.
Sabbati quàm ſui tutelâ religioſiores,
Cædi malunt quam cædere.
Tu intrepidâ intempeſtivæ pietatis morâ,
Surge, inquis, *Mathathia: Sabbatum Marti conſecra.*
Quietis dies eſt, non inertia.
Nec ulla dulcior quies, quam ſub palmâ.
Ipſa Impiorum cædes
Feſtum diem faceret, niſi eſſet.
Beaſti ergo te horribili ſpectaculo indignabunda Virago.
Fregiſti properante curru Græcorum cumulos,
Manente magnis in vulneribus orbitâ.
Ex eodem cruento gramine
Equis pabula, crinibus gramineam exhibuiſti.
Ac ne lætitiæ funalia deeſſent,
Templa cum Myſtis, Idola cum Idololatris incendi jubes:
Nec citiùs jubes, quàm incenduntur.
Quicquid irreligioſum erexerat Græcia,
Ne adoretur, aduritur.
Tu inter illa incendia dirum ſubridens,
Fruere, inquis, *Antioche, promerita hac luce.*

Potes

Poteſt jam vero cognomento Illuſtris fieri.
Sic Barbarum jugum excutit Mathathias,
In cujus unam domum, Judææ virtus translata.
Tum fatali bello confecto, fato conficitur,
Palmas numeraturus, quas præmiſerat.
Tu ad Cœlum converſa, & mucronem lambens:
Io, inquis, *Superi.*
Nihil unquam dulcius bibi.

JUDAS MACHABÆUS
MATHATHIÆ FILIUS.

TROPHÆA.

Parcite tantiſper undis laſſati Remiges,
Ne venerabile hoc littus illaudatum recedat.
Inſignis ille Obeliſcus, Modinæo ſolo apicem imponit,
Machabæorum cunis & ſepulcris beato.
Ingentes illæ columnæ armis graves
Cœlo ingerunt quicquid formidaverat tellus.
Inter hæc Trophæa Judæ Mauſolæum ſurgit.
Qui ſacro & militari miniſterio bis Princeps,
Majora, quam geri poſſint, geſſit.
Dignum corpore Animum res geſtæ docent:
Dignum Animo corpus. Gigantea monſtrat lorica.
Huic pro patriâ lege contra Barbaros accincto
Univerſa militavit Natura.
Angeli armis, Aer ſpectris, Somnus præſagiis.
Mortuos etiam ſortitus Auxiliarios,
Ab Ozia animatur, armatur ab Jeremia.
Deus ipſe tanto Imperatori centuriatus,
Fulmineâ manu Fecialem ſe præſtitit.
Ut crederes Deum pugnare, Judam imperare.
Quin ab ipſo ſtetere Hoſtes;
Nam fulguranti Judæ obtutu dementantes,

Cæco ludo inter ſe mortes diviſere.
Hoc fuit Judæ pugnare, funebres ludos facere.
Claruit Virtus trium Tyrannorum periculo,
Epiphanis, Eupatoris, Demetrij:
Quorum primum ſolo nomine exterruit;
Alterum pugnando exanimavit; Tertium agitavit extinctus.
Nicanorem trium Regum Prætorem, ter inſurgentem,
Primo congreſſu nudavit, ſecundo fugavit, tertio occidit
Ab Apollonio ſanguinem exegit:
Cujus gladium Sanctorum cæde impium, impiorum cæde expiavit.
Seonem, Ptolemæum, Gorgiam,
Syro, Græco, Aſiano exercitu circumvallatos,
Dum ad ſpolia convolant, ſpoliavit.
Timotheum & Bacchidem, blanditiis quã minis ferociores;
Menelaum & Alcimum, Mitra & Galea male uſos;
Ne ſemel perirent, ſæpius fugavit.
Idumæis palmas eripuit; Arabibus oleas conceſſit;
Fulminis more in obluctantia ſe exercentis.
Octoginta milia ſub Lyſia,
Centum quindecim millia ſub Antiocho,
Centum viginti millia ſub Timotheo,
Exiguâ manu, Ogygiâ ſtrage diſperſit.
Sic, numero impar, ſucceſſu major, cauſa melior,
Bella omnia lugendo concepit, ludendo confecit.
Victoriarum loca ſi quæris, Judæum Urbem diſcurre.
Rebelles Galaaditarum Urbes currente incendio deletæ,
Poſteris inſtar perpetuâ flammâ viam ſignantis.
Idola omnia immolata; immolatores omnes mactati.
Ut Dæmonum opprobria nunciarent Inferis.
Gazaræ præſidium Jeroſolymis æmulum,
Viginti non amplius commilitonibus patefactum.
Ferox Maſpha contrucitatis maribus evirata,
Altiſſima Caſphis, ideoq; ventoſæ linguæ,
Civium ſanguine ſtagnum auxit, eâ die non ſtagnum.
Carnion ſitu, Ephron civibus vallata,
Didicere, impietatem, nec manibus, nec manibus tutam.
Joppitarum, Jamnitarumq; malefida navalia ſuccendit,
Fecitq; è portu Pharum, ſuiſmet navibus metuendam.
Jeruſalem ſepties defenſam, quatuor triumphator ingreſſ...
Super-

Superſtitione, ac ſanguine pollutam Dei Domum,
Novis natalibus dedicavit.
Æternæq; lætitiæ imagine,
Tabernaculorum feſtam diem quotannis reverti juſſit
Fortius nihil agere poterat: debebat & fortiter pati.
Itaq; Urbe donato imperio, quod in ſolitudine invenerat;
Hebræo cultu, Græcâ pace, Romanâ ſocietate
Patriæ feliciter arogatâ;
Domeſticis malis, ut victores ſolent, extinguitur.
Ex illo tantum ſanguine conſtitit hominem fuiſſe.
Huncigitur digniſſimo omnium loco,
Sua inter Trophæa, mœſtiſſimi Fratres compoſuere:
Erectâ ingenti Pyramide, virtutum metâ;
Situ & mole Nautis conſpicuâ;
Ut votis aſſueſcens Judas, Æquora placaret poſt terras,

JONATHAS
JUDÆ FRATER.

POLYTICON.

In Juda quid divinum robur;
In Jonatha quid humana prudentia poſito
Viator diſce.
Parando Regno plus virium; ſervando plus ſolertiæ requiritur.
Regnabat Aſiam interfector Antiochi Demetrius.
Aſiam repetebat interfecti filius Alexander.
Inter Aſiæ Procos meritoria proſtabat Judæa.
At qui ſe geſſerit Jonathas, dicam.
Audiant Principes majoribus intercluſi.
Urbanis tunc diſſidiis agitabatur Jonathas;
Nam Juda cæſo, ad victorem Bacchidem vulgus defecerat:
Et alterius Fratris cruorem ſparſerant Jambrenſes.
Adeò Leoni mortuo inſultant lepores.
Itaq; in Urbe Urbes erant; & nullum caput quia multiplex.
Utriſq; imminebat jam victor Jonathas:
Jambrenſibus lanceas inter lances,
Bacchidibus tumulos inter thalamos intulerat:

Ut pari ſomno, acerbantes & cubantes, occumberent,
Hic igitur externas rixas odoratus, civiles ſtatim compoſuit:
Et fraternæ ultioni præpoſuit pacem.
Actum enim de Imperij ſalute cum inteſtina ſolvuntur.
Rebus domi compoſitis utrique externo videri utilis cæpit,
Exiguo quippe momento victoriæ lances inclinantur.
Quid eligeret Jonathas?
Inter Geminum Martem neutri accedere intutum.
Utriuſq; alia ſuper te curret, niſi Judas.
Aut unum perditurus es, aut à duobus perdendus.
Ergo æſtimatis hinc illinc viribus, fortiori plaudens,
Iungitur Demetrio Ionathas contra Alexandrum,
Solerter. E factionibus urgenda ſemper infirmior.
Ni à Brutis doceri pudet, canes docent:
Qui rixantibus ſuperveniunt, macilentiorem allatrant.
Sed in fœderis pretium milites petit, obſides repetit,
Quos cum Sionis Arce tenebant Græci.
Hoc ſtatim ſatage, ut Mars finitimus tibi ſit frugi.
Inter aliena negocia, tuum matura.
In turbido naſſa mittitur.
Poſt paulum, fortuna bellicas ſortes verſante,
Jam fortior Alexander præmiis ſollicitat Jonathan,
Pontificatu, coronâ, Purpurâ.
Iungitur Alexandro Ionathas contra Demetrium.
Qui primum tantum claſſicum audit:
Nam velocior ut fugeret, à tergo vitam reliquit.
Levem credideris Jonathæ fidem? non fuit.
Norat Demetrianum ingenium, injurium, & perjurium:
In pugna Comes, in pace hoſtis, exſpectabatur.
Fœdus ferierat, ut fœderatum feriret.
Solvit quippe felicitas neceſſitudinem, quam neceſſitas ſtringit.
At rurſum mutata ſcena,
Demetrij Filius, Ptolemæi Soceri armis præpollens,
Alexandrum interpellat.
Iungitur Demetrio Ionathas contra Alexandrum.
Quem fugacem Arabicus gladius invenit.
Non fuerat melior Alexander, ſed utilior.

Pelaſgi

Pelaſgi omnes.
Judæis fidem non ſervaſſet, qui oderat Judæam fidem.
Capiendus ergo fuit, ne caperet.
Nec interim parvo lucro:
Nam vel annuente, vel non renuente Demetrio,
Hebræam immunitatem, & Judeæ fines aſſequitur.
Hieroſolymæ arcem vindicat, minax munimentum,
Quod Urbis jugo impoſitum, Urbi jugum imponebat.
In æſtuario non dormiendum.
Neq; hic ſtetêre vices.
Patrios ulturus cineres Puer Antiochus,
Auguſtioribus præmiis Jonathan demeretur.
Iungitur Antiocho Ionathas contra Demetrium.
Quo ſtatim fugato, ſecuritati conſulens,
Urbem muris præcingit.
Hoc agendum cum malæ fidei muneratore.
Beneficium cape, cave à benefico;
Ut ſuummet munus timeat, ſi repoſcit.
Poterat huic fortunæ acquieſcere,
Si quieſcere poſſet fortuna.
Tryphon Antiochi Præfectus,
Regni dulcedine captus quod Antiocho acquiſierat.
Aſianæ libertatis ſpe Jonathan mulcet.
Iungitur Triphoni Ionatha contra Antiochum,
Sic callidus Heros, cum Græcis græciſſans,
Inter præſentem Hoſtem, & futurum:
Altero alterum trudens,
Aliquid ſemper ex utroq; libavit.
Sed heu cæcam Polyticorum ſapientiam!
Nemo omnibus horis ſapit; ne Jonathas quidem:
Quem Pelaſga ſcilicet fide recepit Triphon:
Receptum, vinculis ſuo fœdere ſtrictioribus, occupat:
Occupatum cum Filiis immolat:
Et alterius oculos, alterius cæde funeſtat.
Inclytus tamen Hæros, nec Judâ minor.
Nam ſi utrumq; conferas, dices.
Deum pro Juda militaſſe, Jonatham pro Deo.
Extinctum flevere Populi,
Magis ipſi deſlendi.

ELEAZAR
JONATHÆ FRATER.
EMBLEMA.

Eleazari tumulo inſculptus Elephas,
Magnanimæ mortis emblema eſt.
Sic periit, ut tumulatur.
Hæres paternæ perfidiæ Antiochus Eupator,
Aſiam moverat contra Judæam:
Ne homines tantum, ſed elephantos conſcripſit:
Bellum non ratus, niſi Belluæ pugnarent.
Incedunt ordine horrifico mortis bajula monſtra,
Premente humeros machina, viris preſſa.
Ut arcem arci impoſitam putes, ferream carneæ,
Tubam & telum deformibus exerunt buccis.
Totaq; Judæorum jacula barritu provocant, cute refellunt.
Nec feræ tantum, ſed ferarum ſarcina militat.
Nam barbari plus triginta, ſingulorum tergo impoſiti,
Suorum ictuum ſecuri ſpectatores,
Funera laudant quæ faciunt.
Tot beſtias una geſtat, neq; dixeris utra major,
Quæ geſtat, an quæ geſtatur.
Sanè ab Hominibus Beſtiæ ſævire diſcunt.
Quippe acuendo furori illarum oculos miles inebriat.
Propoſito uvæ ſanguine, humanum imitante.
Nova res, purpureò incitari Elephantos, non albo.
Sed fortaſſe ſanguinem ſitire à ſuo Tyranno didicerant.
Una præ cæteris, mole ornatuq; ſuperbior,
Regalibus exuviis loricata,
Regem teſtabatur inſeſſorem.
Hanc Eleazar virtuti ſuæ ſcopum deſtinat.
Sic eunt humana: in conſpicua collimatur.
Ergo per obſtantes cohortes viam rimatus:
Hinc inde ferream capitum ſegetem ferro demetens,
Per hominum vulnera ad Beſtiam venit.
Quam tamen invenit telis imperviam;
Nam genuinæ ſoliditati, ſquammoſæ acceſſerant bracteæ

Arma-

Armatum ſcopulum, aut mobile armamentarium dixiſſes
Sed habent etiam maxima quâ petantur.
Succedit ſtylo diſtricto Eleazar,
Cataphractæ pecudis inermen uterum ſuffoſſurus:
Ut uno lapſu duo caderent,
Tyrannus de mole; ipſe ſub mole; uterq; ſua morte.
Nam ſæculi fatum eſt,
Bonos opprimi, malos ruere.
Procumbit furtivo ictu eviſcerata Martis fera:
Evertitur prono armo ferrata turris;
Cui puſillus pugio fulmen fuit.
Sparguntur humi præſidentes Barbari:
Victor ſuperincidentis Beſtiæ ruina teritur.
O qualis Machabæorum libertas!
Malunt ſub Bellua frangi, quam vivere ſub Tyranno.
Sed heu fruſtrata virtus!
In Elephanto Antiochi arma erant, non Antiochus.
Loricam telis objecerat pectore vacuam.
Hic mores Tyrannorum:
Arma geſtant, non animum.
Timent non timentur.
Ergo Eleazar Antiochum petiit, ſed pro Antiocho periit Beſtia:
Pro ſimili ſimilis, immò idem.
Uterq; fera? uterq; duplici corde, & excors.
Sed Elephas inter Bruta Rex eſt, iſte inter leges Brutum.
Gaude feliciſſimo iſto errore magnanime Martyr.
De Elephanto, non Tyrannum, ſed Tyrannidem dejeciſti.
Habes quod optas:
Sentis ex trophæi pondere victoriæ magnitudinem.
Novo ritu triumphaturus.
Nam cæteri Elephanto vehuntur, tu ipſum vehis.
Non potes vulgari funere involvi Sanctiſſime confector.
Mortem inter optima inveniſti.
Ornant te inſignia, quæ te onerant:
Et extinctus Regem ſpolias.
Nec tumulum cura; Elephanto tegeris pro mauſolæo.
Neq; incidendo emblemati petenda procul ſegmenta.
Debellatus Elephas ebur miniſtrat.

SIMON

SIMON
ELEAZARI FRATER.
DIPLOMA.

Bonum factum.
Anno Græcæ Tyrannidis CLXXVII. Menſe IX.
Non immemor Senatus Populusq; Judæus,
Quantum Simoni, Machabæi divinis virtutibus debeat.
Prudentiæ:
Quæ Parentis optimi judicio, cunctis mortalibus anteferendus,
Fortiſſimis Fratribus perpetuum Conſul aſſedit.
Pietati:
Quâ paterna germanaq; buſta,
Honorificis molibus incluſit.
Charitati:
Quâ nutantem fraterno caſu Principatum in ſe recepit:
Domeſticis licet exemplis monitus quanti purpura ſtaret,
Religioni:
Quâ ſupremo Pontificis faſtigio impoſitus,
Profanos cum Templo animos depuravit.
Strenuitati:
Quâ ſacræ militiæ nuncupatus,
Septem Tyrannorum conatus, aut eluſit, aut eliſit.
Felicitati:
Quâ Hieroſolymitanam Acropolim potitus,
Pacem Hebræis inſuetam exhibuit.
Munificentiæ:
Quâ Rempublicam ære & ſanguine inaniſſimam complexus,
Suo auro publicum ferrum conflavit.
Providentiæ:
Quam rem agrariam maritimamq; turribus Protubuſque communiit,
Ut tellus & unda tuto ſulcarentur.
Majeſtati:
Quâ, vultu, habituq; corporis Semideo ſimilis,

Athe-

Athenobium Tyranni emiſſarium attonuit.
Vigilantiæ:
Quâ Quiritum ſocietate opportunè procuratâ,
Ab Romanâ Aquilâ auxiliare fulmen obtinuit:
Denique Fortitudini: (ceptus,
Qua ingratiſſimi Generi proditorio epulo receptus, & de-
Suum, duorumq; liberum, fidelem ſanguinem dedit,
Ob ea promerita;
Atq; ut Virtutum tantarum notæ
Æmulationi ac ſolamini extarent;
Hoc monimentum,
Honorarias in tabulas immortalibus literis referri,
Easq; Gazophilacij Templiq; frontibus affigi,
Decrevit.

JOHANNES HIRCANUS
SIMONIS FILIUS.
EPILOGUS.

Requieſce parumper, Viator.
Antiquioris Teſtamenti volumen ad calcem devenit.
Cum Orbe nata Orbis Hiſtoria,
In Joannis præconio ſiſtitur;
A præcurſore Joanne redordienda.
Idem nomen, Synnagogæ Heſperus, & Eccleſiæ Phoſphor*,
Priori libro exodium, poſteriori exordium præbet;
Et paginam utramque compaginat.
Conſonant enim ſibi divina: extrema primis reſpondent.
Æternus igitur Scriptor,
Pro exacti operis colophone
Memoratorum Principum virtutes in Joanne collegit,
Ut omnes in uno ligentur, & legantur Principes.
Ac ne brevitas Epilogo deſit,
Triginta annorum geſta, verbis tribus complectitur.
Quid enim de Joanne Hircano narrat?
Sicarios perdidiſſe, ſtrenuè bellaſſe, muros refeciſſe.
Totum elogium, trilogio expeditur.
Plura memorare poſteritas geſtiet. (dimiſit.
Quòd Sororium parricidam, ne matricida fieret, impune
Septi-

Septimum Antiochum pace, tertium Demetrium bello,
Hircanorum ſuperbia, Idumæorum impietate repreſſa,
Ex iis nomen, ex iſtis palmas reportavit.
Hæc, vel inter penſa, canuntur.
At cœleſtis Encomiaſtes, laudes dum ſupprimit, exprimit.
Satis ergo faſtigiis ad Joannis gloriam accedit,
Quòd ipſe poſt omnes, poſt ipſum nemo laudatur.
Eximius planè Princeps.
Qui humanis actis, & divino commentario, metam ponit.
Nam pneumaticus calamus in ultima hac cæra hæſit.
Quis neget magnæ molis fuiſſe Joannis Elogium?
Dei manum laſſavit.
Hoc nempè exarato, reſpiravit divinus Spiritus,
Et feriatum calamum poſuit.
Hic tu quoq; reſpira.
Difficile eſt vera ſcribere, difficilius audire.

NOVA

NOVA
ÆTAS
SANCTI

ELEAZARI FILII

Ex Levi.

Chriſti | linea.

S. Mathan.	S. Panther.	
S. Iacob.	S. Bapanther.	
S. Ioſeph.	S. Joachim.	*S. Anna.*

S. Maria Virgo. *S. Iohannes Baptiſta*

Jeſus Chriſtus Servator.

Digitized by Google

S. PANTHER
ELEAZARI FILIUS.
S. MATHAN PANTHERIS FRATER.
PARTITIO.

Auditis? ſonant divinæ tãdem cognationis optata nomina.
Vicini Servatoris teſſera;
Qui promiſſus ſemper, & negatus, Orbis vota irritat, dum irritat.
Hic Eleazari truncus duos in tramites finditur.
Quorum alter ad Virginem Maritum, alter ad Virginem Matrem,
Uterq; ad miraculum deſinet.
Itaque inſectilis Patriarcharum linea, ut Salus intret, agit rimam.
Nobilitas geminatur. ut germinet; germinat, ut germinetur.
Fœcunditatis terminus Virginitas eſt, Virginitatis fœcunditas.
Debebatur hic concentui conſenſus,
Ut unico Stemmatis amplexu, Homini Deus necteretur;
Et redeunte beneficio, Homo fieret qui Hominem fecit.
Felices Mathan & Panther tanto Nepote:
Cujus propinquâ jam in luce afflati,
Divinarum virtutum fulgorem trahunt ex intervallo.
Nulla tamen eorum virtus clarior,
Quàm quòd ſuas obſcurarunt virtutes.
Nam ſacræ hiſtoriæ nihil commiſit Mathan, niſi nomen:
Panther ne nomen quidem.
Quod, niſi memori Africani calamo effoſum, lateret.
Rarum votum inter ambitioſos Humilitas,
Illo enim Sæculo ſi unquam, claritas crudelitate quæſita.
Ariſtobulus, Hircani degener Filius,
Innocentem Principatum ad Regni invidiam reſtituit:
Primuſq; tyrannico diademate frontem perfricans,
(Neſcius quantum malorum ſub eâ bracteâ occuleretur;)
Securiùs ut regnaret, noluit eſſe quibus regnaret.
Patritios carcere, Fratrem ferro, Matrem fame, confecit.
Nec dilato ſupplicio,
De pectoris venâ ſanguinem vomuit.

Crudelitatis conſcientiam pro vomicâ devoraverat.
Huic Jamnæus, Solome Matris aſtu, ſufficitur;
Fratricidæ fratricida.
Hem quò devenerit Machabæorum gloria!
Hoſtilis olim ſanguinis prodigá, nunc cognati.
Nimirum nullum patrimonium citiùs decoquitur, quam virtus.
Raro ad tertium pervenit hæredem.
Magnæ mentes, amentes gignunt.
Immodeſto igitur Sæculo, modeſti Fratres
Mathan & Panther,
Tyrannicum faſtum è Bethleheme in Galileam fugere.
Optimum quippe in Tyrannos bellum eſt fuga.
Ex in Nazarenâ Urbe, hoc eſt inter Flores,
Nazareo nidificarunt.

S. BAPANTHER
PANTHERIS FILIUS.
S. JACOB MATHANI FILIUS.
NAUFRAGIUM.

Vos quoque geminum Sidus Jacob & Bapanther,
Miſerrimi & Naufragij ſpectatores ex tuto,
Procellarum finem ſerenæ lucis augurio præmonſtratis:
Tenebat Judaici Regni clavum Jamnæus,
Nauticam doctior ex naufragiis.
Nam malè regnando regnare diſcitur.
Ibat ridente malacia, lethumq; Regni navigium,
Et æquatos velorum ſinus ferente Spiritu,
Gaza, Dium, Eſſam, Gaulanum, Seleuciam,
Novo triumpho alligatas onerarias remulcabat.
Sed inſolito ſerena tempeſtas ſuberat.
Acerbo ſtatim letho naviculator demergitur.
Succeſſit Gubernaculo Hircanus alter, Jamnæi Filius;
Idem Magiſter & Proreta; Rex & Pontifex.
Hunc ſubvertere Ariſtobulus Frater adnititur.
Æquali navis periculo,
Sive geminus præſideat Rector, ſive nullus.
Errat alnus in pelago, in alno nautæ.
Duobus imperantibus obtemperat nemo,

Inter

Inter hæc intima navigio mala.
Externorum bellorum inſania hyems ſupervenit
Heſperius Zephyrus, cum Armenio Euro,
Cum Tigrane Lucullus,
Alieno exitio rixantur.
Non capit ſeſe Italicum Mare.
Tyrrhenum in Eoum refunditur, & undas miſcent.
Vorticoſa Charybdis, Antipater,
Per diſcordiarum rimas armorum æſtum immittit,
Navarchum merſura Ariſtobulum qui clavo hæret,
Hic, cui neceſſitas pro arte,
Demiſſos velorum ſinus adverſo obliquans vento,
Quæ rapido turbine,
Judaici Regni clavum ſuis de cardinibus vellit:
Puppim calcat & proram, Arcem ac Templum;
Anchorales avitæ fidei rudentes præcidit.
Et ſera vota diſſipantibus ventis,
Legum tabulas, navigij compages, diſſolvit.
Fluctuarum denique, nauſeantemque Ariſtobulum,
In cæcos Romæ vortices abſorbet.
Hic bis emerſus, bis ſubmerſus,
Amicâ Cæſaris manu ſpirans educitur.
Sed Pompejanorum vi fluctuum circumfuſus,
Nauteâ bibit venenum.
Hic exitus Judææ Regnum; & Machabæos Rectores tulit.
Miſerrimam Romanorum Pyratarum prædam;
Qui ſacras opes, aureaſque trabes,
Sparſa tempeſtatis analecta, reliquiasq; collegere.
Eximio documento,
Fraternis diſcordiis Regna naufragare.
Vos vero amica lumina, ſalutareſque Dioſcuri,
Bapanther & Jacob,
Virgineam è Cœlo navim, cui nomen à mari,
Divinis mercibus onuſtam;
Cæleſtemq; Gubernatorem Joſephum,
Dexteriore alite velificaturum, oſtendiſtis.

S. JOACHIMUS
BAPANTHERIS FILIUS.
S. ANNA JOACHIMI UXOR.

EPITHALAMIUM.

Deſcende Cœlo ubi nil agis ſanctiſſime Hymen.
Duas extrà Cœlum Cœleſtes Animas copulaturus,
Joachimum & Annam,
Illum Regiâ, hanc Sacerdotali ſtirpe.
Ut dotali utroque apice, Nepotem inſtituant
Inter Reges Pontificem, inter Pontifices Regem.
Age: jugalibus nodis quos Æternitas nexuit,
Cor geminum ſtringe, vel unicum divide:
Ut alter Sponſus ex altero ſpiret.
Sed heu ſpinoſa primordia! initio planges, dum panges.
Ultrà viginti annos ſterilis ille thalamus,
Nihil niſi lacrymas gignet.
Sed verte ſtatim lætioribus hanc næniam.
Nam ſterilis Parens,
Majorem prolem utero capiet, quam mente.
Stupente rerum Naturâ
Tam fætam, quam fætum extrà ſuas leges.
Adde novam inter fœminas laudem,
Citrà Sobolis crimen Matrem fieri.
Nam cæteræ, Carnifices antequam Matres,
Partum conficiunt dum concipiunt.
Unoque momento,
E Cœlo demiſſam Animam Orco exponentes,
Vitam & largiuntur & lethum,
Sola Maria Parentis honos, non onus,
Maternum uterum condecorabit intrando.
Nec deerunt puerperio præſagia.
Renaſcente enim Templo naſcetur Virgo.
Alteram Dei Domum parabit Anna, alteram
Herodes eparabit.
In alterâ Numini fient victimæ,

In

In altera victima fiet Numen.
Creſcet cum Prole Parentum felicitas.
Nam mutuo repugnerati amoris officio,
Filia ex Parentibus, per Filiam Parentes vivent,
Ita Joachami Penates alterum Cœlu meritò voces;
Ubi Sacra Familiæ Trias,
Corporibus tripertita, Animis una,
Genitor, Genitrix, Genita,
Beabitur, & beabit.
Omnia denique in unum vota colligent
Longævi Conjuges;
Cùm ſeſe Numinis Avos mirabuntur.
Tanta gaudia,
Nec illi ferre, nec tu fari poteș. Tace.

S. JOSEPH.

JACOBI FILIUS: VIRGINIS SPONSUS.

TITVLI.

Senis hujus magnitudinem, tergemino metire Titulo:
Vir MARIÆ fuit.
Solus nimirum toto Orbe ſelectus,
Viragini Vir, Virgini Virgo.
Fortunatum Conjugium,
Cui dexter Ales Angelus.
Divinitas Pronuba, Flammeum Flamen, Dos Verbum.
Unica hæc Hymenæi teda fumo caruit,
Virginio candore non denigrato.
Jugalia hæc vincula nihil ſtrinxere præter Animos,
Nec ultra amorem ivere amantium vota.
Neç novum Joſepho, Dominæ nolle miſceri.
Dubito nuptialem cælibatum, an cælibes nuptias vocem,
Nam Sponſæ contubernio, Sponſi virginitas geminatur:
Novoq; miraculo, forma pudicitiæ ſuffragatur.
Deniq; ſic Palmæ nubunt.
Hinc alter ille, majorque Titulus:
Pater IESV fuit,

Quippe natura Patruus, conjugio Vitricus, officio Pater;
Privignum Numen educavit, erudiit, aluit;
Et vitam ſi non dedit ſervavit;
Deumq; oculis genuit cuſtodiendo; toties Pater.
O quanta dignitas! Filium participare cum Deo;
Et ulnis Alumnum regere Orbe majorem,
Qui vel parendo Parentem facit.
O gratas educationis vices!
Ille ſervat, hic ſervit: & Altorem ſuum alumnus alit.
Orant alij Numen, hic cogit:
Nam Patris vota, imperia ſunt.
Adjice poſtremum Titulum.
Filius DAVIDIS fuit, & FABER.
Quis credat?
Regia Davidis linea in Materiario finitur:
Novæ nimirum nobilitatis Fabro.
Nam retrograda generis claritas
A Deo in Fabrum, à Fabro in Reges Avos, refunditur.
O nexa providentia opera!
Regales Genealogiæ princeps Adam, poſtremus Joſeph.
Ille Agricola, hic Faber.
Nam lignum, peccati materiam, ille ſævit, hic ſecuit.
Haud alienum à Chriſti Patre miniſterium.
Quid enim Deus, niſi Faber?
Tornare Orbem, inſpicare montes, dolare campos,
Excidere Homines, Fabrilia ſunt.
Verè ut dicas, Fabrum Deum, & Fabri Filium.
Reſpondent verò morienti Chriſto hi natales:
Ut inter eandem artem viveret & occumberet.
Malleus, forfex, terebræ, clavi, ligna;
Vitæ miniſteria, mortis inſtrumenta, fuere.
Eademq; domeſtica arte cunæ dolantur, & cruces.
Suæ igitur neci naſcendo proludit,
Dum ex Fabro naſcitur.
Nec minor Davide Joſephus
Avitum Regnum gerit in officinâ.
Stant illi ſua imperij ſigna,
Fabriles ſecures, & lignei faſces, quos Puer alligat.
Summa illi authoritas.

Morta-

Mortalibus imperat Puer, Puero Mater, Matri Sponſus.
Nec imperii nomen abeſt:
Quid enim Joſeph, niſi Auguſtus?
Itaq; uno tempore ſuum Roma Auguſtum jactat,
Nazareth ſuum.
At quanto dignior hic Magiſtratus,
Rerum Dominum Domi poſſidere?
Solus igitur Mortalium, Joſephus
Cœlum non impetravit, ſed exegit.
Nam quæ aliis divina donaria ſunt,
Joſepho Iſagogicum fuit, & nutricia.

SANCTA
MARIA VIRGO.
JOACHIMI FILIA, CHRISTI MATER.
SCULPTURA.

Lauretana hæc Statua, Lucæ ſcalpellum ſenſit.
Vtinam Vitæ quoq; ſimulacrum calamo edidiſſet.
Sed hiſtoriographi officium argumenti divinitas vertit:
Nam cæleſti calamo in ferreum cœlum degenerante,
De ſcriptore ſculptor pro vera effigie ligneam dedit;
Totamq; exanimavit hiſtoriam.
Falleris, Viator. Figmentum hoc, Evangelium ſupplevit.
Facundus codex & caudex.
Atqui diu ſecum cogitabundus Artifex,
Animi Idæam ligno impreſſit.
Audi myſteria, & mirare.
Primùm, Cedri Regiæ Arboris, trunco exciſa effigies.
Nobilitatem refert:
Quæ unde viginti luxurioſa Regibus, Virginem tulit,
Tanti Generis non tam ſtirpem, quàm ſtipitem.
Præterea ex areſcente Materia ſculpitur.
Nam ſterili Matri ingenita eſt Virgo.
Quid enim Mortuâ ex Venere gigneretur, niſi Virgineum?
Nullum in hoc Typo peccatum culpes;
Nullum in Prototypo.

Ne

Ne illud quidem Mundo cognatum,
Nam ſola Maria Adami lutum non oluit.
Jam ſi Templo Imago, Imagini Templum dicatum;
Templis etiam colenda Maria, Templum coluit,
Cum timula caſtis Aris admota,
Ipſa Deo, Ipſi Deus, virgineum florem ſervavit;
Munuſq; impetravit, offerendo.
At quòd Fabrili materiæ nubilis adhæret forma;
Specioſum cum Fabro Conjugium refert:
Immò in Conjugio cælibatum.
Nam ſi Statua nuberet, ſic nuberet.
Cernis eodem trunco
Exculptam cum Filio Matrem, cum Matre Filium,
Gemino, & uno corpore;
Ut dubites utrum ex alio naſcatur?
Habes prodigium illud maximum,
Cùm Deo genita Deum genuit:
Novoq; reciprocæ cognationis vinculo,
Dei Filia, Filij Sponſa, Sponſi Domina, Domini Ancilla;
Cœleſtia humanis, humana cœleſtibus, compaginavit.
Sed heu brevis voluptas! Vide ut Chriſtifera Imago.
Infantem gremio ſtringit, atque ſcalpenti porrigit.
Sic Filium, Simonis gladio ſcalpendum, obtulit Mater.
Miraris Ægyptium Statuæ cultum, colorem, ſolutum crinem?
Non alia ſpecie profuga hæc Aſtræa,
Herodianam Vulpeculam latuit inter Ægyptios;
Gemino Sole felices.
Sic rerum Arbiter, ne Tyrannũ perderet, Filium proſcripſit,
Inſigni documento, excutiendos malos Principes,
Non cædendo, non cedendo, ſed recedendo:
Hoc ipſo miſeros, quòd Juſtitiæ deſertores Juſtitia deſerit.
Mirum potius, cur dexterâ Puerum ſuſtinente,
Vix dexteræ fidens læva medium amplectitur.
Nam pia Genitrix, in Templo recuperatâ Prole,
Rapaces adhuc Synnagogæ manus formidat:
Et inter voluptatem & timorem,
Amplexus geminat, ut affectus.
Quæris divino ut Amore flagraverit?
Habes colorem ex colore.

Fuli-

Fuliginoſum hoc lignum, Amoris torrem oſtendit.
Silentium quæris? Statuam taciturnam interroga.
Verecundiam? nil ſuis oculis amplius indulſit,
Quàm Statua ſuis.
Clementiam? ſuſpice prolatam Chriſti dextaram,
Veluti miſeris benè precantem.
Hanc rogavit Parens; & quicquid rogavit, irrogavit
Sanè primum & poſtremum Chriſti Miraculum,
A Parthenia Matre impetratum conſtat.
Ut perficacia ſit dubitare de cæteris.
Refert jam Opificem ſcitari,
Cur diſcriminatis ut in funere crinibus,
Dolentem dolavit, ſed erectam.
Certè ſic ſtetit juxta Crucem, Cruce altior & ſolidior.
Callidè igitur fœmineam Statuam ſculpſit Lucas.
Nam Filij mortem ut Fœmina ſenſit, ut Statua tulit.
Quin etiam Cedro ectypam Virginem elaboravit:
Simili cum Cruce ligno.
Nam Crucis inſtar, Cruci oppoſita;
Et altera alteri patibulum fuit.
Quid? ultima ejus fata nil argutius exprimat,
Quàm incorrupta è Cedro Statua,
Exanimati ſed incorrupti corporis typus.
Æterna hæc ſanctio, ut omnia pereant vel immerentia:
Damnata, quia nata.
Poſt omnium mortes, Mors ipſa morietur.
Adeò Parcæ, ne ſibi quidem ſunt Parcæ.
Sola Deipera periit, non putruit; & in ſcrobe refloruit.
Reſtabat erudito operi labor extremus,
Triumphalis ad Cœlum Heroinæ curſus.
Hunc deniq; Imago refert,
Erecta, paludata, auro coruſca,
Tali ſiquidem pompa
Ad illum veniens, qui ad ipſam venerat,
Cœlum addidit Cœlo.
Quin operi coronam impoſuit Sculptor,
Dùm ſacrum ſimulacrum coronavit.
Nimirum, Cœli Auguſta Terras diſpiciens,
Regia ſemper munera
Optantibus donat, ignaris ingerit, ingratis obtrudit.

K 5 Nemi-

Neminem relictura miſerum, niſi qui eſſe velit.
Dubitas? Statuam do teſtem.
Ante hanc nemo vacuus rogavit:
Ne Turca quidem.

SANCTUS
JONNES BAPTISTA
VIRGINIS EX CONSOBRINA NEPOS.

PRÆCONIUM.

Jamjam Numen aderit.
Adeſt jam Numinis Præco,
Hoc Præcone,
Nemo major, nemo minor.
Prophetarum poſtremus, Martyrum primus,
Solis Lucifer, Luciferi Veſper,
Meſſiæ magnitudinem ex ſua imagine expreſſit.
Immò Meſſiæ Myſtes, & Chriſti Chriſtus,
Mundi luſtratorem luſtrali aquâ ſancivit.
Ambigente Jordane, lavaret, an lavaretur.
Nobilis fluvius, cœleſti Eridano minime invidus.
Nam ille in Cœlum translatus, huic Cœlum delatum.
Hem quantus: at quantulus fuit?
Tantam ſanctitatem ad nihilum redegit,
Cùm ſe *Neminem* dixit,
Tantoque ſe diminuens quanto cœlitùs auctior
Cum Omnipotentiâ certavit.
Hic ne vinceretur, augentem vicit, ſe minuendo;
Illa ut vinceret, imminutum vicit augendo.
Adde, hoc Præcone
Nemo taciturnior, nemo vocalior.
Vix conceptus, ſilentium Patri indixit,
Vix formatus, Deum hoſpitem nutibus excepit,
Vix utero egreſſus, ſolitudinem ingreſſus,
Hirtus, jejunûs, vigil,
Cum Angelis Angelus, Mutusq; cum Mutis vivens,
Quod

Quod loqueretur, tacendo didicit.
Nemo diutiùs infans fuit; nemo altiùs fatus.
In deſerto diſertus,
Et jam nihil niſi vox,
Rudes inſtruxit, avios reduxit,
Peccantes increpuit; Reges interruit.
Trunco etiam capite clamoſus,
Vivum ſe Morti approbavit;
Et ad Mortuos vitæ Præco deſcendit.
At at, procumbito Viator;
Præco ſiluit, Meſſias adeſt.

JESUS CHRISTUS
DEI, AC VIRGINIS FILIUS.

META.

Siſtimur ô tandem tibi Clementiſſime Aſſertor,
Sacri Voluminis Alpha & Omega:
Non longiùs vagaturi, te contacto.
Quò enim procedat qui te accedit, ultimam rerum Metam?
Tu aviti Generis Meta:
Matris annos in Proavis numeraturus,
Trium & ſexaginta Patriarcharum Stemma claudis;
Omnium nobiliſſimum, quia notiſſimum.
Nam Patritij Stipites reliqui,
Quâ commendantur vetuſtate carioſi,
Simul eduntur, & exeduntur.
Tu antiquorum antiquiſſimus, noviſſimorum noviſſimus;
Majoribus major, poſterior poſteris;
Seviſti nobilitatem tuam, & meſſuiſti:
Verè tuam, quia à te fluxit, in te rediit,
Tu divinorum Operum Meta:
Cœleſti ſatu mortalia cæleſticus nectens,
Ex Deo Homo, ex Virgunculâ Deus,
Quod unum deerat univerſitati miraculum, expleviſti.
Tu Temporum Meta:
Summo Solſtitio, nocte mediâ, anno extremo natus;
Solis

Solis fugam, umbrarum incrementa, anni lapſum, inhibuiſti;
Et geminus verè Janus,
Antiqui noviq; Sæculi intercalaris Spectator,
Pacem, uti terminales Ferias, Orbi indulſiſti.
Tu Dignitatum Meta:
Quā in Stabulo contacta Purpurati Aſtronomi retroceſſere.
Nam quis ultra Bubile illud faſtus explicet,
Ubi ſuperbiæ frœnum eſt fœnum?
O novæ Aſtronomiæ ſectanei Reges!
Cæteri Præſepe inter Stellas, hi Stellas in Præſepi obſervarunt.
Scitè igitur capitum decora ante tuos pedes projecere;
Gnari, dignitates deſinere ùbi incipiunt.
Tu Moſaicæ legis Meta,
Duriſſima jura circumciſus circumcidiſti,
Et inamœna Synnagogæ ſpatia metaſti,
Lapideo illo gladio pro limitaneo lapide, infixo.
Tu Sapientiæ Meta:
Phariſaicam Templi Exedram duodennis evertiſti.
Nam te audito, qui omnia docebant, nihil ſe ſcire didicerunt:
Et infante Magiſtro, ſe noverunt Infantes.
Tu Infernæ potentiæ Meta:
Spectante Solitudine cum Lucifero congreſſus,
Avidum eſuriendo ſtrangulaſti;
Et inceſtam illam naturam, æternæ flammæ cuſtodem,
Malarum Veſtalium ſupplicio de rupe impellens,
Heſperum feciſti ex Lucifero.
Tu Peccati Meta:
Jordanem intrando abluens, ut aliorum ſordes elueret.
Herculeæ inſtar columnæ, fluctibus demerſus,
Undarum & ſcelerum curſum progredi vetuiſti.
Tu Votorum Meta.
Patrium orbem benemerendo diſcurrens,
Fatigato ſæpiùs pede, numquam manu,
Supplicia à ſupplicibus avertiſti.
Tu Mortis Meta.
Arboris ejuſdem paxillo, quo Mors Adamum transfixerat,
Æqua talione Mortem confixiſti:

Quæ

Quæ funeſtiſſimo exacto ſtadio,
Ad eundem ſtipitem unde mota fuerat, ſtetit:
At Adamo altero abſorpto, priorem vomuit.
Tu Gloriæ Meta.
Æneos Orci poſtes cruenta dextera eluctatus,
Gementem ſub terras Patriarcharum Populum,
Ab tartareis ignibus ad Empyreos evexiſti.
Relictiſq; in Monte veſtigiis, quæ inſiſteremus,
Tam faciles ad te aditus pandis, ut volare ſit velle.
Te igitur Beatiſſimam omnium rerum Metam.
Ex deſtinato aſſequutus; exacti operis curſum ſiſto:
Hoc uno rectum, quòd ad te pervenit.
Is enim errat, qui à te deerrat.
Hic feſtivo celeuſmate Stationem occupans
Foliorum carbaſa complico,
Et pro anchora, emeritum calamum figo,
Anno tuo 1643.

Teſtamen-

TESTAMENTUM DUODECIM PATRIARCHARUM FILIORUM JACOB,

per

ROBERTUM LINCOLINENSEM EPISCOPUM,

è

Græco in Latinum verſum.

Floruit author Anno M. CC. XLII.

Prima vice

PARISIIS

Anno 1549.

Apud Martinum Iuvenem, ſub inſigni D Chriſtophori, è regione Collegij Cameracenſium, impreſſum.

Quomodo inventa ſint primùm hæc Teſtamenta duodecim Patriarcharum, & quibus authoribus è Græco in Latinum translata.

HÆc abſcondita & celata per longa tempora fuerunt, ita quod noſtri Doctores, & antiqui interpretes illa nequiverant invenire, quod factum eſt per invidiam Iudæorum, qui ea propter evidentiſſimas, manifeſtimas ac crebras de Chriſto prophetias, quæ in illis ſcribuntur, diu occultaverunt. Tandem Græci, veterum ſcripturarum exploratores diligentiſſimi, hæc cautè quærebant, & cautius adquirebant, & cautius adquirebant, & ex Hebræo in Græcum fideliter tranſtulerunt. Remanſit igitur hoc ſcriptum occultum, eo quod non inveniretur peritus in utraq; lingua ſcilicet, Græca & Latina, & aliquis interpres, qui curaret ſuper hoc ſollicitari, ut faceret transferri opus memoratum, per longa ætatum tempora, uſq; ad tempus Lincolinenſis Epiſcopi; Roberti ſecundi cognomento ſcilicet, Groſeteſto, qui usque in Græciam miſit diligentiſſimos exploratores, ut exemplar ſcripti memorati non ſolliciti de expenſis, quas abundanter ei invenerat, reportarent. Venerabilis igitur Epiſcopus, ut memoriam lucidiſſimarum prophetiarum, ad robur fidei Chriſtianæ perpetuaret, Anno Chriſti M. CC. XLII. è Græco in Latinum, in quibus idiomatibus peritiſſimus habebatur, tranſtulit evidenter, de verbo in verbum, ac fideliter, adjuvante Magiſtro Nicolao Græca, Rectore Eccleſiæ de Dachet, Clerico domini Abbatis de ſancto Albano, quo ſic luculentæ prophetiæ, quæ in hoc ſcripto luce clarius coruſcant, in majorem confuſionem Iudæorum & omnium hæreticorum & inimicorum Eccleſiæ glorioſius prorumpant. Cui ſit laus & gloria in ſecula, Amen.

A. G. Voluſius, D.

TESTA-

TESTAMENTUM RUBEN, *de his quæ moriturus in mente, ſpiritu prænoſtico dictante, habuit.* I.

TRanſcriptum teſtamenti Ruben, quæcunque mandavit filiis ſuis, priusquam moreretur, in CXXV. anno vitæ ipſius. Poſt annos duos mortis Joſeph, ad ægrotantem congregati ſunt, ut viſitarent eum filii & filii filiorum ejus, & dixit eis: Filioli mei, ego morior, & vado viam patrum meorum. Et videns illic Judam, Gad & Aſer fratres ſuos, dixit eis: Erigire me fratres, ut dicam fratribus meis & filiis meis, quæcunque habeo in corde meo abſcondita: Deficiens enim ego ſum à modo. Et ſtans oſculatus eſt eos, & plorans dixit: Audite fratres mei, auribus percipite verba Ruben patris veſtri, quæcunque mando vobis: Ecce, teſtificor vobis Deum cœli hodie, ut non ambuletis in ignorantia juventutis & fornicatione, in qua effuſus ſum ego, & inquinavi lectum patris mei Jacob: Dico enim vobis, quoniam percuſſit me Dominus plaga magna in filiis meis per menſes ſeptem, & niſi Jacob pater meus oraſſet pro me ad dominum, quoniam voluit occidere me, periiſſem. *Eram enim annorum triginta, quando feci hoc malum coram domino, & ſeptem menſibus infirmatus ſum usq; ad mortem, & in electione animæ meæ ſeptem annis pœnitui coram domino. Vinum & ſiceram non bibi, & caro non intravit os meum, & omnem panem deſiderii non guſtavi, lugens pro peccato meo*; magnum enim erat, & non fiet in Iſrael ita Et nunc audite me filii, ut manifeſtem vobis quæ vidi de ſeptem ſpiritibus erroris, in pœnitentia mea. Septem ſpiritus dati ſunt adverſus hominem à Beliar, & ipſi ſunt caput operum juventutis, & ſeptem ſpiritus dati ſunt ei in creatione, ut ſit in eis omne opus hominis. Primus ſpiritus eſt vitæ, cum qua conſiſtentia creatur. Secundus ſpiritus eſt viſus, cum quo fit deſiderium. Tertius ſpiritus eſt auditus, cum quo fit doctrina. Quartus ſpiritus eſt olfactus, cum quo eſt guſtus

 datus

datus in attractione aëris & ſpirationis. Quintus ſpiritus eſt locutionis, cum qua fit cognitio. Sextus ſpiritus eſt guſtus, cum quo fit cibatio comeſtibilium & potibilium, & fortitudo in ipſis creatur, quoniam in cibis ſubſtantia eſt fortitudinis. Septimus ſpiritus eſt ſeminis & coitus, cum coingreditur per concupiſcentiam voluptatis peccatum. Propter hoc ultimus eſt creationis, & primus juventutis, quoniam ignorantia plenus eſt, & ipſa juniorem ducit, ut cœcum in foveam, & ut jumentum in præſepium. In omnibus his octavus ſpiritus ſomni eſt, cum quo creatâ eſt extaſis naturæ, & imago mortis. His ſpiritibus commiſcetur ſpiritus erroris. Primus fornicationis, in natura & ſenſibus injacet. Secundus ſpiritus, inſatiabilitas in ventre. Tertius ſpiritus, pugnæ, in epate, & colera. Quartus ſpiritus, placentiæ & machinationis, ut per ſuperfluitatem decorus appareat. Quintus ſpiritus, ſuperbiæ, ut moveatur & magna ſapiat. Sextus ſpiritus mendacii, in prædicatione & zelo fingendi ſermones ejus, de genere & familiaribus. Septimus ſpirius, injuſtitiæ, cum qua fiunt & commotiones, ut faciat concupiſcentiam voluptatis cordis ſui. Injuſtitia enim cooperatur reliquis ſpiritibus per doli aſſumptionem. In omnibus his ſpiritus ſomni, octavus ſpiritus, copulatur errore & phantaſia, & ita perit animus juniorum, obtenebrans mentem à veritate, & non intelligens legem domini, neque obediens doctrinæ patrum ſuorum, quemadmodum & ego paſſus ſum in juventute mea. Et nunc filii veritatem diligite, & ipſa cuſtodiet vos. Audite Ruben patrem veſtrum, *non attendatis in viſione mulieris: neque ſingulariter ſitis cum fœmina quæ eſt ſub viro, neque circumſcrutemini operationem mulierum.* Niſi enim vidiſſem Ballam balneantem in cooperto loco, non incidiſſem in iniquitatem magnam. Concipiens enim mens mea muliebrem nuditatem, non ſivit me dormire, uſquequo operatus ſum abominationem. Abſente enim Jacob patre meo apud Iſaac patrem ſuum, exiſtentibus nobis in Gader, proximo Ephrata domus Bethleem, Balla erat ebria, & dormiens revelata jacebat in cubiculo, & ego ingrediens, & videns nuditatem ipſius, operatus impietatem, & derelinquens eam dormientem, egreſſus ſum, confeſt'm angelus Dei revelavit patri meo Jacob de impietate mea, & veniens lugebat ſuper me, non amplius tangens eam.

Non ergo attendatis pulchritudini mulierum, neq; cogitetis operationes earum. Sed ambulate in ſimplicitate cordis in timore domini, & laborantes in operibus, & exercitantes in literis & in gregibus veſtris, donec dominus det vobis conjugem quam ipſe vult, ut non patiamini ſicut & ego. Usque ad mortem patris noſtri, non habebam fiduciam aſpiciendi in faciem Jacob, vel loquendi alicui fratrum propter opprobria, & usque nunc conſcientia mea cruciat me de peccato meo, & conſolatus eſt me pater meus, quoniam oravit pro me ad dominum, ut tranſeat à me ira domini, ſicut oſtendit mihi dominus. Ex tunc igitur cuſtoditus ſum & non peccavi. Propter hoc filii mei, cuſtodite omnia quæcunque narro vobis, & non peccabitis. *Perditio enim animæ eſt fornicatio, dividens à Deo, & adproximare faciens ad idola, quoniam ipſa in errorem ducit intellectum & mentē, & deducit juvenes in infernum ante tempora ipſorū.* Nam multos perdidit fornicatio. Quoniā etſi ſit aliquis ſenex, vel nobilis, opprobrium ipſum facit, & deriſionem apud Beliar & filios hominum. Quia enim cuſtodivit ſe Joſeph ab omni muliere, & cogitationes purgavit ab omni fornicatione, invenit gratiam coram domino & hominibus. Etenim multa fecit ei Ægyptia, quæ Magos advocavit, & pharmaca ei obtulit, & non ſuſcepit conſilium animæ ejus, deſiderium pernicioſum. Propter hoc Deus patrum meorum eruit eum ab omni viſibili & abſcondita morte. Si enim non prævaleat fornicatio menti, neque Beliar prævalebit vobis. Pernicioſæ enim ſunt mulieres, filii mei, quoniam cùm non habent poteſtatem vel virtutem in hominem, doloſè agunt in formis, quibus eum ad ipſas attrahant, & quem per fortitudinem non poſſunt vincere, hunc per deceptionem vincunt. Nam & de eis dixit mihi angelus Dei, qui docuit me, quoniam mulieres vincuntur à ſpiritu fornicationis ſuper hominē, & in corde machinantur adverſus homines, & per ornatum errare faciunt primo eorum mentes, & per viſum, venenum inferunt, & tunc opere captivant: Non enim poteſt mulier hominem cogere. Fugite ergo fornicationem filii mei, præcipite mulieribus veſtris & filiabus, ut non ornent ſe in capitibus, & viſus earum caſtigent, quoniam omnis mulier doloſè agens in his, in punitionem ſeculi reſervata eſt. Ita

enim ſeduxerunt vigiles ante diluvium, & illi continuo videntes eas, affecti ſunt deſiderio ad invicem, & conceperunt mente operationem, & transfigurati ſunt in homines, & in coitu virorum ſuorum apparuerunt eis, & illæ deſiderantes mente imaginationes eorum, pepererunt gigantes; Apparuerunt enim eis vigiles usque ad cœlum attingentes. Cuſtodimini ergo à fornicatione, & ſi vultis purgari mente, cuſtodite ſenſus veſtros ab omni fœmina, ſed & illis præcipite non communicare cum hominibus, ut & ipſæ purgentur mente. Continuæ enim contingentiæ, etſi non operatum fiunt impium, tamen ipſis ſunt ægritudo inſanabilis, nobis verò opprobrium Beliar ſempiternum, quoniam fornicatio neque intellectum, neque pietatem habet in ſeipſa, & omnis zelus habitat in deſiderio ejus, propter hoc zelabitis filios Levi: & quæretis exaltari ſuper eos, ſed non poteritis. Deus enim faciet vindictam eorum, & moriemini morte pernicioſa. Levi enim dedit dominus principatum & Judæ, cum his & mihi, Dan & Joſeph, ut eſſemus principes. Propter hoc mando vobis, audite Levi, quoniam ipſe noſcet legem domini, & dividet judicia, & ſacrificia pro omni Iſrael, USQUE AD CONSUMMATIONEM TEMPORUM PRINCIPIS SACERDOTUM CHRISTI, quoniam dixit dominus, Adjuro vos per Deum cœli, ut faciatis veritatem unusquisque proximo ſuo, & ad Levi appropinquate in humilitate cordis, ut recipiatis benedictionem ex ore ipſius. Ipſe enim benedicet Iſrael & Judam, quoniam eum elegit Deus regem ſuper omnes populos, & adorate ſemen ipſius, quoniam pro vobis morietur in bellis viſibilibus & inviſibilibus, & erit in vobis rex ſæculorum. Et mortuus eſt Ruben præcipiens filiis ſuis prædicta, & benedicens, & poſuerunt eum in thecam, usquequo referentes eum ex Ægypto, ſepelierunt in Hebron in ſpelunca duplici, ubi patres ejus dormierunt.

TESTAMENTUM SIMEON, de Invidia. II.

TRansſcriptum verborum Simeon, quæ locutus eſt filiis ſuis antequam moreretur centeſimo viceſimo anno vitæ ſuæ, in quo mortuus eſt Joſeph. Venerunt enim viſitare

viſitare ipſum ægrotantem, & erectus ſedens oſculatus eſt eos, & dixit eis: Audite filii, audite Simeonem patrem veſtrum, quæcunque habeo in corde meo. Ego genitus ſum ex Jacob patre meo filius ſecundus, & Lia mater mea vocavit me Simeonem, quoniam audivit dominus orationem ipſius. Potens effectus ſum valde, non formidavi operationem, neque timui ab omni re. Cor enim meum erat durum, epata mea immobilia, & viſcera mea non compatientia, quoniam & fortitudo ab altiſſimo datur hominibus in animabus & corporibus. In tempore illo *invidi Ioſeph, quoniam dilexit eum pater noſter*, firmavi ſuper eum epata mea ad occidendum eum, quoniam princeps erroris, mittens ſpiritum invidiæ, excœcavit mentem meam, ut non attenderem, non parcens Jacob patri meo. Sed Deus ejus, & patrum ejus, mittens angelum ſuum, eruit eum ex manibus meis. Ut enim ego ieram in Sichimis afferre unguentum gregibus, & Ruben in Dotaim, ubi erant neceſſaria nobis & omnia repoſita, Judas frater noſter vendidit eum Iſmaelitis, & veniens Ruben triſtatus eſt, voluit enim ipſum ſalvum reducere ad patrem. Ego verò iratus eram adverſus Judam, quoniam viventem ipſum dimiſit, & fui menſes quinque iratus ei, impedivit autem me Deus, & prohibuit à me operationem manuum, quoniam manus mea dextera ſemiſicca erat per dies VII. Et cognovi filii, quòd propter Joſeph hoc mihi accidit, & pœnitens flevi & oravi dominum, ut reſtitueret manum meam, & abſtinerem ab omni inquinamento, invidia, & omni inſipientia. Cognovi enim, quoniam perniciosam rem cogitaveram coram domino & Jacob patre noſtro, propter Joſeph fratrem meum, cui invidebam. Et nunc filii cuſtodimini à ſpiritibus erroris & invidiæ, etenim invidia dominatur omni menti hominis, quæ non patitur eum neq; comedere, neque bibere, neq; facere aliquid boni, ſemper ſuggerens occidere eum cui invidetur, cum is omnino floreat, invidēs verò marceſcit. Per duos annos punivi in timore domini & in jejunio animam meam; & cognovi, quoniam liberatio invidiæ per timorem Dei efficitur. Si quis ad dominum refugiat, aufugit perniciosus ſpiritus ab ipſo, & efficitur mens levis, & jam compatitur invidioſo, & non reprehendit diligentes ipſum, & ita quieſcit ab invidia. Et interrogabat pater de me, quoniam vidit me tri-

me triſtem, & dicebam mentiens: Epata mea doleo. Tri
ſtabat enim ſuper omnes, quoniam ego eram cauſſa ven
ditionis Joſeph, & quando deſcendimus in Ægyptum, &
ligavit me velut exploratorem, cognovi, quoniam juſtè pa
tiebar, & non ſum contriſtatus. Joſeph verò erat vir bonus
& habens ſpiritum Dei in ſeipſo, miſerator & miſericors
non recordatus eſt facere malum mihi, ſed & dilexit me u
alios fratres. Cuſtodimini ergo filii mei ab omni zelo &
invidia, & ambulate in ſimplicitate animæ, & in bon
corde cogitantes fratrem patris veſtri, ut det vobis Deu
gratiam, gloriam & benedictionem ſuper capita veſtra
ſicut videtis in ipſo. Omnibus diebus non improperavi
nobis de verbo hoc, ſed dilexit nos ut animam ſuam, & ſu
per filios ſuos, & glorificavit nos, & divitias, pecora & fru
ctus omnibus nobis largitus eſt. Et vos ergo filii me
dilecti, diligite unusquisque fratrem ſuum in bono corde
& amovete à vobis ſpiritum invidiæ, quoniam ipſe ſylve
ſtrem facit animam, & corrumpit corpus, iram & bellum
tribuit ejus conſiliis, & in ſanguinem exacuit, & in extaſin
ducit mentem, & non ſinit intellectum in hominibus ope
rari. Sed & ſomnum aufert, & tribulationem tribui
animæ, & tremorem corpori; quoniam & in ſomno aliqui
zelus malitiæ imaginatæ ipſum corrodit, & ſpiritibus per
niciosis conturbat animam ipſius, & expaveſcere corpu
facit, & conturbatione excitari mentem, & ſicut ſpiritum
pernicioſum & venenum fundentem habens, ita appare
hominibus. Propterea Joſeph erat pulchra facie & deco
rus aſpectu, quoniam non habitavit in ipſo quicquam per
nicioſum. A turbatione enim ſpiritus, faciem puram
habuit. Et nunc filii mei benigna facite corda veſtra coram
domino, & dirigite vias veſtras coram hominibus, & in
venietis gratiam coram Deo & hominibus, & cuſtodimi
ne fornicemini, quoniam fornicatio mater eſt omnium
malorum, dividens à Deo, & appropinquare faciens a
Beliar. Vidi enim in charactere ſcripturæ Enoch, quo
niam filii veſtri vobiſcum in fornicatione corrumpentur, &
Levi injuſtitiam facient in gladio. Sed non prævalebun
ad Levi, quoniam bellum domini bellabit, & vincet omn
caſtrum veſtrum, & erunt pauciſſimi diviſi in Levi & Juda
& erit vobis dux, quemadmodum pater meus Jaco
prophe

prophetavit in benedictionibus. Ecce prædixi vobis omnia ut juſtificer à peccato animarum veſtrarum. Si autem auferatis à vobis invidiam, & omnem duram cervicem, ut roſa florebunt omnia oſſa mea in Iſrael, & ut lilium caro mea in Jacob, & erit odor meus ſicut odor Libani, & multiplicabuntur ut cedri ſancti ex me usque in ſeculum, & rami eorum usque in longitudinem dierum Tunc peribit ſemen Chanaan, & reſiduum non erit Amalech, & peribunt omnes Cappadoces, & omnes Cethæi perdentur. Tunc deficiet terra Cham, & omnis populus peribit. Tunc requieſcet omnis terra à tribulatione, & omnis qui ſub cœlo eſt, à bello. Tunc Sem glorificabitur, quando dominus Deus magnus Iſrael apparebit in terra ut homo, & ſalvabit in ipſo Adam. Tunc dabuntur omnes ſpiritus erroris in conculcationem, & homines regnabunt ſuper pernicioſos ſpiritus. Tunc reſurgam in lætitia, & benedicam altiſſimum in mirabilibus ipſius, quoniam Deus corpus aſſumens, & comedens cum hominibus, ſalvabit homines. Et nunc filioli mei, obedite Levi, & in Juda liberamini, & non efferemini ſuper duas tribus has, quoniam ex ipſis orietur nobis ſalutare Dei. SUSCITABIT ENIM DOMINUS EX LEVI PRINCIPEM SACERDOTUM, ET EX JUDA REGEM, DEUM ET HOMINEM. ITA SALVABIT OMNES GENTES ET GENUS ISRAEL. Propter hæc omnia mando vobis, ut vos mandetis filiis veſtris, ut cuſtodiant hæc in generationes eorum. Et Simeon finivit ſermones hos, mandans filiis ſuis, & dormivit cum patribus ſuis, cùm eſſet centum & viginti annorum. Et poſuerunt eum in thecam lignorum quæ non putreſcunt, ut reducerent oſſa ejus in Hebron, & reduxerunt ea clam in bello Ægyptiorum. Oſſa enim Joſeph cuſtodiebant Ægyptii in ærariis regum. Dicebant enim eis incantatores, quod ſi deportentur oſſa Joſeph, forent in omni Ægypto tenebræ, & caligo & plaga magna valde Ægyptiis, ut cum lucerna quoque non cognoſcat unusquisque fratrem ſuum. Et fleverunt filii Simeon patrem ſuum ſecundum legem triſtitiæ, & erant in Ægypto usque ad dies exitus eorum ab Ægypto in manu Moyſi.

TESTAMENTUM LEVI,
de Sacerdotio & Superbia. III.

TRanſcriptum verborum Levi, quæcunque diſpoſuit filiis ſuis, ſcilicet, omnia quæ facient, & quæcunque contingent eis usque ad diem judicii. Sanus erat quando vocavit eos ad ſeipſum, præſciebat enim quando moriturus erat. Cum autem congregati erant, dixit eis: Ego Levi in Carram conceptus ſum, & natus illic, & poſthæc veni cum patre in Sichima. Eram verò junior, quaſi annorum viginti, quando feci cum Simeone vindictam ſororis noſtræ Dinæ de Emmor. Ut autem pavimus greges in Abelmaul, ſpiritus intellectus domini venit ſuper me, & videbam omnes homines exterminantes viam ſuam, & quoniam muros ædificavit ſibiipſi injuſtitia, & ſuper turres iniquitas ſedit. Et triſtatus ſum de genere hominum, & oravi dominum ut ſalvaret. Tunc cecidit ſuper me ſomnus, & contemplatus ſum montem excelſum: Hic eſt mons aſpidis in Abelmaul: & ecce, aperti ſunt cœli, & angelus Dei dixit ad me: Levi ingredere, & ingrediebar de primo cœlo in ſecundum. Et vidi illic aquam ſuſpenſam in medio hujus & illius. Et vidi tertium cœlum multo lucidius quàm duos. Etenim altitudo erat in ipſo infinita. Et dicebam angelo: Propter quid iſtud? Et dixit angelus ad me: Non mireris in his, alios enim quatuor cœlos videbis clariores & incomparabiles cum aſcenderis illic. Quoniam prope dominum ſtabis, & miniſter ipſius eris, & myſteria ejus annunciabis hominibus, & de venturo liberatore Iſraël prædicabis. Et per te & Judam apparebit dominus hominibus, ſalvans in ipſis omne genus hominum, & ex parte domini erit vita tua, ex ipſo erit tibi ager, vinea, fructus, aurum & argentum. Audi ergo de ſeptem cœlis. Quod inferius propterea triſtius eſt, quia iſtud juxta omnes injuſtitias hominum eſt. Secundum habet ignem, nivem, glaciem, parata in diem præcepti domini in juſto judicio Dei. In ipſo ſunt omnes ſpiritus retributionum ad vindictam iniquorum. In tertio ſunt virtutes caſtrorum ordinatæ in diem judicii, ad faciendum vindictam in ſpiritus erroris & Beliar. In quarto autem ſuperius his ſancti ſunt, quoniam in ſuperioribus locis habitat magna gloria in ſancto ſanctorum ſupra omnem ſanctitatem.

ſanctitatem. In eo, quod poſt hoc, angeli ſunt faciei Dei miniſtrantes, & propitiantes ad dominum in omnibus ignorantiis juſtorum. Offerunt verò domino odorem ſuavitatis rationabilem, & ſine ſanguine oblationem. In eo autem, quod ſubtus eſt, ſunt angeli qui ferunt reſponſiones angelis faciei Dei. In eo vero, quod poſt hoc eſt, ſunt Throni, Poteſtates, in quo hymni ſemper Deo offeruntur. Quando ergo reſpexerit dominus ſuper nos, omnes nos commovebimur, cœli, terra, & abyſſi à facie magnitudinis ejus commovebuntur. Filii autem hominum in his exiſtentes inſenſibiles, peccabunt & irritabunt altiſſimum. Nunc ergo cognoſcite, quoniam faciet dominus judicium ſuper filios hominum: quando petris ſciſſis, ſole extincto, aquis ſiccatis, igne tremente, & omni creatura turbata, inviſibilibus ſpiritibus liquefactis, inferno ſpoliato, IN PASSIONE ALTISSIMI, homines increduli permanebunt & in injuſtitia propter hoc in pœnam judicabuntur. Audivit igitur altiſſimus orationem tuam, ad ſeparandum te ab injuſtitia. Et ut efficiaris ei filius & famulus, & miniſter faciei ejus; lumen cognitionis, illuminando illuminabis in Jacob, & ut ſol eris inter ſemen Iſrael, tibiq; dabitur benedictio ac ſemini tuo, USQUEQUO VISITET DEUS OMNES GENTES, IN VISCERIBUS MISERICORDIÆ FILII EJUS USQUE IN SECULUM. VERUNTAMEN FILII TUI IMPONENT MANUS IN IPSUM AD CRUCIFIGENDUM IPSUM, & propter hoc datum eſt tibi conſilium & intellectus, ut notum facias filiis tuis de ipſo, quoniam benedicens ipſi, benedictus erit: maledicentes coram eo, peribunt. Et aperuit mihi angelus portas cœli, & vidi templum ſanctum, & in throno gloriæ altiſſimum. Et dixit mihi: Levi, tibi dedi benedictiones ſacerdotii, uſquequo veniens habitabo in medio Iſrael. Tunc duxit me angelus in terram, & dedit mihi ſcutum & gladium, & dixit: Fac vindictam in Sichen pro Dina, & ego ero tecum, quoniam Deus miſit me. Et occidi in tempore illo filios Emmor, ſicut ſcriptum eſt in tabulis cœlorum. Dicebam autem ei: Oro te domine, dic mihi nomen tuum, ut invocem te in die tribulationis. Et dixit: Ego ſum angelus, excuſans genus Iſrael, ut non percutiatur in finem, quoniam omnis ſpiritus perniçioſus ei inſidiatur. Poſtea velut ex ſomno excitatus, benedixi altiſſimum & angelum

excuſantem

excuſantem genus Iſrael & omnes juſtos. Ubi verò veni ad patrem meum, inveni aſpidem æneum, unde etiam nomen monti eſt aſpidis, quoniam prope Gebat eſt à dextris Abila. Et conſervabam ſermones hos in corde meo. Ego conſului patri meo & Ruben fratri meo, ut dicerent filiis Emmor ut circumciderentur, quoniam zelavi propter abominationem quàm fecerant propter Iſrael. Ego enim interfeci Sichen inprimis, & Simeon Emmor. Poſteàque venerunt fratres, qui percuſſerunt civitatem in ore gladii. Ut audivit pater, iratus eſt, quoniam ſuſceperant circumciſionem, & poſt hoc mortui ſunt, & in benedictionibus aliter fecit Peccavimus enim, quoniam præter conſilium ejus hoc fecimus, & infirmatus eſt in die illa. Sed ego novi, quoniam ſententia Dei erat mala in Sichimam, quoniam voluerunt Saræ facere quemadmodum fecerunt Dinæ ſorori veſtræ. Verum Deus prohibuit. Perſecuti autem ſunt Abraham patrem noſtrum, peregrinum exiſtentem, & conculcaverunt armenta ejus, præterea quoque Jeblae, in domo ipſius genitũ, valde verberaverunt. Ita faciebant in omnes peregrinos, vi rapientes uxores eorum, & in exilium impellentes eos. Venit autem ira domini ſuper ipſos in finem. Et dicebam patri: Ne iraſcaris domine, quoniam in te ad nihilum rediget Deus Chananæos, & dabit terram ipſorum tibi, & ſancto tuo poſt te. Erit enim ab hoc die Sichima dicta civitas ſtultorum: quoniam ut quis deridet fatuum, ita deriſimus eos. Nam inſipientiam operati ſunt in Iſrael, dum auferebant ut inquinarent ſororem noſtram. Venimus autem in Bethel, & ibi rurſus videbam rem quemadmodum prius, poſtquam ſacrificavi dies ſeptuaginta. Et vidi ſeptem homines in veſte alba, dicentes mihi: Exurge, indue ſtolam ſacerdotii & coronam juſtitiæ, & rationale intellectus, & poderem veritatis, & pecalum fidei, & mitram ſigni, & ephat prophetiæ, & unuſquiſque ipſorum unumquodque portantes impoſuerunt mihi, & dixerunt: Amodo eſto ſacerdos domini tu, & ſemen tuum uſque in ſeculum. Et primus unxit me oleo ſancto, & dedit mihi virgam judicii. Secundus lavit me aqua munda, & cibavit dans panem & vinum, ſcilicet, ſancta ſanctorum, & circumdedit me ſtola ſancta & glorioſa. Tertius biſſina me induit ſimili ephat. Quartus zonam mihi circumpoſuit ſimilem purpuræ. Quin-

Quintus ramum olivæ mihi dedit pinguedinis. Sextus diadema ſacerdotii capiti meo impoſuit, & impleverunt manus meas thymiamate, ut ſacerdotio fungerer domino. Dixit autem ad me Levi: In tria principia Dei detur ſemen tuum, in ſignum gloriæ domini ſupervenientis, & qui crediderit, primus erit. Sors magna ſuper ipſum non fiet. Secundus erit in ſacerdotio. Tertius cui vocabitur nomen novum, quoniam rex ex Juda exurget, & faciet ſacerdotium meum novum ſecundum typum gentium in omnes gentes. Adventus autem ipſius ineffabilis, ut prophetæ altiſſimi ex ſemine Abraham patris noſtri. Omne deſiderabile in Iſrael tibi erit & ſemini tuo, & comedetis omne pulchrũ viſu, & menſam domini diſtribuet ſemen tuum, & ex ipſis erunt principes ſacerdotum & judices & ſcribæ, quoniam in ore eorum cuſtodietur ſanctum. Et expergefactus, intellixi, quoniam hoc ſimile illius eſt, abſcondi verò hoc in corde meo, & non annunciavi hoc omni homini in terra. Primis duobus diebus aſcendimus ego & Judas ad Iſaac patrem noſtrum, & benedixit me pater patris mei ſecundum omnes ſermones viſionum mearum quas videram, & non voluit ire nobiſcum in Bethel. Ut autem venimus in Bethel, vidit pater meus Jacob in viſione de me, quod futurus eſſem eis ſacerdos coram domino. Et exurgens mane, decimavit omnia domino per me. Et venimus in Hebron ad habitandum, & Iſaac vocavit me continuo, ad exponendam legem domini, ſecundum quod monſtrauit mihi angelus Dei, & docuit me legem ſacerdotii, ſacrificiorum, holocauſtomatum, primitiarum, voluntariorum & ſalutarium. Singulis diebus docuit me intelligere, & perſeverabat in me coram domino, & dixit: Non attende fili ſpiritui fornicationis, hic enim permanebit, & per ſemen tuum inquinabit ſancta, accipe ergo tibi uxorem in juventute tua, non habentem maculam, neque inquinatam, neque de genere Allophilorum vel gentium. Et antequam intrabis ſancta, lavato ſimiliter ſacrificando. Et complens ſacrificium, rurſus lava. Duodecim arborum, perpetuo virentium, fructus offer domino, ut etiam me Abraham docuit, & omnis animalis mundi, & volatilis mundi offer ſacrificium domino. Similiter omnis primi germinis & vini offer primitias, & omne ſacrificium ſale conſpergas.

Nunc

Nunc igitur cuſtodite quæcunque mando vobis filii, quoniam quæcunque audivi à patribus meis, annunciavi vobis. Innocens ſum ab omni impietate veſtra & tranſgreſſione, quam facietis in conſummatione ſecu'orum. In Salvatorem mundi impiè facientes, ſeducentes Iſrael, & ſuſcitantes ei mala magna à domino, & iniquè facietis cum Iſrael, ut non ſubſiſtat Hieruſalem à facie malitiæ veſtræ. Et ſcindetur velum templi, ut non velet deformitatem veſtram, & diſpergemini captivi in gentibus, & eritis opprobrium, maledictio & conculcatio Domus tamen, quam elegit dominus, Hieruſalem vocabitur, quemadmodum continet liber Enoch juſti. Quando igitur accepi uxorem, eram annorum viginti octo, cui nomen erat Melcha, & concipiens peperit filium, & vocavit nomen ejus Gerſam, quando in terra noſtra advenæ eramus. Gerſam enim exilium ſignicat. Sciebam autem de ipſo, quoniam non erit in primo ordine. Secundo Kaat genitus eſt in triceſimo quinto anno. Ad orientem ſolis autem videbam in viſione, quoniam medius in excelſis ſtabat omnis congregatio, propter hoc vocavi nomen ipſius Kaat, quod eſt principium magnitudinis & inſtructionis. Tertio peperit mihi Merari quinquageſimo quinto anno vitæ meæ, & quia difficilè peperit mater ejus, vocavit eum Merari, quod eſt amaritudo mea, quoniam & ipſe mortuus eſt. Iochabed verò ſexageſimo quarto anno nata eſt in Ægypto (glorioſus ergo eram tunc in medio fratrum meorum) & accepit Gerſam in maritum, & peperit ei Lomny & Semei, & filii Kaat, Ambram, Iſaar, Chebron & Oziel. Et filii Merari, Mooly & Omniſi. Et in nonageſimo quarto anno meo, accepit Abram Johabed filiam meam ſibi in uxorem, quoniam in una die nati ſunt ipſe & filia mea. Octo annorum eram, quando ingreſſus ſum terram Chanaan: Decem & octo annorum, cum ſacerdotio functus ſum. Et vigeſimo octavo anno accepi uxorem. Et quadrageſimo anno ingreſſus ſum in Ægyptum. Et ecce filii mei, eſtis filii mei tertia generatione. Joſeph centeſimo & decimo octavo anno mortuus eſt. Et nunc filii mei mando vobis, ut timeatis dominum Deum veſtrum ex toto corde, & ambuletis in ſimplicitate ſecundum omnem legem ipſius. Docete autem & filios veſtros literas, ut habeant intellectum in omni vita eorum legentes inde.

indeſinenter legem Dei. Quoniam omnis qui cognoſcit legem dei, honorabitur, & non erit peregrinus quocunque vadat. Plures quoque amicos ſuis genitoribus habebit, & deſiderabunt multi hominum ſervire ei, atque audire legẽ ex ore ipſius. Facite juſtitiam filii mei in terra, ut inveniatis in cœlis, & ſeminate in animabus veſtris bona, ut inveniatis ea vitæ veſtræ. Si enim ſeminaveritis mala, omnem turbationem invenietis ac metetis. Sapientiam poſſidete in timore Dei, quoniam ſi fiat captivitas, & civitates diſperdantur, & regiones, aurum & argentum, & omnis poſſeſſio pereat, ſapientis ſapientiã nullus poteſt auferre, niſi cæcitas impietatis & peccati, quoniam efficientur ei hæc apud hoſtes clã, & in terra aliena patria, & in medio inimicorum invenietur amicus. Si doceat hæc & faciat, ſedebit cum rege, ſicut & Joſeph frater noſter. ET NUNC FILII COGNOVI EX SCRIPTURA ENOCH, QUONIAM IN FINE IMPIE AGETIS, IN DOMINUM MANUS IMPONENTES IN OMNI MALITIA, ET CONFUNDENTUR IN VOBIS FRATRES VESTRI, ET OMNIBUS GENTIBUS FIENT ILLUSIO. *Etenim pater noſter Iſrael mundus erit ab impietate principum ſacerdotum, qui imponent manus in ſalvatorem mundi.* Cœlum ſuper terram mundus eſt, & vos eſtis luminaria cœli ut ſol & luna. Quid facient omnes gentes, ſi vos obtenebreſcatis in impietate, & inducetis maledictionem ſuper genus veſtrum, pro quibus lumen mundi datum eſt in vobis ad illuminationem omnis hominis. Hunc volentes occidere contraria mandata docentes Dei juſtificationibus. Oblationes domini latrocinabimini, & de partibus ipſius furabimini, & antequam ſacrificetis domino, aſſumetis electa, & contemptim comedentes cum meretricibus, in avaritia mandata docebitis. Eas, quæ ſub viris ſunt, coinquinabitis, & virgines in Hieruſalem violabitis. Et meretricibus & adulteris copulabimini, filias Gentium accipietis in uxores, purificantes eas purificatione iniqua, & efficietur mixtio veſtra Sodoma & Gomorrha, & in impietate inflabimini in ſacerdotio, non ſolum autem adverſus homines elati, ſed & adverſus mandata Dei inflati illudetis ſancta in contemptu deridentes. Propter hoc templũ, quod utiq; elegit dominus, deſolabitur in immunditia, & vos captivi eritis omnibus gentibus & eritis abominatio inter eos, & accipietis

oppro-

opprobrium & confuſionem ſempiternam à juſto judicio Dei. Et omnes qui contemplabuntur vos, fugient à vobis. Et niſi propter Abraham, Iſaac & Jacob patres noſtros hoc fieret, unus ex ſemine meo non relinqueretur in terra. *Et nunc cognovi in libro Enoch, quoniam ſeptuaginta hebdomadas errabitis, & ſacerdotium inquinabitis, & ſacrificia polluetis, & legem exterminabitis, & ſermones prophetarum contemnetis, in perverſitate perſequemini viros juſtos*, & pios odio habebitis, veracium ſermones abominabimini, & virum renovantem legem in virtute altiſſimi, erronium appellabitis. *Et in fine, ut æſtimabitis, occidetis eum, neſcientes ipſius reſurrectionem.* Innocentem ſanguinem in malitia ſuper capita veſtra recepturi, propter ipſum erunt ſancta veſtra deſerta usque per juramentum prophanata, & non erit locus veſter mundus, ſed in gentibus eritis maledictio, atque deſperatio anget vos, donec ipſe rurſus viſitabit, & miſerens recipiet vos in fide & aqua. Et quoniam audiſtis de ſeptuaginta hebdomadis, audite de ſacerdotio. Secundum unumquemque enim jubileum erit ſacerdotium. In primo jubilæo, primus unctus in ſacerdotium magnus erit, & loquetur Deo ut patri, & ſacerdotium ipſius plenum erit cum timore domini, & in die gaudii ipſius in ſalutem mundi ipſe reſurget. In ſecundo Jubilæo unctus, in triſtitia dilectorum concipietur, & erit ſacerdotium ipſius honorabile, & apud omnes glorificabitur. Tertius verò ſacerdos, in triſtitia aſſumetur. Et quartus in dolore erit, quoniam apponet ſuper ipſum injuſtitiam in multitudine, & in omni Iſrael odio habebit unusquisque proximum ſuum. Quintus in tenebris comprehendetur. Similiter ſextus & ſeptimus. In ſeptimo verò erit abominatio, quam non poſſum dicere coram domino & hominibus, quoniam ipſi cognoſcentur qui facient ea. Propter hoc in captivitate & in corruptione erunt, & terra & ſubſtantia eorum exterminabitur, & in quinta hebdomada revertentur in terram deſolationis ipſorum, & renovabunt domum domini. In ſeptima verò hebdomada venient ſacerdotes Idololatrantes, bellatores avari, ſcribæ iniqui, impudici puerorum corruptores & pecorum. Et poſtquam facta fuerit vindicta ipſorum à domino in ſacerdotio, *tunc ſuſcitabit Dominus ſacerdotem novum, cui omnes ſermones domini*

revelabun-

revelabuntur, & ipſe faciet judicium veritatis in terra in multitudine dierum, & orietur aſtrum ipſius in cœlo, ſicut rex illuminans lumem cognitionis in ſole diei, & magnificabitur in orbe terrarum, uſque ad ſuſceptionem ipſius, ipſe reſplendibit ſicut ſol in terra, & tollet omnes tenebras ſub cœlo, & erit pax in omni terra. Cœli exultabunt in diebus ipſius, & terra gaudebit, & nubes exaltabuntur, & cognitio domini fundabitur in terra, ut aqua marium, & angeli gloriæ faciei domini gaudebunt in eo. Cœli aperientur, & ex templo gloriæ veniet ſuper illum ſanctificatio cum voce paterna, ſicut ab Abraham patre Iſaac, & gloria altiſſimi ſuper ipſum dicetur, & ſpiritus intellectus & ſanctificationis requieſcet ſuper ipſum, de qua ipſe dabit magnificentiam domini filiis ſuis in veritate in ſeculum, & non erit ſucceſſio ipſi in generationes & generationes uſque in ſeculum, & in ſacerdotio ipſius deficiet omne peccatum, & iniqui requieſcent à malis, juſti verò requieſcent in ipſo, & ipſe aperiet portas paradiſi, ſtatuetque minantem gladium adverſus Adam, & paſcet ſanctos de ligno vitæ, & ſpiritus ſanctificationis erit in eis. Beliar autem ligabitur ab ipſo, & dabit poteſtatem filiis ſuis ad calcandum ſuper pernicioſos ſpiritus, & lætabitur dominus in filiis ſuis. Et acceptabit eum Deus in dilectum uſque in ſecula. Tunc exultabit Abraham, Iſaac & Jacob, & ego gaudebo & omnes ſancti. Et nunc filii mei omnia audiſtis. Eligite igitur vobiſmet ipſis, vel tenebras, vel lucem, vel legem Domini, vel opera Beliar, & reſpondimus nos patri, dicentes: Coram domino ambulabimus ſecundùm legem ipſius, & dixit pater noſter: Teſtis eſt dominus, teſtes angeli ejus, & teſtis ego, & teſtes vos de ſermone oris veſtri, & cum diximus: Teſtes erimus, requievit Levi, hæc mandans filiis ſuis. Et extendit pedes ſuos, & appoſitus eſt ad patres ſuos cùm vixiſſet centum & triginta ſeptem annos, & poſuerunt eum in thecam, ET POSTEA SEPELIERUNT EUM IN HEBRON JUXTA ABRAHAM, ISAAC ET JACOB.

TESTAMENTUM IUDÆ, de Fortitudine, Avaritia & Fornicatione. IV.

TRanſcriptum ſermonum Judæ, quæcunque locutus eſt filiis ſuis antequam moreretur. Congregati venerunt ad ipſum, & dixit eis: Quartus filius effectus ſum patri meo, & mater mea vocavit me Judam, dicens: Confiteor domino, quoniam dedit mihi & quartum filiũ, velox eram, & ſtudioſus in juventute mea, & obediens patri meo ſecundum omne verbum, & benedicebam matri meæ & ſorori matris meæ. Et factum eſt, quod effectus ſum vir, & pater meus Jacob oravit ſuper me, dicens. Rex eris & proſperatus in omnibus. Ecce dedit mihi Deus gratiam in omnibus operibus meis in agro & in domo, ut videbam quod concurrebam cervæ, & apprehendens ipſam, feci cibum patri meo, & capreas ſuperabam per curſum, & omne quod erat in campis capiebam, & equam agreſtem apprehendens manſuefeci, & eripiebam hœdum ex ore ejus. Urſum capiens pede præcipitabam, & omnem feram reverſam ad me dilacerabam eam ut canis. Porco ſylveſtri concurrebam, & præoccupans in currendo dilaceravi eum. Pardalis in Hebron inſiluit ſuper canem, & apprehendens eam, ſtatim caudâ abjiciebam eam, & dirupta eſt in terminis Gare. Bovem ſylveſtrem in regione paſtum tenui cornibus, & in circulum volvebam, & cum in tenebris jacerem occidi. Quando veniebant duo reges Chananæorum loricati ſuper greges, & multus populus cum ipſis, & ego ſolus currens ſuper gregem, Sur regem continui, & in tibias percutiens proſtravi, & ita occidi eum. Alium regem Thaphem ſedentem in equo occidi, atq; ita omnem populũ diſperſi. Achor regem virum gigantem ſagittantem ante & retro, in equo apprehendens, lapidem ſexaginta librarum vibrans projeci in equum, ipſum vero interfeci. Et expugnans Achor horis duabus occidi, diſſecans clypeum ejus conſcidi pedes ejus. In exuendo autem ejus thoracem, ecce octo viri amici ejus incœperunt pugnare adverſum me. Involvens ergo manum meam lapidibus, funda percutiens ipſos, quatuor eorum occidi. Alii autem fugierunt. Et Jacob pater noſter occidit Beeliſa *regem omnium regum gigantem, fortitudine cubitorum duodecim.* Et cecidit ſuper ipſos timor, & quieverunt pugnare contra nos. Propter hoc ſolicitus erat pater meus quando in præliis eram cum fratribus meis. Vidit in viſione de me, quoniam angelus virtutis ſequebatur me in omnibus,

omnibus, ut non vincerer. Et ſecundum auſpicium factum eſt nobis prælium majus quàm quod in Sichimis, & fortiter prælians cum fratribus meis, perſecutus ſum mille viros, & occidi ex eis ducentos viros & quatuor reges, & aſcendi ſuper ipſos ſuper murum, & alios duos reges occidi, & ita liberavimus Hebron, & abduximus omnes captivos. Poſtero die abivimus in Arecam civitatem potentem, muratam, & inacceſſibilem, minantem nobis mortem. Ego igitur & Gad advenimus ab oriente civitatis, Ruben verò & Levi ab occidente & auſtro, & putabant qui ſuper muros erant, quod nos ſoli eſſemus, ac irati invaſere nos, & ita latentes fratres ex utraq; parte, ſcalis aſcenderunt murum, & intraverunt civitatem ignorantibus ipſis, & cepimus eam in ore gladii, & refugientes in turrim, incedentes eam cũ ipſis cepimus. Et cùm recederemus viri Taffi inſidiabantur prædæ noſtræ, & acceperunt eam cum filiis noſtris. Nos verò deprehendimus eos ad Taffum, atque occidimus, & civitatem incendimus, omnia quæ in ipſa erant ſpoliantes, & ut eram in aquis Gureba, hii qui à Jobel veniebant adverſus nos in prælium, contigimus eos, ſimul eos qui à Selon compugnatores ipſorum erant ſpoliavimus & occidimus. Et non dedimus eis egreſſum veniendi ad nos. Et à Machir venerunt quinto die, ut captivos abducerent, ad quos in perſeveranti pugna venimus, quoniam erat multitudo potens in eis, & occidimus eos antequam aſcenderunt aſcenſionem. Ut autem venimus ad civitatem eorum, mulieres eorum volvebant ſuper nos lapides à vertice montis, in quo erat civitas, & latitantes ego & Simeon à poſteriori apprehendimus excelſa, & totam civitatem perdidimus. Et ſequenti die dictum eſt nobis, quod civitates duorum regum in prælio gravi venirent ad nos. Ego igitur, & Dan fingentes nos Amorræos & ſocios, venimus in civitatem eorum. Nocte autem profunda venientes ad aditus civitatis, aperuimus advenientibus fratribus noſtris portas patenter, & omnes eos, & quæ eorum erant, perdidimus, & deprædantes, tres muros eorum proſtravimus. Et in Thamma appropinquavimus, ubi erat omne refugium bellantium regum. Tunc injuriam paſſus, iratus ſum, & impetum feci in ipſos ſuper verticem, & illi fundis jaciebant ſuper me lapides, & jaculabantur arcubus, & niſi Dan frater meus ſuppetias mihi

tuliſſet, interfeciſſent me. Venimus igitur irruentes in ipſos cum furore, & omnes fugerunt, & tranſeuntes per aliam viã ſupplices fiebant patri meo, & iniit fœdus cum eis, & non fecimus eis quicquam mali, ſed recepimus eos in ſocietatem, & reddidimus eis omnes captivos, & ædificavi ego Channa, & pater meus Rambahel. Viginti annorum eram, quando factum eſt bellum iſtud, & erant Chananæi timentes me & fratres meos. Erant autem mihi pecora multa, & habebam principem paſtorum Yran Odolamitem, ad quem cùm veni, vidi Barſan regem Odolam, & fecit nobis convivium, & precans dedit mihi filiam ſuæ Bethſue in uxorem, hæc peperit mihi & Annam & Sylon, quorum duos ſine filiis occidit Deus. Sylon enim vixit, & filii ejus vos eſtis. Octodecim annis fecimus pacem pater noſter & nos cum fratre ejus Eſau, & filii ejus nobiſcum, poſtquam venimus nos ex Meſopotamia à Laban: Et impletis octodecim annis in quadrageſimo anno vitæ meæ, ſupervenit nobis Eſau frater patris mei in prælio gravi & forti, & cecidit in arcu Jacob, & latus eſt mortuus in montem Sen. Nos autem perſecuti ſumus ſuper filios Eſau. Erat autem eis civitas & murus fortis, ferreus, & portæ æreæ, & non potuimus intrare in eam, obſidentes vero concluſimus eos. Cùm autem non apparerent intra dies viginti videntibus eis adduxi ſcalam & galeam ſuper caput meum, & aſcendi, accipiens lapidem pondere talentorum trium, & occidi quatuor potentes ex ipſis. Et die ſequenti intrantes Ruben & Gad, occiderunt alios ſexaginta. Tunc offerebant pacem, & conſilio patris noſtri recepimus eos tributarios. Dabant autem nobis frumenti Choros ducentos, & olei Bes quingentos, vini menſuras mille & quingentas, donec deſcendimus in Ægyptum. Poſt hoc filius meus Her duxit uxorem Thamar ex Meſopotamia, filiam Aram. Erat autem Her pernicioſus, & dubitavit de Thamar, quoniam non erat ex terra Chanaan, & angelus domini occidit eum tertia die in nocte, & ipſe non cognovit eam propter aſtutiam matris ſuæ, & hic in malitia mortuus eſt: Non enim voluit habere filios ex ipſa. In diebus thalami dedi ei virum Annan, & iſte in malitia non cognovit eam, vivens cum ea annum: & quando minatus ſum ei, coivit quidem cum ea, ſemen verò corruit in terram ſecundum mandatum

matris

matris ſuæ, & hic in malitia mortuus eſt. Volebam & Siloim dare ei, ſed uxor mea Beſſue non permiſit. Malignabatur enim in Thamar, quoniam non erat ex filiabus Chanaan ſicut ipſa. Ego enim ſciebam, quoniam pernicioſum erat genus Chanaan, ſed conſilium juventutis cæcavit cor meum, & videns eam vinum fundentem, in ebrietate vini deceptus ſum & concidi ad eam, ipſa me abſente abiit, & accepit Silon uxorem ex terra Chanaan. Cognoſcens verò quod fecit ita, maledixi ei in dolore animæ meæ, & ipſa mortua eſt in malitia filiorum ſuorum. Poſt hos autem ſermones vidua exiſtente Thamar, poſt duos annos, aſcendo tondere oves, & ornata ſponſalibus ornamentis ad portam civitatis ſedit. Lex enim Amorreorum eſt, nuptam præſidere in fornicatione per ſeptem dies juxta portam. Inebriatus igitur ego in aquis Horeb, non agnovi eam præ vino, & decepit me pulchritudo ipſius per formam ornatus, & declinans ad ipſam, dicebam: Ingredior ad te. Et dixit mihi: Quid dabis? Et dedi ei virgam meam, & zonam, & diadema regni. Et cùm coirem cum illa, concepit. Ignorans autem quod fecit, volui occidere eam: Ipſa autem mittens in abſcondito arrabones, verecundavit me, vocans verò eam, audivi in ſecreto ſermones, quos locutus ſum dormiens cum ea in ebrietate mea, & non potui occidere eam, quoniam à Domino erat. Dicebam autem: Ne fortè dolo mecum agat, ab illa accipiam arrabonem. Sed neque tetigi eam amplius uſque ad mortem meam, quoniam abominationem feci hanc in omni Iſrael, & qui erant in civitate, dicebant non eſſe in civitate deſponſatam, quoniam ex alio loco veniens ad breve ſedebat in porta, & æſtimavit, quod nullus cognovit me intraviſſe ad eam. Et poſt hoc venimus in Ægyptum ad Joſeph propter famem. Quadraginta ſex annorum eram, & LXXIII. annos vixi illic & nunc quæcunque vobis mando, audite filii patrem veſtrum, & cuſtodite omnes ſermones meos ad faciendũ omnes juſtificationes domini, & ad obediendum mandato domini Dei, & non ambuletis in deſideriis veſtris: neq; in cogitationibus conſiliorum veſtrorum in ſuperbia cordis veſtri, & non glorificemini in operibus fortitudinis juventutis veſtræ, quoniam & hoc eſt pernicioſum in oculis Domini. Quia enim & ego glorificatus ſum, quoniã in bellis non decepit me facies mulieris formoſæ.

Exprobravi Ruben fratri meo de Balla uxore patris mei. Spiritus zeli & fornicationis concidit in me, donec in Beſſue Chananæan & in Thamar nuptam filiis meis, & dicebam ſocero meo: Conſului patrem meum, itaq; accipiam filiam tuam uxorem, & oſtendit mihi nomine filiæ ſuæ auri multitudinem infinitam. Erat enim rex. Ornavit autem eam auro & margaritis, juſſitq; nobis vinum infundere in cœna in pulchritudinem mulierum, & vinum pervertit oculos meos, & obſcuravit cor meum voluptas, & deſiderans eam, concidi & tranſgreſſus ſum mandatum domini & mandatum patrum meorum, & accepi eam in uxorem. Et ſecundum conſilium cordis mei retribuit mihi dominus, quoniam non lætatus ſum in filiis ejus. Et nunc filii mei ne ebriemini vino, quoniam vinum avertit intellectum à veritate, & immittit iram deſiderii & ducit in errorem oculos, ſpiritus enim fornicationis vinum, ut miniſtrum ad voluptates habet intellectus, quoniam & duo hæc auferunt potentiam hominis. Si enim aliquis biberit vinum in ebrietatem, cogitationibus ſordidis conturbat intellectum in fornicationem, & accendit corpus in admixtionem. Et ſi adeſt deſiderii cauſa, operatur peccatum, & non verecundatur. Tale eſt vinum, filii mei, quoniam ebrius nihil erubeſcit. Et ecce, te enim & me errare fecit, ut non erubeſcerem multitudinem in civitate. quoniam in oculis omnium declinavi ad Thamar, & feci peccatum magnum, & revelavi velamen immunditiæ filiorum meorum, bibens vinum, non verecundatus ſum tranſgredi mandatum Dei, & accepi uxorem Chananæam, Propter quod intellectu opus habet, qui bibit vinum, filii mei, & is eſt intellectus vini potationis, quod unusquisque qui habet erubeſcentiam bibat. Si vero tranſeat terminum hunc, amittit intellectum, & adhæret ſpiritui erroris, qui facit ebrium turpia loqui & iniqua agere, & non verecundari, ſed & gloriari vilitate, exiſtimans eſſe bonum. Qui fornicatur, & nudatur regno, & non egreditur, ſervus effectus fornicationum, ſicut & ego nudatus ſum. Dedi enim aliis virgam meam, hoc eſt, firmamentum meæ tribus: & zonam meam, hoc eſt, potentiam: & diadema, hoc eſt, gloriam regni mei, & pœnitens de his, vinum & carnes non aſſumpſi usque in ſenectutem, & omnem lætitiam neſcivi. Et oſtendit mihi angelus Dei,

quoniam

quoniam usque in ſeculum; & regi & pauperi mulieres dominabuntur, & regis quidem tollet gloriam. Cæterum viri potentiæ, & pauperis paupertatis minimum ſunt firmamentum. Cuſtodite ergo filii mei modum in bibendo, ſunt enim in eo quatuor ſpiritus pernicioſi, concupiſcentiæ, inflammationis, luxuriæ & turpis lucri. *Si bibitis vinum in lætitia cum timore Dei erubeſcentes, vivetis.* Si autem bibitis non erubeſcentes, & recedit Dei timor, jam efficitur ebrietas, & ſubintrat inverecundia. Si vero neque omnino bibetis, non peccabitis, neque verbis contumeliæ, neque pugnæ, neque calumniæ, neque prævaricationis mandatorum Dei, neque peribitis in tempore veſtro. Nam myſteria Dei & hominum aliis revelat vinum, ut & ego mandata Dei & myſteria Jacob patris mei revelavi Chananææ Beſſue quæ vetuit Deus revelare. Sed & belli & ſeditionis cauſa efficitur vinum. Mando ergo vobis filii mei, ut non diligatis argentum, neque inſpiciatis in pulchritudinem mulierum, quoniam & propter argentum & formoſitatem erravi in Beſſue Chananæam. Novi enim quod propter duo hæc erit genus meum in malitia, & ſapientes viros filiorum meorum pervertent & regnum Judæ quod dedit mihi Dominus in obedientia patris. Nunquam enim contriſtavi verbum patris mei Jacob, quoniam omnia quæ unque dixit, faciebam. Et Abraham pater patris mei benedixit me ut pugnarem in Iſrael, & Iſaac inſuper benedixit me ſimiliter ſic. Et ego novi quoniam ex me ſtabit regnum, *quoniam & legi in libris Enoch juſti, quod mala facietis in extremis diebus.* Cuſtodimini ergo filii mei à fornicatione & avaritia. Audite Judam patrem veſtrum, quoniam iſta ſeparant à lege Dei, & excæcant conſilium animæ, & ſuperbiam docent, nec patiuntur quemquam miſericordiam exhibere proximo ſuo. Privant animam ipſius bonis omnibus, & detinent ipſum in laboribus & doloribus. Separant etiam ſomnum ab eo, & conſumunt carnes ipſius. Poſtremo ſacrificia Dei impediunt, & benedictiones negligunt, Prophetæ loquenti non obediunt, & verbo pietatis offenduntur. Duæ enim paſſiones iſtæ contrariæ ſunt mandatis Dei. Serviens his Deo obedire non poteſt, quoniam perſtringunt mentem hominis, & in die ſicut in nocte ambulat. Filii mei, avaritia ad Idola ducit. Nam in errore per argentum non

exiſtentes deos nominat deos,& cogit eum, qui illa premitur, in peſſimam degenerationem. Propter argentum ego perdidi filios meos, & niſi pœnitentia carnis meæ , & humilitas animæ meæ,& orationes Jacob patris mei fuiſſent, ſine liberis jam morerer. Sed Deus patrum meorum miſerator & miſericors cognovit,quoniam ignorantia peccavi. Excœcavit enim me princeps erroris. & ignoravi ſicut homo & caro , in peccatis corruptus ignorabam meipſius infirmitatem,exiſtimans me inexpugnabilem eſſe. Cognoſcite ergo filii mei,quoniam duo ſpiritus vacant hominis,ſpiritus veritatis,& ſpiritus erroris,& medius eſt ſpiritus intellectus mentis,cujus eſt quo vult inclinare. Et quæ ſunt veritatis,& quæ ſunt erroris ſcripta ſunt ſuper pectus hominis, & unumquodq; eorum cognoſcit deus,& non eſt tempus in quo poterunt latere hominum opera omnia, quoniam omnia occulta pectoris ſcripta coram domino,& ſpiritus veritatis teſtimonium perhibet de omnibus & accuſat omnia, & aduſtus eſt qui peccat ex proprio corde , & levare faciem non poteſt ad judicem. Et nunc filii, diligite Levi,ut permaneatis & non efferamini ſuper ipſum , ut non diſpereatis. Mihi dedit dominus regnum,& illi ſacerdotium, & ſubjecit regnum ſacerdotio. *Levi datum eſt ſacerdotium, & Iuda regnum, & ſubjecit Deus regnum ſacerdotio.* Mihi dedit quæ in terra,illi quæ ſunt in cœlis. Ut ſupereminet cœlum terræ, ita ſupereminet Dei ſacerdotium regno , quod eſt in terra. Etenim ipſum ſupra te elegit Dominus appropinquare ſibi, & comedere menſam ipſius,& primitias filiorum Iſrael, & eris ei ut mare. Quemadmodum enim in mari juſti & injuſti periclitantur, hi quidem capti,hi vero ditati, ita & in te omne genus hominum, hi quidem periclitantur capti , hi vero ditantur rapientes , quoniam regnabunt ſicut cetæ deglutientes homines,velut piſces filias & filios liberos in ſervitutem redigent. Domos,agros,greges,pecunias rapient, & multorum carnibus injuſte corvos & ibices ſaturabunt ; & proficient in malum in avaritia exaltati,& erunt ut procellæ pſeudoprophetæ,& omnes juſtos perſequentur. Inducet autem eis dominus diſſenſiones ad invicem, & bella continua erunt in Iſrael , & in alienigenis conſumabitur regnum meum,donec veniet ſalutare Iſrael , uſq; ad adventum Dei juſtitiæ,ut quieſcat Jacob in pace & omnes gentes , & ipſe

cuſtodiet

cuſtodiet pacem regni mei usque in ſæculum. Juramento enim juravit mihi dominus non deficere regnum meum & ſeminis mei, omnibus diebus usque in ſæculum. Multa autem triſtitia mihi eſt filii mei propter impudicitias, & ſacrilegia & Idololatrias, quas facietis in regnum, Phitoniſſas ſequentes, dæmonibus erroris filias veſtras devoventes, cantatrices & publicas facietis, & immiſcebimini abominationibus gentium, pro quibus ducet Dominus ſuper vos famem & peſtilentiam, mortem & gladium, ulciſcentem obſidionem, & canes in dilanationem inimicorum, & amicorum opprobria, perditionem & dolorem oculorum, puerorum occiſionem, & uxorum ablationem, poſſeſſionum rapinam, templi Dei incendium, terræ deſolationem, veſtri ipſorum ſervitutem in gentibus, & ex vobis in eunuchos uxoribus execabunt. Verum ſi revertamini ad Dominum in humilitate cordis pœnitentes, & ambulantes in omnibus mandatis Dei, viſitabit vos Dominus in miſericordia, & in dilectione à captivitate inimicorum veſtrorum. ET POST HÆC ORIETUR VOBIS ASTRUM EX JACOB IN PACE ET EXURGET HOMO EX SEMINE MEO, UT SOL JUSTITIÆ, AMBULANS CUM FILIIS HOMINUM IN MANSUETUDINE ET JUSTITIA, ET OMNE PECCATUM NON INVENIETUR IN EO, ET APERIENTUR SUPER IPSUM COELI AD EFFUNDENDUM SPIRITUS BENEDICTIONEM A PATRE, ET IPSE EFFUNDET SPIRITUM GRATIÆ SUPER VOS, ET ERITIS EJUS FILII IN VERITATE, ambulabitis in præceptis illius primis & ultimis, hic eſt germen Dei altiſſimi, & hic eſt fons vitæ omni carni. Tunc refulgebit ſceptrum regni mei, & à radice veſtra naſcetur vas plantationis, & in eo aſcendet virga juſtitiæ gentibus, ut judicet & ſalvet omnes invocantes eum. *Et poſt hoc reſurget Abraham, Iſaac & Iacob in vitam, & ego & fratres mei principes ſceptrum veſtrum in Iſrael erimus.* Levi primus. Secundus ego. Tertius Joſeph. Quartus Benjamin. Quintus Simeon. Sextus Iſachar, & ita deinceps omnes. Et Dominus benedixit Levi, angelus faciei meæ, virtutes gloriæ Simeon, cœlum Ruben, Iſachar terra, mare Zabulon, montes Joſeph, tabernaculum Benjamin, luminaria Dan, deliciæ Neptalim, ſol Gad, oliva Aſer. Et erit unus populus Domini & lingua una, & non erit amplius ſpiritus erroris

erroris Beliar, quoniam mittetur in ignem in ſeculum. Qui in triſticia mortui ſunt, reſurgent in gaudio: & qui in paupertate propter Dominum, ditabuntur, qui in inopia, ſaturabuntur: qui in infirmate, fortificabuntur: & qui propter Dominum mortui ſunt, evigilabunt in vita, & current in Jacob, & current in exultatione, & aquilæ Iſrael volabunt in gaudio. Impii vero triſtabuntur, & peccatores lugebunt, & omnes populi glorificabunt in ſecula Dominum. Cuſtodite ergo filii mei omnem legem Domini, quoniam eſt ſpes omnibus dirigentibus viam ſuam, & dixit ad eos: Centem decem & novem annorum, ego morior hodie in oculis veſtris. Nullus me ſepeliat in pretioſa veſte, vel ventrem meum reſcindat, quoniam hæc facturi ſunt regnantes, *& reducite me in Hebron vobiſcum.* Et hæc dicens, odormivit Judas. Et fecerunt filii ejus ſecundum omnia quæ mandavit eis, & ſepelierunt eum in Hebron cum patribus ſuis.

TESTAMENTUM ISACHAR de Gula. V.

TRansſcriptum verborum Iſachar, vocans filios ſuos, dixit eis: Audite filii Iſachar patrem veſtrum, auribus percipite verba dilecti à domino. Ego ſum natus quintus filius Jacob in mercede mandragorarum. Jacob enim attulit mandragoras ex agro, & præobuians Rachel accepit eas, Flevit autem Ruben, & in voce ipſius exivit Lya mater mea. Mandragoræ autem erant mala odorifera quæ producit terra Aram in excelſo ſub valle aquarum. Dixit autem Rachel: Non dabo hoc tibi, quoniam erunt mihi pro filiis. Erant autem mala duo. Et dixit Lya: ſufficiat tibi, quoniam accepiſti virum virginitatis meæ. Num & hæc accipies? Illa verè dixit, Ecce ſit Jacob tibi nocte hac pro mandragoris filii tui. Dixit autem Lya ad eam: Non jactes & non glorieris, meus enim eſt Jacob, & ego uxor iuventutis ejus. Rachel verò dixit: Quid igitur, quoniam mihi primo copulatus eſt, & propter me ſervivit patri noſtro annis quatuordecim. Et dixit Lya: Quid tibi faciam, quoniam multiplicatus eſt dolus & aſtutia hominum, & dolus procedit in terra. Si autem ſecus eſſet neque tu quidem videres faciem Jacob. Non enim uxor ipſius tu es, ſed in dolo

dolor pro me induta es. Et ſeduxit me pater meus, & transferens me nocte illa, non permiſit me videre, quoniam ſi fuiſſem illic, non factum fuiſſet hoc. Et dixit Rachel: Accipe unam mandragoram, & pro una in mercede do tibi eum in una nocte. Et cognovit Jacob Lyam, concipiens, me peperit, & propter mercedem vocatus ſum Iſachar. Tunc aparuit Jacob angelus Domini, dicens: Quoniam duos filios Rachel pariet, quia reſpuit coitum viri, & elegit continentiam, & niſi Lya mater mea pro coitu reddidiſſet duo mala, octo filios paritura fuiſſet, propter hoc ſex peperit. Duos vero Rachel quoniam in mandragoris viſitavit eam Deus. Sicut enim quod propter filios voluit coire cum Jacob, & non propter deſyderium voluptatis. Apponens enim & in craſtino reddidit Jacob, ut acciperet & aliam mandragoram propter hoc in mandragoris, exaudivit Dominus Rachel, quoniam & deſyderans eas non comedit, ſed repoſuit eas in domo Domini offerens ſacerdoti altiſſimi, qui erat in tempore illo. Quando ergo factus ſum vir filij mei, ambulavi in rectitudine cordis mei. Et factus ſum agricola patrum meorum, & attuli fructus ex agris ſecundum tempus eorum, & benedixit me pater meus, videns quod in ſimplicitate ambulabam, & non eram perſcrutator in omnibus actibus meis neque pernicioſus aut invidens proximo, non oblocutus ſum alicui neque vituperavi vitam hominis ambulans in ſimplicitate oculorum. Propter hoc triginta annorum accepi mihi meam uxorem, quoniam labor devoraverat fortitudinem meam. Et illecebroſus nunquam intelligebam voluptatem mulieris, ſed per laborem ſomnus meus circumdedit me, & ſemper gaviſus eſt in ſimplicitate mea pater meus, Si quid enim laborabam, omnem fructum & omne primum per ſacerdotem Domino offerebam, deinde patri meo, tunc ego, & Dominus duplicavit bona in manibus meis. Scivit autem & Jacob, quoniam Deus cooperatur ſimplicitati meæ. Omne enim pauperi & omni tribulato tribuebam terræ bona in ſimplicitate cordis. Et nunc audite me filii, & ambulate in ſimplicitate cordis, quoniam novi in ipſa omnem beneplacentiam Domini. Simplex aurum non concupiſcit, proximum non invadit, cibos varios non appetit, veſtem diverſam non vult, tempora longa ſibi

ſibi non promittit, ſed ſolum recipit voluntatem Dei, & ſpiritus erroris nihil poſſunt adverſus eum. Non enim novit recipere pulchritudinem mulieris, ne coinquinet mentem ſuam. Non zelus in conſiliis ejus ſuperveniet, non invidia liquefacit animam ejus, neque lucrum in avaritia excogitat. Ambulat enim in rectitudine vitæ, & omnia videt in ſimplicitate, non recipiens oculis pernicioſitates ab errore mundi, ut non videat perversè aliquod mandatorum Dei. Cuſtodite ergo legem Dei filii mei, & ſimplicitatem poſſidete. & in innocentia ambulate, non circumſcrutantes mandata Domini & proximi actus. Sed diligite Deum & proximum, pauperis & infirmi miſeremini, Supponite dorſum veſtrum in agriculturam, & operamini in operibus terræ ſecundum unumquamq; agriculturam, dona cum gratiarum actione Domino offerentes, quoniam primis germinibus fructuum terræ benedixit Dominus, ſecundum quod benedixit omnes ſanctos ab Abel usq; nunc. Non enim datur tibi alia pars quàm pinguedinis terræ, cujus in doloribus ſunt fructus, quoniam pater noſter Jacob in benedictionibus terræ & primitiarum fructuum benedixit me. Et Levi & Judas glorificati ſunt à Domino in filiis Jacob. Etenim Deus hæreditavit in illis, & huic quidem dedit ſacerdotium, huic vero regnum. Eis ergo obedite, & in ſimplicitate patris noſtri ambulate, quoniam Gad datum eſt perdere tentationes ſupervenientes Iſrael. Novi filii mei, quoniam in extremis temporibus derelinquent filii veſtri ſimplicitatem, & adhærebunt avaritiæ: & dimittentes innocentiam, appropinquabunt malignitati: & derelinquentes mandata Dei, adhærebunt Beliar: & dimittentes agriculturam, ſequentur pernicioſa conſilia ſua, & diſpergentur in gentes, & ſervient inimicis ſuis. Vos ergo dicite hoc filiis veſtris, ut ſi peccent, velociter revertantur ad Dominum, quoniam miſericors eſt, & eripiet eos, ut revertantur in terram ſuam. Centum viginti duorum annorum ſum ego, & non cognovi ſuper me peccatum in mortem, præter uxorem meam non cognovi aliam: non fornicatus ſum in electione oculorum meorum: vinum in ebrietate non bibi: omne deſiderabile proximi non deſideravi: dolus non factus eſt in corde meo, mendaciū non aſcendit per labia mea: omni homini contriſtato congemui, & pauperi dedi panem meum. Non

comedi

comedi ſolus, terminum non ſolvi, pietatem feci in omnibus diebus meis & veritatem, Dominum dilexi in tota fortitudine mea. Omnem hominem dilexi ut filios meos. Si & vos filii mei hæc feceritis, omnis ſpiritus Beliar fugiet à vobis, & omnis actio perniciosorum hominum non dominabitur vobis, & omnem agreſtem feram ſervituti ſubjicietis, habentes vobiſcum Deum cœli, ambulantes cum hominibus in ſimplicitate cordis. Et mandavit eis ut reducant eum in Hebron, & illic eum ſepeliant in ſpelunca cum patribus ſuis. Et extendit pedes ſuos, & mortuus eſt quintus filius Lye in ſenectute bona, omne membrum habens ſanum & potens, dormivit ſomnum ſecularem.

TESTAMENTUM ZABULON, de commiſeratione & miſericordia. VI.

TRanſcriptum Zabulon, quod diſpoſuit filiis ſuis centeſimo decimo quarto anno vitæ ſuæ, poſt triginta duos annos mortis Joſeph. Et dixit eis: Audite me filii Zabulon, datio bona genitoribus meis. Cùm enim genitus eſſem, multum auctus eſt pater meus gregibus & armentis, quoniam in variis virgis habuit ſortem. Non cognovi filii mei, quod peccavi in diebus meis, neq; enim tunc recordabar, quoniam iniquitatem feci propter ignorantiam in Joſeph, quoniam cœlavi cum fratribus meis patri meo, quod factum erat, & flevi multum in abſcondito. Timui enim fratres meos, quoniam conſpirabant omnes ſimul, ut ſi quis revelaret myſterium, occiderent eum gladio. Tamen quoniam volebant occidere eum, multa teſtificatus ſum eis lachrymans, ne facerent iniquitatem hanc. Venerunt enim Simeon & Gad ſuper Joſeph, ut occiderent eum, & cadens ſuper faciem Joſeph, dixit eis: Miſeremini mei fratres mei, miſeremini viſcerum Jacob patris noſtri. Non injiciatis in me manus veſtras, ut effundatis ſanguinem innocentem, quoniam non peccavi in vos. Si verò peccavi, in diſciplina erudite me. Manum autem veſtram ne inferatis propter Jacob patrem noſtrum. Ubi autem dixit verba hæc, miſeratione commotus, veni ego, & incœpi flere, & epata mea reſoluta ſunt in me, & omnis ſubſiſtentia viſcerum meorum laxata eſt ſuper animam meam. Flevit autem Joſeph & ego cum ipſo, & intremuit cor meum, & jun-

& juncturæ corporis mei expaverunt, & non potui ſtare, & videns me flentem cum eo, & illos ſupervenientes ad occidendum eum, refugit retro me deprecans eos. Exurgens autem Ruben, dixit: Fratres, non occidamus eum ſed projiciamus eum in lacum exſiccatum, quem foderunt patres noſtri, & non invenerunt aquam. Ideo enim prohibuit Deus aſcendere aquam in eum, ut fieret protectio Joſeph, & fecit Deus ita, donec vendiderunt eum Iſmaelitis. Neque in peccato Joſeph, filii, ego conſenſi, ſed Simeon, Gad, & alii ſex fratres noſtri accipientes prætium Joſeph, emerunt calciamenta ſibiipſis & uxoribus ſuis & filiis ſuis, dicentes: Non comedamus illud, quoniam prætium ſanguinis eſt fratris noſtri, ſed conculcatione conculcemus illud, pro eo quod dixit ſe regnaturum ſuper nos, & videbimus quid portendant ſomnia ejus. Ergo in Scriptura legis Enoch ſcriptum eſt non volenti ſuſcitare ſemen fratri ſuo: Solvi calciamentum Joſeph. Etenim venientes in Ægyptum ſoluta ſunt a pueris Joſeph ante porportam & ita adoraverunt Joſeph ſecundum typum Pharaonis. Non ſolum autem adoraverunt eum, ſed etiam rubore ſuffuſi ſunt procidentes coram eo, & ſic confuſi ſunt coram Ægyptiis. Deinde audierunt Ægyptii omnia mala quæ fecimus Joſeph. His factis appoſuerunt fratres cibum ut comederent. Ego vero per duos dies ad duas noctes nõ guſtavi cibum, miſeratus Joſeph, & Judas non comedit cũ eis. Intendebat autem in lacum, quoniam timebat ne reſilientes Simeon & Gad, interficerent eum. Et videntes me nõ comedentem, poſuerunt me cuſtodire ipſum, quouſque venditus eſt. Fuit autem in lacu tres dies & tres noctes, & ita venditus eſt incibatus. Et audiens Ruben, quod venditus eſt abſente eo, circumſciſſus plorabat, dicens. Quomodo videbo faciem Jacob patris mei? Et accipiens argentum, cucurrit ad mercatores & neminem invenit, dimittentes enim viam regiam ambulaverunt per devia in velocitate, & non comedit Ruben panem in die illa. Accedens ergo Dan, dixit ei: Ne fleas neque triſteris de juvene; ſcio quid dicturi ſimus patri noſtro Jacob: Occidemus hircum caprorum, & tingemus tunicam Joſeph, & dicemus: Cognoſce, ſi tunica filii tui eſt iſta. Tunica enim patris noſtri exuerunt Joſeph cum vendituri erant eum, & induerunt eum veſtimentum ve-

tum vetus ſervi. Tunicam vero habuit Simeon & noluit dare eam, volens gladio ſuo diſcindere eam, iratus quod viveret adhuc, nec occidiſſet eum. Exurgentes autem adverſus eum omnes ſimul dixerunt: Quid ei daturus ſis? cum tu ſolus feciſti hoc malum in Iſrael. Et ita dedit eam, & fecerunt ſicut dixit Dan. Et nunc filii mei annuncio vobis, cuſtodite mandata Domini, & facite miſericordiam in proximo, & viſcera miſericordiæ in omnes habete, non ſolum ad homines, ſed & ad irrationalia. Propter hoc enim benedixit me Dominus & omnibus fratribus meis ægrotantibus, ego ſine ægritudine evaſi. Novit enim Deus uniuſcujuſque electionem. Habete ergo miſericordiam in viſceribus veſtris filii mei, quoniam ut aliquis facit proximo ſuo ita & Dominus faciet ei. Et enim filii fratrum meorum ægrotabant, moriebantur propter Joſeph, quoniam non fecerunt miſericordiam in viſceribus ſuis. Filii autem mei ſine ægritudine cuſtoditi ſunt ſicut noviſtis. Et eram in Chanaan in littore venatus ſum venatione piſcium Jacob patri meo, & multis ſuffocatis in mari ego illæſus permanſi. Primus ego feci ſcapham in mari navigare, quoniam Deus dedit mihi intellectũ & ſapientiam in ipſa, & dimiſi lignum retro ipſam, & linteamen extendi in ligno medio, & in ipſa perambulans littora, piſcabar piſces domui patris mei, uſquequo venimus in Ægyptum, & ex venatione mea omni homini peregrino miſeratus dabam. Si vero erat peregrinus, vel ægrotans, vel ſenex coquens piſces, & faciens hoc bene ſecundum uniuſcujuſque neceſſitatem, afferebam omnibus colligens & compatiens. Propterea Deus multos piſces fecit me venari in mari. Qui enim tribuit proximo, accipit multiplicata à Domino. Quinq; annis piſcatus ſum, omni homini quem videram tribuens, & omni domui patris mei ſufficienter. In autumno piſcabar, in hyeme autem paſcebam gregem cum fratribus meis. Nunc annunciabo vobis quæ feci: Videbam tribulatum in medietate hyemis, & miſeratus ſuper ipſum furatus veſtimentum ex domo mea abſcondite dedi tribulato. Et vos ergo filii mei ex his quæ tribuit vobis Dominus, indifferenter omnibus miſerentes, miſericordiam facite, & tribuite omni homini in bono corde. Si vero non habetis, ut quam primu detis indigenti, compatiamini in viſceribus miſericordiæ. Novi quoniam manus mea

non

non neglexit vel horam tribuere indigenti, & amplius ſeptem ſtadiis ambulans cum ipſo flebam,& viſcera mea verſa ſunt ſuper ipſum in compaſſionem. Et vos ergo filii mei, habete viſcera miſericordiæ adverſus omnem hominem in miſericordia, ut & Deus in vos propitius miſereatur vobis. Quoniam in extremis diebus Deus mittet miſericordiã ſuam in terram,&ubi invenerit viſcera miſericordiæ, in ipſo habitabit. Quantum enim homo miſeretur erga proximum: tantum Deus ipſi. Quando enim deſcendimus in Ægyptum, Joſeph non recordatus eſt mali in nos, me verò videns, miſertus eſt. In quem inſpicientes & vos immemores malorum efficiamini filii mei,& diligite invicem,&non cogitetis unusquisq; malitiam fratris ſui, quoniam hoc dividit unitatem , & omnem conſanguinitatem diſpergit & animam perturbat; Memor enim mali viſcera miſericordię non habet. Attendite aquas, quoniam cùm ſimul moventur, lapides, ligna, arenam diſtrahunt. Si verò in multas dividantur, terra exterminat eas,& fiunt neglectæ,& vos, ſi dividamini, eritis ita Nec ſcindamini in duo capita, quia omne quod fecit Deus, caput unum habet, dedit duos humeros, manus, pedes, ſed omnia membra uni capiti obediunt. *Novi in ſcriptura patrum meorum, quoniam in ultimis diebus recedetis à Domino,& diviſi eritis in Iſrael,* duos reges ſequemini,& omnem abominationem facietis,& omne Idolum adorabitis,& capita vabunt vos inimici veſtri, & ſedebitis in nationibus in omnibus infirmitatibus, tribulationibus & doloribus animæ. Et poſt hoc recordabimini Domini,& pœnitebitis,& convertet vos, quoniam miſerator eſt & miſericors , non excogitans malitiam filiis hominum, quoniam caro ſunt,& ſpiritus erroris ſeducunt eos in omnibus actibus ſuis. ET POST HÆC ORIETUR VOBIS IPSE DEUS LUMEN JUSTITIÆ, ET SANITAS ET MISERICORDIA IN POENIS EJUS. IPSE REDIMET OMNEM CAPTIVITATEM FILIORUM HOMINUM A BELIAR,& omnis ſpiritus erroris conculcabitur, & convertet omnes gentes in æmulationem ejus, & videbitis Deum in forma hominis, quoniam elegit Deus Hieruſalem, nomen Deus ei. Et rurſus in malitia ſermonum veſtrorum, ad iracundiam provocabis eum, & abjecti eritis usque ad tempus conſummationis. Et nunc filii mei

non

non contriſtemini, quoniam morior ego,neque concidatis, quoniam relinquo vos. Reſurgam enim rurſum in medio veſtri, velut dux in medio filiorum ſuorum. Et lætabor in medio tribus meæ, quotquot cuſtodierunt legem Domini & mandata Zabulon patris eorum.Super impios vero inducet Dominus ignem æternum, & perdet eos uſque in generationes.Ego in requiem meam recurro ſicut patres mei, vos autem timete Dominum Deum veſtrum in omni fortitudine omnibus diebus vitæ veſtræ.Et hæc dicens,dormivit ſomno bono,& poſuerunt eum filii ſui in thecam. Poſtea autem reducentes eum in Hebron, & ſepelierunt eum cum patribus ſuis.

TESTAMENTUM DAN, de Ira & mendacio. VII.

TRansſcriptum verborum Dan, quæ dixit filiis ſuis, in ultimis diebus ſuis centeſimo viceſimo quinto anno vitæ ſuæ,vocans tribum ſuam,dixit.Audite filii Dan ſermones meos, attendite verbis oris patris veſtri:Probavi in corde meo,& in omni vita mea,quod bonum eſt:NamDeo beneplacet veritas cum juſta actione, odi quod pernicioſum fuit,ut mendacium & iram,quoniam omnem malitiam hominem edocent.Confiteor vobis hodie filii mei, quoniam in corde meo lætatus ſum de morte Joſeph viri veritatis & boni, & gaudebam in venditione Joſeph, quoniam ſuper nos pater eum diligebat.Spiritus enimZeli & elationis dixit mihi. Et tu es filius ejus.Et unus ſpirituũ Beliar cooperabatur mihi,dicēs.Accipe gladiũ hunc,&in eo occideJoſeph,& diliget te pater tuus mortuo eo. Hic eſt ſpiritus iræ ſuadens mihi,ut ſicut pardalis devorat hœdum, ita devorarem Joſeph.Sed Deus Jacob patris noſtri, non inmiſit eum in manus meas, ut invenirem eum ſolum, neque permiſit iniquitatem hanc facere, ut ſolvantur duo ſceptra in Iſrael. Et nunc filii mei,ego morior, & in veritate dico vobis,quoniã ſi non cuſtodiatis voſmetipſos à ſpiritu mendacii & iræ, & non diligatis veritatem & longanimitatem,diſperibitis. Cæcitas eſt in ira filii mei,& non eſt aliquis iracundus, videns faciem in veritate,quoniam & ſi pater & mater eſt, ut hoſtibus attendet eis. Si ſit frater, non novit: ſi propheta Domini, non obedit: ſi juſtus, non aſpicit, amicum non

cognoſcit. Circumponit enim ei ſpiritus iræ retia erroris, & excœcat naturales oculos ejus, per mendacium obtenebrat mentem ejus, & propriam viſionem tribuit ei. In quo autem circumponit oculis ejus? in odio cordis. Et dat ei cor proprium adverſus fratrem in invidiam. Pernicioſa eſt ira filii mei, & enim ipſæ animæ ipſa ſit anima, & corpus quidem iracundi proprium ſibi facit, animæ autem dominatur. Et tribuit corpori potentiam, ut faciat omnem iniquitatem. Et cùm jam operata fuit anima, juſtificat quod operatum eſt, quia non videt. Propter hoc qui iratus eſt, ſiquidem ſit potens, triplicem habet potentiam in ira. Unam quidem per potentiam & adjutorium miniſtrantium. Secundam autem per divitias perſuadens & vincens in injuſtitia. Tertiam naturalem habens corporis, & per ſe ipſum operans malum. Si autem debilis ſit qui iraſcitur, duplam habet poteſtatem: præ ea quæ eſt naturæ. Adjuvat enim ſemper iniquitatem hic ſpiritus, ut ſemper cum mendacio fiant actus ejus. Quapropter intelligite potentiam iræ, quoniam vana eſt. In ſermone enim exacerbat, à dextris Sathanæ ambulat, ut incredulitate & mendacio fiant actus ejus. Quapropter intelligite potentiam iræ, quoniam vana eſt. In ſermone enim exacerbat primum. Deinde in operibus fortificat ſtimulatum, & in jacturis amaris conturbat conſilium ejus, & ita exuſitat in ira magna animum ejus. Quando ergo loquitur aliquis adverſum vos, ne movemini in iram. Si laudat vos ut bonos, ne elevemini, neque tranſmutemini, neque in petulantiam, neque in rigorem vultus. Primum enim delectat auditum, atque exacuit mentem, ut intelligat quod improperatum eſt. Et tunc iratus exiſtimat juſtè iraſci. Si in jacturam aut perditionem aliquam incideritis filii, ne tumultuemini mihi, quoniam hic ſpiritus concupiſcere facit quod perditum eſt, ut iraſcatur per deſiderium. Si autem jacturam patiemini voluntariè, ne contriſtemini, triſtitia enim ſuſcitat iram cum mendacio. Eſt autem malum duplicem habere faciem. Ira cum mendacio, colloquuntur, adinvicem, ut conturbent conſilium. Turbata autem anima per contumeliam, recedit Dominus ab ipſo & dominatur ei Beliar. Cuſtodite ergo filii mei mandata Domini, & legem ejus ſervate. Fugite autem & odite mendacium, ut Dominus habitet in vobis, & fugiat à vobis Beliar.

Veritatem

Veritatem loquimini unusquiſque ad proximum ſuum ut non incidatis voluntariè in turbationem, ſed eritis in pace, habentes Deum pacis, & non prævalebit adverſum vos bellum. Dilige Dominum in omni vita veſtra, & voſmet adinvicem in veraci corde. Novi enim quoniam in ultimis diebus recedetis à Domino, & offendetis Levi & Judæ reſiſtetis, ſed non ſuperabitis eos. Angelus enim Domini ducit utroſq;, quoniam in ipſis ſtabit Iſrael. Et cùm recedetis à Domino, in omni malitia ambulabitis, facientes abominationes gentium, abeuntes ad mulieres iniquorum, in omni malitia, ſpiritibus erroris operantibus in vobis. *Legi enim in libro Enoch juſti, quoniam princeps veſter eſt Sathanas*, & quoniam omnis ſpiritus fornicationis & ſuperbiæ Levi ſeſe applicabit ad inſidiandum filiis Levi, ut faciat eos peccare coram Domino. Filii autem appropinquabunt ad Levi, ſpectantes eum in omnibus, & filii Judæ erunt in avaritia, rapiantes aliena ut leones. Propter hoc abducemini cum eis in captivitatem, & illic recipietis omnes plagas Ægypti & omnes malitias gentium, & ita revertentes ad Dominum miſericordiam conſequemini, & ducet vos in ſanctificationem ſuam clamans vobis pacem. ET ORIETUR VOBIS EX TRIBU JUDA ET LEVI SALUTARE DOMINI. Ipſe faciet adverſus Beliar prælium, & ultionem victoriæ dabit juvenibus noſtris. Animas ſanctorum captivas liberabit à Beliar, & convertet corda incredula veſtra ad Dominum, & dabit invocantibus eum, pacem æternam, & requieſcent in eodem ſancti, & in nova Hieruſalem lætabuntur juſti, quæ erit in glorificationem Dei uſq; in ſeculũ Non amplius ſuſtinebit Hieruſalem deſolationẽ, neq; captivabitur Iſrael, quoniam Dominus erit in medio ejus cũ hominibus converſatus, & ſanctus Iſrael regnans ſuper ipſos in humilitate & paupertate. Et qui credit in eum, regnabit in veritate in cœlis. Et nunc timete Dominum filii mei, attendire vobis à ſathana & à ſpiritu ejus, appropinquate autem Deo & angelo excuſante vos, quoniã hic eſt mediator Dei & hominũ ad pacem Iſrael. Contra regnũ inimici ſtabit, quapropter conabitur inimicus ſubvertere omnes invocantes Dominũ. Novit enim, quoniã in qua die ceciderit Iſrael, cõſumabitur regnũ inimici. Ipſe angelus pacis forticabit Iſrael, ne incidat in finem malorum: In tempore illo recedet Iſrael ab ini-

ab iniquitate, & dominus viſitabit facientes voluntatem ipſius: nomen verò ejus erit in omni loco Iſrael, & in gentibus Salvator. Conſervate igitur voſmetipſos filii mei ab omni opere pernicioſo, & abjicite iram & omne mendacium. Diligite veritatem & longanimitatẽ, & quæ audiviſtis à patre veſtro, tradite & vos filiis veſtris, ut recipiat vos pater gentium. Eſt enim verax & longanimis, manſuetus & humilis, & docens per opera legem Dei. Diſcedite ergo ab omni injuſtitia, ut adhæreatis juſtitiæ legis Domini, & ſepelite me prope patres meos. Hæc dicens, oſculatus eſt eos, & dormivit ſomnum ſecularem. Sepelierunt autem filii ejus, ac reduxerunt oſſa ejus prope Abraham, Iſaac & Jacob. Et quemadmodum prophetavit eis Dan, quod legem Dei ſui neglecturi eſſent aliquando, ac ſeipſos abalienaturi à terra hæreditatis ipſorum, à genere & patria Iſrael, ita factum eſt.

TESTAMENTUM NEPTALIM de Bonitate. VIII.

TRansſcriptum teſtamentum Neptalim, de his quæ diſpoſuit in tempore finis ſui, in anno centeſimo trigeſimo ſecundo vitæ ſuæ. Convenientibus filiis ſuis ſeptimo menſe, quarta die menſis ipſo ſano exiſtente, juſſit apparare cœnam & potum magnificum. Poſtquam autem excitatus eſt à ſomno mane, & quoniam morti proximus erat, laudabat Dominum qui illum confirmabat, & incœpit ſic loqui filiis ſuis: Audite filii mei Neptalim, audite ſermones patris veſtri: ego natus ſum à Balla, & quoniam aſtutè fecit Rachel, & dedit pro ſe ipſa Ballam Jacob, & ſuper fœmora Rachel peperit me, propter hoc vocatus ſum Neptalim. Et dilexit me Rachel, quoniam ſuper fœmora ſua natus ſum: & ipſa tenerum exiſtentem oſculata eſt me dicens: Videam fratrem tuum ex ventre tuo ſecundum te. Unde ſimilis mihi erat in omnibus Joſeph ſecundum petitiones Rachel. Mater autem mea Balla, filia Rothæi fratris Deboræ meretricis Rebeccæ; quæ Balla in una die nata eſt in qua & Rachel. Rothæus enim de genere Abraham erat Chaldæus, Deum venerans, liber & nobilis, ſed cùm eſſet captivus, emptus eſt à Laban, & dedit ei Evam ancillam ſuam in uxorem, quæ peperit filiam, & vocavit eam Zelipham cognomine caſtelli,

in quo

in quo captus erat. Deinde peperit Ballam, dicens: Noviter feſtinans filia mea, confeſtim enim nata feſtinavit lac ſugere. Et quia pedibus levis eram ut cervus, ordinavit me pater meus Jacob in omnem miſſionem & annunciationem, & ut cervum me benedixit. Quemadmodum enim figulus novit vas quantum capit, & ad ipſum fert lutum, ita & Dominus ad ſimilitudinem ſpiritus facit corpus, ad potentiam corporis ſpiritum imponit. Et non eſt jam una tertia ex uno capillo, pondere enim & menſura & regula omnis creatura altiſſimi Et quemadmodum novit figulus uniuscujusque uſum, quibus rebus reficere queat, ita & Dominus novit corpus uſque quo ſufficiat in bono, & quando incipit in malo, quoniam non eſt ulla creatura, nec ullus intellectus, quem non cognovit Deus. Omnem enim hominem creavit ad imaginem ſuam, ſicut & fortitudo ejus: ita & opus ejus: & ſicut mens ejus, ita & opus ejus: & ſicut prælectio ejus, ita & actus ejus: ſicut cor ejus, ita & os ejus: ſicut oculus ejus, ita & ſomnus ejus, ſicut anima ejus, ita & ſermo ejus, vel in lege Domini, vel in lege Beliar. Et ſicut diviſum eſt inter medium lucis & tenebræ, viſus & auditus, ita diviſum eſt inter medium viri & inter medium mulieris. Neque eſt dicendum, quod ulla in re faciei vel ſimilium quid præſtet. Omnia enim in ordine fecit Deus bona. Quinque ſenſus in capite, & collum copulavit capiti, & capillos ad gloriam. Deinde cor ad prudentiam, ventrem ad excretionē ſtomachi, calamum ad ſanitatem, epar ad iram, fel ad amaritudinem, ad riſum ſplenem, renes ad aſtutiam, lumbos ad virtutem, coſtas ad poſitionem, ſpermam ad fortitudinem, & quæ deinceps. Ita filii mei in ordine ſitis bono, in timore Dei, neq; quidquam inordinatum facite ex contemptu, neque extra tempus ſuum. Quoninam ſi dicas oculo audire, non poteſt. Itaque neque in tenebris poteris facere opera lucis. Non igitur feſtinate in avaritia corrumpere actus veſtros, vel in ſermonibus vanis ſeducere animas veſtras, quoniam tacentes in munditia cordis potentis voluntatem Dei tenere, & abjicere voluntatem diaboli. Sol & luna & ſtellæ non mutant ordinem ſuum, ita & vos non mutetis legem Dei in inordinatione actuum veſtrorum. Gentes errantes, & derelinquentes Dominum, mutaverunt ordinem ſuum, & ſecuti ſunt lapides & ligna, ſequentes ſpiritus erroris.

Vos autem non ſic filii, unum Deum veſtrum cognoſcite, in firmamento, in terra, & in mari, & in omnibus creaturis Dominum, qui fecit hæc omnia, ut non efficiamini ſicut Sodoma, quæ mutavit ordinem naturæ ſuæ. Similiter autem & vigiles immutaverunt ordinem naturæ ipſorum, & quos male dixit Dominus in diluvio, propter ipſos ab habitatione & fructibus ordinans terram inhabitabilem. Hæc dico filii mei, quoniam legi in Scriptura ſancta Enoch, quod & vos recedetis à Domino ambulantes ſecundum iniquitatem Sodomorum, & inducet Dominus vobis captivitatem, & ſervietis illic inimicis veſtris, & omni pœna & tribulatione comprehendimini, usquequo conſumat Deus omnes vos. Et poſtquam pauci effecti fueritis & minorati, revertimini & cognoſcetis Dominum Deum veſtrum & convertet vos in terram veſtram, ſecundum multam miſericordiam ſuam. Et erit cùm venerint in terram patrum ſuorum, ruſſus obliviſcentur Domini, & impiè agent, & diſperget eos Dominus ſuper faciem univerſæ terræ, usquequo venerit miſericordia Domini, homo faciens miſericordiam & juſtitiam in omnes qui longè ſunt, & qui prope. In anno enim quadrageſimo vitæ meæ, vidi in montibus olei, verſus orientem Hieruſalem (quoniam ſol & luna ſteterunt) & ecce Iſaac pater patris mei dicit nobis: Accurrentes tenete unusquisque ſecundum virtutem ſuam, poteſt enim apprehendi ſol & luna. Et omnes ſimul accurrebamus, & Levi tenuit ſolem, & Judas accingens, apprehendit lunam, & exaltati ſunt ambo cum eis. Et cùm eſſet Levi ſicut ſol, juvenis quidam tradidit ei rámos, palmarum duodecim, & Judas erat ſplendens ut luna, & ſub pedibus ejus erant duodecim radii. Et accurrentes adinvicem Judas & Levi, tenuerunt ſeipſos. Et ecce taurus in terra habens cornua magna, & alas aquilæ in dorſo ejus, & volentes apprehendere eum, non potuimus. Præveniens enim Joſeph cepit eum, & aſcendit cum ipſo in excelſum. Et vidi (quoniam eram illi alicubi) & ecce Scriptura ſancta apparuit nobis dicens: Aſſyrii, Medi, Elemæi, Gelathæi, Chaldæi, Syri, hæreditabunt in captivitate ſceptrum Iſrael. Et ruſſus poſt menſes ſeptem, vidi patrem noſtrum Jacob ſtantem in mari Jamæ, & nos filii ejus cum eo. Et ecce navis venit, veliſicans plena ſiccis carnibus ſine nautis & gubernatore.

Inſcribebatur

Inſcribebatur autem navis Jacob, & dicit nobis pater noſter: Aſcendamus in navem noſtram. Ut autem intravimus, facta eſt tempeſtas vehementi, & turbo venti magni, & avolat pater noſter à nobis tenens gubernacula. Et nos tempeſtate quaſſati, in pelagus ferebamur, & impleta eſt navis aquis tempeſtatis, undique quaſſata & contrita. Joſeph autem è cimba fugit Dividimur & nos in tabulis decem. Levi autem & Judas erant nobiſcum. Diſpergimur ergo omnes usq; in terminos Levi autem indutus ſacco, pro omnibus nobis præcabatur Dominum. Ut autem quievit tempeſtas. ſcapha attigit terram velut in pace. Et ecce venit pater noſter Jacob, & unanimiter exultavimus. Hæc duo ſomnia dicebam patri meo & dixit mihi: Oportet hæc impleri ſecundum tempus ipſorum multa Iſrael ſuſtinente. Tunc dixit mihi pater meus. Credo quoniam venit Joſeph. Video enim ſemper, quoniam Dominus connumerat eum vobiſcum. Et flens dixit: Vivis Joſeph fili mi, & non te video & tu non vides Jacob qui genuit te. Fecit autem & nos lachrymari in his ſermonibus ſuis. Et accendebar in viſceribus ut palam facerem quod venditus eſſet, ſed timui fratres meos. Ecce filii mei, oſtendi vobis tempora extrema, quoniam omnia fient in Iſrael. Et vos igitur mandate filiis veſtris ut juvantur Levi & Judæ. PER JUDAM ENIM ORIETUR SALUS ISRAEL, ET IN IPSO BENEDICETUR JACOB. PER SCEPTRUM ENIM EJUS APPAREBIT DEUS, HABITANS INTER HOMINES IN TERRA, UT SALVET DEUS GENUS ISRAEL, ET CONGREGABIT JUSTOS EX GENTIBUS. Si operemini bonum filii mei, benedicent vos homines & angeli, & Deum glorificabitur per vos in gentibus, & Diabolus fugiet à vobis, beſtiæ timebunt vos, & angeli ſuſcipient vos. Sicut enim ſi quis filium nutriat bene, perpetuo gratus & memor filius eſſe ſtudet, ita & in bono opere memoria eſt apud Deum bona. Qui verò non fecerit bonum, huic maledicent homines & angeli, & Deus contumelia afficietur per ipſum in gentibus, & Diabolus poſſidebit hunc tanquam proprium vas & inſtrumentum, & omnis beſtia dominabitur ei, & Dominus odio habebit eum. Nam mandata legis duplicia ſunt, & opere implentur. Tempus enim eſt

coëundi cum uxore ſua, & tempus continendi ab ea orationem ſuam. Duo mandata ſunt, quæ niſi fiant in ordine ſuo, peccatum tribuunt. Ita eſt in reliquis mandatis. Efficiamini ergo ſapientes in Deo & prudentes, ſcientes ordinem mandatorum ejus, & leges omnis rei, ut Deus diligat vos. Et multa talia mandans eis, precatus eſt, ut transferant oſſa ejus in Hebron, & ſepeliant eum juxta patres ipſius. Et comedens & bibens in hilaritate animæ velavit faciem ſuam, & mortuus eſt. Et fecerunt filii ſui ſecundum omnia quæcunque mandavit eis Neptalim pater eorum.

TESTAMENTUM GAD, de Odio. IX.

TRanſcriptum teſtamenti Gad, quæcunque locutus eſt ipſe filiis ſuis in anno centeſimo ſeptimo vitæ ſuæ, dicens: Septimus filius natus ſum Jacob, & eram fortis in gregibus paſcendis. Ego cuſtodivi in nocte gregem, quando venit leo, vel lupus, vel pardus, vel urſus, vel omnis beſtia ſuper gregem, perſequebar eam, & apprehendens pedem ejus manu mea, & girans obtenebrabam, & projiciebam eam ultra duo ſtadia, & ita interficiebam. Joſeph ergo paſcebat gregem nobiſcum circiter dies triginta. Qui cùm tener eſſet, incidit in morbum propter nimium æſtum. Et reverſus eſt in Hebron ad patrem ſuum, & reclinavit eum juxta ſe, quoniam diligebat eum. Et dixit Joſeph patri noſtro, quod filii Ballæ Zelphæ dilapidarent bona, & devorarent ipſa inſciis Juda & Ruben. Sciebat enim quoniam agnum eruebam ex ore urſi, quem interfeci, & agnum occidi, de quo contriſtabar, quoniam non potui vivere, & comedebamus ipſum. Et dixit patri noſtro: Verum fratres modeſtè ferebant iſtud verbum Joſeph, usque in diem venditionis ejus in Ægyptum, & ſpiritus odii erat in me, & nolui Joſeph neque audire neque videre, ipſe verò apertè redarguit nos, quoniam ſine Juda comedimus. Denique omnia quæcunque dixit patri, perſuaſit ei. Confiteor autem nunc peccatum filii, quoniam ſæpè volui occidere eum. Nam ex animo odio habui eum, & omnino non erant in me viſcera miſericordiæ erga ipſum, & propter ſomnia ipſius concepi tantum odium. Et volui ipſum devorare à terra viventium, quemadmodum devorat

vitulus

vitulus herbas à terra. Propter quod ego & Judas vendidimus eum Iſmaelitis triginta aureis. De quibus decem furtim ſubtraximus, viginti autem oſtendimus fratribus noſtris. Et ita avaritia ad luctus ſum, ut interfectum vellem. Deus autem patrum noſtrorum eripuit eum de manibus meis, ut non facerem iniquitatem in Iſrael. Et nunc audite filii mei ſermones veritatis, ut faciatis juſtitiam & omnem legem altiſſimi, & non erretis ſpiritu odii, quoniam malus eſt in omnibus actibus hominum. Omne quodcunque fecerit homo, odit & abominatur. Si faciat legem Domini, non laudat eam. Si timeat Dominum & ſectetur juſti, hunc non diligit, veritatem vituperat: dirigenti proſperè res ſuas huic invidet, obtrectationem amplectitur, arrogantiam amat. Et quoniam odium excœcavit animam ejus, facit proximo ſuo, ſicut & ego Joſeph. Cuſtodimini igitur filii mei ab odio, quoniam in ipſum Dominum iniquitatem facit. Non enim vult audire verba mandatorum ejus de dilectione proximi, & in Deum peccat. Si enim delinquat frater, ſtatim vult annunciare omnibus, & feſtinat, judicetur pro hoc delicto, & punitus moriatur. Si autem fuerit ſervus, accuſat eum apud Dominum ſuum, & omnes perſequend vias excogitat adverſus eum, ſi quo modo mortificet eum. Odium enim operatur cum invidia, & adverſus bene operantes, profectum audiens & videns, ſemper contriſtatur. Quemadmodum enim dilectio etiam mortuos amat & cupit vivere, & in eos qui ſunt in ſententia mortis, ſi fieri queat, à morte revocare vellet: ita odium viventes conatur delere, & eos qui paululum quidam peccaverint, indignos vita judicat. Spiritus enim odii animi perverſitate cooperatur Sathanæ in omnibus uſque ad mortem hominum. Spiritus enim dilectionis in longanimitate cooperatur legi Dei in ſalutem hominum. Malum eſt odium, quoniam permanet cum mendacio, continuè loquens adverſus veritatem, & parva magna facit, tenebris lucem obfuſcat, dulce amarum dicit, & calumniam edocet, bellum, injuriam, & omnem abundantiam malorum denique veneno diabolico cor implet. Hæc edoctus experientia dico vobis filii mei, ut fugiatis odium, & adhæreatis dilectioni Domini. Juſtitia ejicit odium, humilitas occidit odium, juſtus enim & humilis erubeſcit

facere injuſtè: non alio reprehenſus, ſed à proprio corde, quoniam Deus protegit conſilium ejus. Non detrahit viro, quia timor altiſſimi vincit odium: Timens enim Dominum non offendit, non vult omnino, neq; cogitatione, injuſta facere adverſus hominem. Hæc ego ultimo cognovi, poſteaquam pœnitui de Joſeph. Quæ enim ſecundū Deum eſt vera pœnitentia, ea mortificat hominem ad obedientiam, fugat tenebras, & illuminat oculos, & cognitionem tribuit animæ, & ducit conſilium ad ſalutem. Et quæ non dicit ab hominibus, novit per pœnitentiam. Induxit enim mihi ægritudinē epatis, & niſi fuiſſent orationes patris mei Jacob, profectò ſtatim ſpiritus deſiiſſet eſſe in me. Per quæ enim homo peccat, per illa & punitur. Quia igitur diſpoſita erant epata mea impropitiabiliter adverſus Joſeph, in epate paſſus ſum impropitiabiliter Judicium pertuli per menſes undecim: ut par eſſet tempus pœnæ, cum tempore quo urgebam venditionem Joſeph. Et nunc filii mei diligite unusquiſq; fratrem veſtrum, & auferte odium à cordibus veſtris, diligentes invicem in opere, ſermone, & cogitatione animæ. Ego enim coram facie patris noſtri pacifica loquebar ad Joſeph, & exeunte me, ſpiritus odii, obtenebravit intellectum meum, & turbavit animam meam ad occidendum eum. Diligite igitur adinvicem ex corde, & ſi peccet in te aliquis, dic ei in pace, exterminans venenum odii, & in anima tua non teneas dolum. Et ſi confitens pœniteat dimitte ei, & ſi negat, non contendas cum eo, ne quando jurante eo, dupliciter pecces. Non audiat alienus in contentione ſecretum veſtrum, ne odiens te immutetur, & magnum peccatum operetur adverſum te. Quoniam multoties dolo loquetur tecum, vel perſcrutabitur te in malo, accipiens à te venenum. Si ergo negat & erubeſcit, & redargutus quieſcit, non educas eum. Negans enim pœnitet, ut non amplius delinquat in te, ſed honorabit te & timebit & pacificus erit. Si verò inverecundus eſt, & inſtat malitiæ, tunc dimitte ex corde Deo vindictam. Si quis plus quam vos proſperatur, ne contriſtemini, ſed orate pro ipſo, ut perfectè proſperetur. Fortè enim vobis expedit ita, & ſi plus exaltatus fuerit, ne invideatis, recordantes, quoniam omnis caro morietur. Domino autem hymnū afferte, tribuenti bona & utilia omnibus hominibus

Scrutate

Scrutate judicia Domini, & ita dimittet & quieſcet conſilium tuum. Si verò ex malis quis ditatus fuerit, ſicut Eſau frater patris mei, nolite æmulari. Terminum enim Domini ſuſcipietis, vel enim aufert hoc in malis, vel pœnitentibus dimittit, vel impœnitenti ſervat in æternam punitionem. Nam pauper abundans in omnibus Domino gratias agit, & ipſe apud omnes ditatur, quoniam non habet pernicioſam deprecationem hominum. Auferte igitur odium ab animabus veſtris, & diligite invicem in rectitudine cordis. Dicite autem & vos filiis veſtris, ut honorent Judam & Levi, QUONIAM EX EIS ORIRI FACIET DOMINUS SALVATOREM ISRAEL. Cognovi enim, quoniam in fine recedent filii veſtri ab eis, & in omni pernicie & malignitate & corruptione erunt coram Domino. Et paululum requieſcens, rurſus dixit eis. Filii mei audite patrem veſtrum, & ſepelite me prope patres meos. Et elevans pedes ſuos dormivit in pace. Et poſt quinq; annos reduxerunt eum, & poſuerunt eum in Hebron cum patribus ſuis.

TESTAMENTUM ASER, de duabus faciebus Malitiæ & Virtutis. X.

TRansſcriptum teſtamentum Aſer, quæ locutus eſt filiis ſuis centeſimo viceſimo anno vitæ ſuæ, adhuc ſanus exiſtens, dixit ad eos: Audite filii Aſer patrem veſtrum, & omne rectum coram Deo oſtendam vobis. Duas vias dedit Dominus filiis hominum, duo conſilia & duos actus, duo loca & duos fines. Ideoque omnia duo ſunt unum, contra & viæ duæ boni & mali. Sunt etiam duo conſilia in pectoribus noſtris, quæ nos vel ad honeſtatem vel ad turpidinem impellunt. Si igitur ad bonum ducitur homo, omnes actus ipſius circa juſtitiam, verſantur. Etſi quid deliquerit, tamen ilico pœnitet. Juſta enim cogitans & abjiciens malitiam, ſtatim corrigit ſua peccata, & malitiam animi aufert. Si vero in malum declinat conſilium, omnis actus ejus eſt in malitia, & repellens bonum, aſſumit malum, conſtitutus ſub domino Beliar. Et ſi bonum operetur, convertit in malitiam hoc. Cùm enim incœperit boni aliquid facere, finem actionis ejus in malum opus perducit. Quia theſaurus Diaboli veneno pernicioſi ſpiritus impletus eſt.

Dicit

Dicit igitur anima ipſius bonum ſupra malum eſſe, & finem rei in malitiam ducit. Eſt homo qui non miſeretur miniſtrantis ei in malum, & hoc duplicem faciem habet, ſed totum pernicioſum eſt. Et homo diligens malignitatem, ſimiliter eſt in malitia, quoniam & mori deſiderat in malo propter ipſum. Et de hoc manifeſtum, quoniam duplicis faciei eſt, totum verò malus actus eſt. Et amor exiſtens, malitia eſt abſcondens malum ſicut nomine quaſi bono, finis verò actus venit in malum, alius furatur, injuſtè agit, rapit, avarus exiſtit, & non miſeretur pauperum. Duplicem quidem faciem habet, & in hoc totum pernicioſum eſt, avarus exiſtens erga proximum ad iracundiam provocat Deum, & altiſſimum abnegat, & pauperis non miſeretur. Præceptorem legis Dominum ſpernit & acerbat, nec pauperem requieſcere ſinit, animam inquinat, ut corpus ſplendidum reddat, multos occidit, & paucorum miſeretur. Hoc quidem duplicis faciei eſt. Alius adulteratur & fornicatur & abſtinet à cibis, jejunans malefacit, potentia, divitiis multos miſerè vexat. Ex mala conſcientia facit mandata, & hoc duplicis faciei eſt, totum autem malum eſt. Tales ut ſues ſunt & lepores, quoniam ex medietate ſunt mundi, revera ſunt immundi. Vos igitur filii mei, non efficiamini ſecundum ipſos duplicem habentes faciem, bonitatis & malitiæ, ſed bonitati ſoli adhærete, quoniam Deus requieſcit in ipſa, & homines deſiderant eam. Malitiam fugite, occidentes diabolum in bonis veſtris actibus, quoniam qui duplicis faciei ſunt, non Deo ſed concupiſcentiis ſuis ſerviunt, ut Beliar complaceant, & his qui ſunt ipſis ſimiles. Edom autem viri, & qui ſunt unius faciei, etſi exiſtimentur ab eis, qui duplicis faciei ſunt, peccare, juſti tamen ſunt apud Deum. Multi enim occidentes pernicioſos, duo faciunt opera, malum per bonum, totum verò eſt bonum. Quoniam qui malum eradicavit, perdidit illud. Eſt aliquis qui odit aliquem miſericordem, & accuſat eundem adulterii vel latrocinii, hic eſt duplicis faciei, ſed totum opus bonum eſt, quoniam imitatur Dominum non aſpiciens quod videtur bonum, cùm verò ſit malum. Alter non vult diem bonum videre cum luxurioſis, ut non maculet eos, & inquinet animam. Et hic duplicis faciei eſt, totum autem bonum eſt, quoniam tales capreolis & cervis ſimiles

ſimiles ſunt, quoniam in conſuetudine agreſti videntur immundi eſſe: ex toto autem mundi ſunt, quoniam in zelo Dei ambulant recedentes ab his, à quibus Deus prohibet per mandata, odio habent eos, & necant malum à bono. Videte igitur filii qualiter duo ſunt in omnibus, unum contra unum, & unum ſub uno abſconditur. Vitæ mors ſuccedit, gloriæ ignominia, diei nox, & luci tenebræ. Omnia verò ſub die ſunt, & ſub vita quæ juſta ſunt, propter quod & mortem æterna vita præexpedit, & non eſt dicere veritatem mendacium, neque juſtum injuſtum, quoniam omnis veritas ſub luce eſt, quemadmodum omnia ſub Deo. Hæc omnia probavi in vita mea, & non erravi à veritate Domini, & mandata altiſſimi exquiſivi ſecundum omnem fortitudinem, ambulans ſecundum unam faciem in bonum. Attendite igitur filii & vos mandata Domini ſecundum unam faciem, ſequentes veritatem, quoniam qui duplicis faciei ſunt, dupliciter puniuntur. Spiritus erroris odit hominem agonizantem. Legem Domini cuſtodite, & non attendite malum ut bonum, ſed revera bonum reſpicite, & obſervate illud in omnibus mandatis Domini ad eum reverſi, & in eum quieſcentes, quoniam fines hominum oſtendunt juſtitiam eorum. Et cognoſcite angelos Domini & Sathanæ. Si enim adhæſeritis ſpiritibus malis, anima torquebitur à pernicioſo ſpiritu, cui ſervitis in concupiſcentiis & operibus pernicioſis. Si autem quieſcibiliter in gaudio cognoveritis angelum pacis, conſolabitur vos in vita. Ne efficiamini filii ut Sodoma, quæ ignoravit angelos, & periit usque in ſeculum. Novi enim quoniam peccabitis, & trademini in manus inimicorum veſtrorum, terra veſtra deſolabitur, & vos diſpergemini in quatuor angulos terræ, & eritis in diſperſione deſpecti velut aqua inutilis, USQUEQUO ALTISSIMUS VISITAVERIT TERRAM. ET VENIENS, UT HOMO CUM HOMINIBUS MANDUCANS ET BIBENS, ET IN SILENTIO CONTERENS CAPUT DRACONIS. PER AQUAM HIC SALVABIT ISRAEL, ET OMNES GENTES DEUS IN VIRUM ABSCONDITUS. Dicite igitur hæc filiis veſtris, ut non negligant legem Dei ſcriptam in tabulis cœlorum. Nam futurum eſt ut increduli fiant in legem Domini. Et vos impiè agentes, impiè agetis in Deum

in Deum, non attendentes legem Dei; ſed mandata hominum. Et propter hoc diſpergemini ut Gad & Dan fratres mei, qui regiones eorum ignorabant, & tribum & linguam eorum. Sed congregabit vos Deus in fide propter ſpem miſericordiæ ſuæ, propter Abraham; Iſaac & Jacob. Hæc cum dixiſſet, mandavit eis dicens: Sepelire me in Hebron. Et mortuus eſt ſomno bono dormiens. Et poſt hæc fecerunt illi filii ejus ſicut mandaverat eis. Et reducentes eum, ſepelierunt cum partibus ſuis.

TESTAMENTUM IOSEPH de Caſtitate & fraterna dilectione. XI.

TRanſcriptum teſtamentum Joſeph cùm moriturus erat vocans filios ſuos, & frates ſuos, dixit eis: Filii mei & fratres, audite Joſeph dilectum ab Iſael, auribus percipite filii patrem veſtrum: Ego ſcivi in vita mea invidiam & mortem, quibus me fratres mei perdere volebant. Oderunt enim me, & dominus dilexit me. Ipſe voluerunt occidere me; & Deus patrum meorum cuſtodivit me. In lacum me miſerunt, & altiſſimus reduxit me. Venditus ſum in ſervum, & Dominus liberum me fecit. In captivitatem aſſumtus ſum & fortis manus ejus adjuvit me. In fame detentus ſum, & ipſe Dominus nutrivit me. Deſolatus eram, & Deus conſolatus eſt me, in infirmitate eram & altiſſimus viſitavit. In carcere eram, & ſalvator lætificavit me. In vinculis detinebar, & ſolvit me Dominus. In accuſationibus Ægyptiorum ipſe cauſſam meam egit, & liberavit ab invidia & dolo exalravit me, quod etiam Phocimar princeps equorum Pharaonis credidit mihi domum ſuam. Et periclitatus ſum de vita mea propter mulierem inverecundam, ſolicitantem, ut iniqua agerem cum ipſa flamma libidinis æſtuante circa pectus illius. In carcerem conjectus ſum, verberibus cæſus & ſubſannatus. Fecit autem Dominus, ut miſericordia cōmotus ſit erga me cuſtos carceris. Non enim derelinquit timentes eum, non in tenebris nec in vinculis, nec in ullis tribulationibus vel neceſſitatibus. Non enim ut homo confunditur Deus neque ut filius hominis formidat, neque ut terrenus pavore concutitur vel repellitur. In omnibus verò locis præſens eſt, & in graviſſimis malis conſolatur ſuos. In brevi recedens ad probandum animi conſilia, In decem

tentationibus probatum me deprehendit, & in omnibus longanimis fui, quoniam magna medicina eſt longanimitas,& multa bona dat ſuſtinentia. Quoties Ægyptia minata eſt mihi mortem? quoties pœnis tradens,revocavit me mulier? quoties mortem minata cum recuſarem,rem habere cum ea? Dicebat autem mihi: Dominaberis mihi & omnibus quæ mea ſunt,tradideris te ipſum mihi,atque geſſeris morem mihi,& eris dominator noſtri.Ego verò recordatus ſum ſermonum patris mei Jacob, & ingrediens in thalamum, adoravi dominum,& jejunavi ſeptem annis,apparui autem Ægyptio ea corporris habitudine quaſi qui in delitiis vixiſſet,quoniã propter Deum jejunantes faciei gratiam accipiunt Cumq; dabatur mihi vinum,non bibebam. Et in triduano jejunio accipiebam meam dietam, & tribui eam egentibus & infirmis.Et mane evigilavi adDominum, & flevi pro memphitica Ægyptia, quoniam multum & indeſinenter moleſtia erat mihi.Noctu enim venit ad me quaſi quæ me inviſere vel'et, primo quidem, quoniam filius maſculus non erat ei fingebat habere me ut filium. Et oravi ad dominum,ut daret illi marem.Per hoc tempus autem ut filium me amplexa eſt, & ego ignorabam.Denique me ad fornicationem attrahebat, & intelligens triſtatus ſum uſq; ad mortem,& exeunte ipſa,redii ad me ipſum, & triſtabar illius cauſa per dies multos, quoniam cognovi dolum ejus & errorem.& dicebam ei verba altiſſimi:Si fortè averteretur à concupiſcentia ſua pernicioſa.Multoties ut ſancto viro, in verbis blandita eſt mihi, non ſine dolo laudans caſtitatem meam coram marito, qui penitus extinguere me volebat. In maniſeſto & abſcondito dixit mihi: Ne timeas tibi à viro meo: Etenim perſuaſum eſt ei de caſtitate tua, quoniam & ſi dixerit aliquis ei de nobis, non credet. Propter hæc omnia in terra jacebam ego indutus ſacco, & deprecabar Dominum, ut liberaret me dominus ab Ægyptia.Ubi verò nihil potuit efficere hac via,venit denuo aliis instructa rationibus, videlicet, ut diſceret Verbum Dei ex me, atque in hunc modum cœpit loqui. Si vis ut relinquam Idola,obtempera mihi,& Ægyptium perſuadebo recedere ab Idolis,& in lege Domini Dei tui ambulabimus. His ego reſpondi:In immunditia non vult dominus eſſe venerantes ipſum,neque in adulterantibus beneplacitũ eſt e

Et illa

Et illa ſiluit, deſiderans explere concupiſcentiam ſuam. Et ego apponebam orationem & jejunium, ut liberaret me dominus ab ipſa. Rurſus verò alio tempore dicit mihi: Si adulterare non vis, ego occidam Ægyptium, & ita lege accipiam te in virum. Ego autem ut audivi hoc, ſcidi ſtolam meam, & dicebam: Mulier pudeat te quæſo horum coram Deo, & time Dominum, neque facias tantam pernicioſam rem, neque deſperes omnino, ut teipſam devoveas malo. Nam ſi pergas, ego proferam cogitationes impietatis tuæ. Timens igitur illa, rogabat, ut nulli annunciarem malitiam ejus, & receſſit. Jam verò tentabat ſeducere me donis, mittens mihi omnia quæ ſunt in uſum filiorum hominum, & miſit mihi cibum incantatione conſperſum. Et ut venit Eunuchus ferens ipſum, reſpexi, & vidi virum terribilem tradentem mihi cum diſco gladium. Et intellexi, quoniam inſidias ſtruerent animæ meæ, & exeunte illo flebam, neque illum neque alium aliquandiu ciborum ipſius guſtans. Poſt unum ergo diem, ipſa veniens ad me inquit. Quid hoc eſt, quoniam non comediſti de cibo? Et dicebam ad eam, quoniam impleſti illum morte, ſcias autem, quoniam non appropinquo Idolis, ſed domino ſoli. Nunc igitur cognoſce, quoniam Deus patris mei per angelum revelavit mihi malitiam tuam, & ſervavi cibum in redargutionem tui, ſi fortè videns illum pœnitens, aut diſcas, quoniam his, qui in caſtitate dominum venerantur, non prævalet malitia impiè agentium. Et accipiens coram ipſa comedi, dicens: Deus patrum meorum & angelus Abraham erit mecum. Illa verò cecidit in faciem ſuam ad pedes meos & flevit. Et erigens illam multis adhortatus ſum ipſam, & promiſit ſe non eſſe facturam poſt hac amplius impietatem hanc. Quoniam verò cor ipſius in me exarſerat ad adulterium ingemiſcens, ſuſpiria trahens ab imo pectore dejecit vultum. Videns verò eam Ægyptius, dicit ad eam: Quid concidit facies tua? Illa verò dixit: Dolore cordis ego doleo, & gemitus ſpiritus mei continet me. Et curabat eam non ægrotantem. Tunc inſiluit ad me adhuc foris exiſtente viro ſuo, & dicit mihi: Suffocor, vel in puteum vel in præcipitium projicio meipſam, niſi mihi obtemperaveris. Et intelligens quoniam ſpiritus Beliar ipſam conturbat, orans dominum,

dixi

dixit ei: Ut quid turbaris, aut quid tumultuaris in peccatis excæcata? Recordare, quoniam ſi occidas te ipſam, Sechon concubina viri tui invidens tibi, colaphos infringet filiis tuis, & perdet memoriam tuam de terra. Et dicit ad me: Eya age video quod adhuc aliqua tibi mei cura relicta eſt. Satis habeo quod protegis vitam meam & filiorum meorum, bona me ſpes habet futurum, ut potiar deſyderio meo. Et non cognovit, quoniam propter Deum meum dixi ita, & non propter ipſam. Si enim aliquis paſſioni ſuccumbat deſyderii pernicioſi, huic ſervis efficietur, ut & illa. Et ſi bonum aliquid audierit in paſſione qua vincitur, accipit illud ad deſyderium pernicioſum. Dico vobis filii quoniam hora erit quaſi ſexta, quando exivit à me, & ego genu flectus oravi ad dominum per totum diem & totam noctem conjugens. Circa diluculum ſurrexi lachrymans, ut liberaretur tandem Ægyptia. In fine igitur apprehendit mea veſtimenta violenter, attrahens me ad concubitum. Ut igitur vidi, quoniam inſaniret violentia, ac vi teneret veſtimenta mea, nudus effugi. Illa verò calumniata eſt mè apud virum ſuum, qui miſit me in carcerem, qui erat in domo regis. Sequenti die, ubi flagris probè cæſus fueram; rurſus conjectus ſum in carcerem. Et cum vinctus jacerem in compedibus, Ægyptia infirmata eſt nimio dolore, & auſcultabat; qualiter laudarem dominum; exiſtens in domo tenebrarum. Ego autem hilari voce gaudens, glorificavi Deum meum ſolum quod per hanc occaſionem amovebar ab Ægyptia ipſa tamen non deſtitit inſtare ac dicere: Age accipe contidionem quam offero tibi, ac imple deſyderium meum, & liberabo te à vinculis, & eripiam te ex tenebris. Verum uſque adcò nihil potuit perſuadere mihi, ut ne cogitatione quidem in vota ejus fuerim [illegible] clinatus Dilgit enim Deus magis eum qui la[illegible] brarum jejunat in caſtitate, quàm eum qui in thal[illegible] ciatur cum luxuria. Qui autem in caſtitate viv[illegible] gloriam, & ſi noverit altiſſimus quod expediat, [illegible] & hoc, quemadmodum & mihi. Multoties in[illegible] dit ad me immaturè, & audivit vocem mei orantis [illegible] inſtabat. Intelligens verò ego ſuſpiria ejus ſilui. Etenim quum eram in domo ejus, nudavit brachia ſua, pectora

& tibias quo me in amorem ſui accenderet, nimis enim erat pulchra, maximeque ornata ut me deciperet, ſed Dominus cuſtodivit me ab operationibus ipſius Videte igitur filii mei, quanta operatur ſuſtinentia & oratio cum jejunio. Et vos igitur ſi ſobrietatem & caſtitatem dilexeritis in ſuſtinentia & humilitate cordis, Dominus habitabit in vobis, quoniam dilexit ſobrietatem Ubi vero habitat altiſſimus, & ſi incidat in invidiam vel ſervitutem vel calumniã, Dominus qui in ipſo habitat, non ſolum propter caſtitatem hunc à malis liberat, ſed exaltat quoque, & glorificat ipſum ſicut & me. Omnino enim hic vel in opere, vel in verbo, vel in cogitatione continetur. Cognoverunt fratres mei, qualiter dilexit me pater meus & non exaltatus ſum in corde meo, quamvis puer exiſtens habebam timorem Dei in mente mea. Senui & moderabar meipſum, & honorabam fratres meos quos timebam. Silui venditus, ut non dicerem Iſmaelitis genus meum, quoniam filius eram Jacob viri magni & potentis. Et vos igitur habete in actu veſtro Dei timorem, & honorate fratres veſtros. Omnis enim qui facit legem domini, diligetur ab ipſo. Veniens enim ad Indoculpitas cum Iſmaelitis, interrogabant me, & ego dicebam, quoniam ſervus ipſorum ſum ex domo ut non confunderem fratres meos. Dicit autem major eorum: Non es ſervus, quoniam & aſpectus tuus oſtendit de te, & minatus eſt mihi usque ad mortem. Ego verò dicebam, quoniam ſervus ipſorum ſum. Ut autem venimus in Ægyptum, de me decertabant quis ad theſaurum acciperet me, & placuit omnibus ut eſſem in Ægypto apud negotiatorem negotiationis ipſorum, usquequo reverterentur ferentes negotiationem, & dominus dedit mihi gratiam in oculis negotiatoris, & credidit mihi domum ſuam, & benedixit eum dominus in manu mea, Et dedit dominus ei copiam argenti & auri. Et eram cum ipſo menſibus tribus & diebus quinque. Hoc tempore tranſivit Memphitica mulier Pethefri in gloria multa, & injecit ſuper me oculos ſuos, quoniam dixerant ei eunuchi de me, & dicit viro ſuo de negotiatore, quoniam ditatus eſſet in manu juvenis cujusdam Hebræi, & dicebant quod futuro furati eſſent eum de terra Chanaan. Nunc ergo fac cum eo judi-

eo judicium, & aufer juvenem in diſpenſatorem tuum, & benedicet te Deus Hebræorum, quoniam gratia ex cœlo eſt in ipſo. Pethefris verò perſuaſus verbis ipſius juſſit adduci negotiatorem, & dicit ei: Quid hic audio, quoniam furaris animas ex terra Hebræorum in pueris vendendis? Cadens igitur negotiator in faciem ſuam, rogabat dicens: Rogo te domine, non novi quod dicis. Ille verò dicit: Unde igitur tibi iſte puer Hebræus? Et dixit: Iſmaelitæ commendaverunt mihi ipſum, usquequo revertantur. Et non credidit ei, & juſſit flagellari ipſum. Suſtinente verò eo, dicit Pethefris: Adducatur juvenis, & inductus adoravi principem eunuchorum. Tertius enim erat in dignitate apud Pharaonem, princeps omnium eunuchorum habens uxorem & filios & concubinas. Et cùm me ſeorſum duxiſſet, dixit mihi: Servus es vel liber? Et dicebam: Servus. Et dicit ad me: Cujus es ſervus? Et dixi ei: Iſmaelitarum. Et rurſus dicit mihi: Qualiter ipſorum effectus es ſervus? Et dicebam: Quoniam ex terra Chanaan emerunt me. Ille verò non credidit, dicens: Sanè mentiris. Et nudum juſſit me flagellari. Memphitica verò vidit per feneſtram flagellatum me, & mittit ad virum ſuum, dicens: injuſtum eſt judicium tuum, quoniam & furatum liberum punis injuſtè agentem. Ubi autem non mutavi verba, denuo flagellatum juſſit cuſtodire me, usquequo veniant (ait) domini pueri. Et uxor ejus dicit ad eum: Propter quid detines captivum & nobilem puerum, quoniam oportuit magis dimitti eum atq; te flagellari? Voluit enim me videre in deſiderio peccati. & ignorabam de omnibus his. Ille verò dixit ad Memphiticam: Non eſt honeſtum apud Ægyptios ante oſtenſionem auferri aliena, hoc dixit de negotiatore, & de me quoniam debui incluſus teneri. Poſt viginti verò & quatuor dies venerunt Iſraelitæ, & audientes quoniam Jacob pater meus triſtatur de me, dixerunt ad me. Quid eſt quod dixiſti teipſum ſervum eſſe, & ecce cognovimus, quoniam es filius viri magni in terra Chanaan, & triſtatur pater tuus in ſacco. Et rurſus volui lachrymari, & continui meipſum, ut non confunderem fratres meos. Et dixi ego: Iſtud non novi, ſervus ſum. Tunc inibant conſilium quo me venderent, ne invenirer in manibus eorum. Timuerunt enim

Jacob,ne ulciſceretur ſe de ipſis. Auditum eſt enim, quod eſſet magnus apud Deum&hominesTunc dicit negociator eis: Redimite eum nunc à judicio Pethefri. Audientes igitur petebant me, dicentes: quoniam argento emptus eſt à nobis, & ille abſolvit me. Memphitica verò oſtendit viro ſuo, ut emeret me: Audio enim (ait) quoniam vendunt eum Et miſit eunuchus Iſmaelitas, petiit me in venditionem, & non volens facere cum eis reverſus eſt. Eunuchus verò cùm tentaſſet, oſtendit dominæ quoniam ingens petiverit pretium pueri. Illa verò miſit alterum eunuchum, dicens: & ſi duas minas auri petiverit vide ne parcas auro, tantum emas puerum & duc ad me. Illi verò dedit octoginta aureos pro me. Centum dicens Ægyptiæ datos eſſe pro me. Et videns ego ſilvi, ut non exquireretur eunuchus. Videte filii quanta ſuſtinuit, diligite adinuicē, & in longanimitate ejicite ad invicem ex animo ſimultates. Delectatur enim Deus de concordia fratrum & in electione cordis probati in dilectione. Quando autem venerunt fratres mei in Ægyptum, & cognoverunt me, reddidi argentum eis, & non exprobravi quidquam illlis, ſed & conſolatus ſum eos. Et poſt mortem Jacob abundantius dilexi eos, & omnia quæcunque juſſit feci ex abundanti. Et admirabantur. Non enim demiſi eos tribulari uſque ad paruam rem. Et omne quod erat in manu mea eis dedi, filii eorum, filii mei apud me habiti ſunt. Et filii mei ut ſervi eorum. Anima eorum, anima mea, & omnis dolor eorum, dolor meus: & omnis infirmitas eorum, infirmitas mea: Terra mea, terra eorum: conſilium meum, conſiliū eorum. Et non exaltavi meipſum in eis in ſuperbia propter mundanam gloriam meam. Sed eram in eis ſicut unus minimorum. Si igitur & vos ambuletis in mandatis Domini filii mei, exaltabit & vos Dominus, & benedicet vobis in bonis perpetuò. Et ſi voluerit quis male facere vobis, vos in benignitate orate pro eo, & ab omni malo liberabemini per Dominum. Ecce enim videtis, quoniam propter longanimitatem filiam dominorum meorum accepi in uxorem, & centum talenta auri mihi data ſunt cum ea. Quoniam eos Deus mihi ſervire fecit, & pulchritudinem dedit mihi, ut quaſi flos ſuper pulchros forem in Iſrael. Et cuſtodivit me uſque ad ſe-

ad ſenectutem in virtute & pulchritudine, quoniam ego ſimilis in omnibus Jacob extiteram. Audite filii mei & quæ vidi ſomnia. Duodecim cervi paſcebantur, & novem diviſi ſunt & diſperſi in terra. Similiter & tres vidi, quoniam EX JUDA NATA EST VIRGO, HABENS STOLAM BYSSINAM, ET EX IPSA PRODIIT AGNUS IMMACULATUS, à ſiniſtris ejus agni ut leo, & omnes beſtiæ impetum fecerunt adverſus eum. *Et vicit eas agnus, & perdidit in conculcationem, & gaudebant in eo angeli & homines & omnis terra. Hæc autem fient in tempore ſuo in ultimis diebus.* Vos igitur filii mei cuſtodite mandata Domini, & honorate Judam & Levi, quoniam ex ipſis orietur vobis agnus Dei, gratia ſalvans omnes gentes & Iſral. Regnum enim ejus, regnum æternum, quod non præteribit. Meum enim regnum in vobis conſumatur, ut pomorum cuſtodia, quoniam poſt meſſem non apparebit. Novi quoniam poſt mortem meam Ægyptii tribulabunt vos, ſed Deus facit ultionem veſtram. Et inducet vos in repromiſſionem patrum veſtrorum Sed comportate oſſa me vobiſcum, quoniam ſi reduxeritis oſſa mea, Dominus in luce erit vobiſcum contra Ægyptios. Et Beliar in tenebris erit, cum Ægyptiis, Et Zelpham matrem veſtram reducite, & prope Ballam juxta hypodromum proximam Rachel ponentes eam. Et hæc dicens, extendens pedes ſuos, dormivit ſomnum ſecularem. Et planxerunt eũ omnis Iſrael & omnis Ægyptus planctu magno: Etenim & Ægyptiis, ut propriis membris compaſſus eſt, & bene ſefecit omni tempore omni, conſilio & re aſſiſtens.

TESTAMENTUM BENIAMIN, de mente munda. XII.

TRansſcriptum verborum Benjamin, quæ diſpoſuit filiis ſuis, & vivens annos centum viginti. Et oſculans eos dixit, Sicut Iſaac centeſimo anno natus eſt Abraham, ita & ego Jacob. Quia igitur Rachel mortua eſt cum pareret lac non babui, Ballam igitur ancillam ejus ſuxi. Rachel poſtquam enim peperit Joſeph duodecim annis ſterilis fuit. Et oravit Dominum cum jejunio duodecim annis, & concipiens

cipiens peperit me :valde enim pater meus dilexit Rachel. Et optavit duos filios videre ex ipſa, propter hoc vocatus ſum filius dierum vel luctus,quia mater in partu mortua eſt, quod eſt Benjamjn. Quoniam igi ur intravi in Ægyptum, & recognovit me frater meus Joſeph dixit mihi Qui dixerunt patri meo, quoniam vendiderunt me. Et dicebam ei: Quoniam conſperſerunt tunicam tuam ſanguine. Et mittentes dixerunt Cognoſce ſi tunica filii tui eſt iſta. Et dicit mihi etiam frater. Etenim quando accipiebant me Iſmaelitæ unus ex eis exuens me tunicam, dedit mihi perizoma. Et flagellans me dixit ut curreret, Cùm verò abiret ipſe, ut abſconderet veſtimentum meum, obviavit ei leo & occidit eum. Et ita participes timentes vendunt me ſociis ſuis. Et vos igitur filii me deligite Dominum Deum cœ'i, & audite mandata ejus imitantes bonum & ſanctum virum Joſeph. Et ſit mens veſtra in bonum, ut & me noſtis. Qui habet mentem bonam, omnia reſpicit recte. Timete Deum & diligite proximum. Et ſi ſpiritus Beliar in omnem malitiam tribulationis ſollicitaverit vos, non dominabitur in vobis omnis malitia tribulationis, ſicut nec Joſeph fratri meo. Quot homines voluerunt occidere eum, & Deus protexit? Qui enim timet Deum, & diligit proximum ſuum, ab aereo ſpiritu Beliar non poteſt vulnerari. Et protectus timore Domini, & ab inſidiis hominum & beſtiarum non poteſt ſubjugari adjutus à Domini dilectione, quam habet erga proximum. Etenim deprecatus eſt patrem noſtrum Jacob, ut oraret pro fratribus noſtris, & non imputaret eis Dominus, ſi quid excogitaverunt pernicioſum de ipſo. Et ita clamavit Jacob: O fili Joſeph, viciſti viſcera patris tui. Et amplexans eum, per duas horas oſculabatur eum dicens: Adimplebitur in te prophetia cœli de agno Dei & ſalvatore mundi, quoniam immaculatus pro iniquis tradetur. Et qui ſine peccato eſt pro impiis morietur in ſanguine teſtamenti, in ſalutem gentium & Iſrael, & evacuabit Beliar & miniſtrantes ei. Videte filii, boni viri finem, imitamini in bona mente miſericordiam ipſius, ut & vos coronis gloriæ induamini: bonus homo non habet tenebroſum oculum. Miſeretur enim omnibus, etiam ſi ſint peccatores, & inierunt conſilia de ipſo mala. Nam qui benefacit, vincit malum pro-

tectus

tectus à bono. Juſtos autem diligit,ut animam ſuam. Si quis glorificatur, non invidet. Si quis ditatur, non zelat. Si quis fortis eſt hunc laudat caſtum credens, laudat eum,qui habet timorem Dei, protegit Diligenti Deum cooperatur. Reprobantem altiſſimum admonet convertatur. Et habentem gratiam ſpiritus boni diligit ſecundum animam ſuam.Pauperi miſeretur, infirmo compatitur, Deum laudat & veneratur. Si habeatis bonam mentem filii,& mali homines pacificabuntur vobis,& luxurioſi erubeſcentes vos convertentur in bonum.Et avari non ſolum recedant à paſſione, ſed quæ ſuperabundant, dabunt tribulatis. Si ſitis benefacientes, & immundi ſpiritus fugient à vobis, ipſæ malæ beſtiæ fugient à vobis timentes. Ubi enim eſt timor bonorum operum in mente, tenebræ fugiunt ab eo. Si enim injurietur quis viro ſancto, pœnitet. Miſeretur enim ſanctus injurianti & ſilet. Et ſi quis animam juſtam tradat, & juſtus oravit, nonnihil humiliatur is qui facit injuriam, & poſtea multo clarior apparet, qualis etiam factus eſt Joſeph frater meus, Conſilium boni viri non eſt in manu ſpiritus erroris Beliar. Angelus enim pacis ducit animam ipſius. Non aſpicit in paſſionibus corruptibilia,neque congregat divitias in deſideriis voluptatis. Non delectatur voluptate,non contriſtat proximum,non impletur cibo,non errat faſtu oculorum Dominus enim pars eſt ejus.Propter bonum conſilium non recepit gloriam inhonorationem hominum non curat, & omnem dolum vel mendacium, pugnam vel contumeliam non novit. Dominus enim in eo habitat, & illuminat animam ejus, & gaudet coram omnibus in omni tempore. Bona mens non habet duas linguas benedictionis & maledictionis, injuriæ & honoris, triſtitiæ & gaudii, quietis & turbationis, ſimulationis & veritatis inopiæ & divitiarum. Sed unam habet circa omnes ſynceram & puram diſpoſitionem. Non habet viſum neque auditum duplicem,in omni enim quod facit, vel loquitur, vel videt, novit quoniam dominus viſitat animam ejus, & purgat mentem ejus, ut non reprehendatur à Deo & hominibus. Sed omne opus Beliar, Duplex eſt, neque habet ſimplicitatē. Propter hoc filii mei fugite malitiam Beliar, quoniam gaudiū dat obedientib⁹ ei,

gladius autem ſeptem malorum mater eſt. Primum concipit mens per Beliar. Eſt autem primum invidia, ſecundum perditio, tertium tribulatio, quartum captivitas, quintum indigentia, ſextum turbatio, ſeptimum deſolatio, propter quod & Cain ſeptem vindictis trahitur à Deo. Nam ſecundum ſeptem annos unam plagam induxit ei dominus. Ducentis annis patitur & nogenteſimo anno deſolatur in diluvio propter Abel juſtum fratrem ejus. In ſeptingentis annis Cain judicatur, Lamech verò in ſeptuagies ſeptem, quoniam usque in ſeculum aſſimilati Cain in invidia in odium fraternum eadem punitione vindicabuntur. Et vos igitur filii mei fugite malitiam, invidiamque & odium fraternum, & adhærere bonitati & dilectioni. Qui habet mentem puram in dilectione, non videt mulierem in fornicationem. Non enim habet inquinationem in corde, quoniam requieſcit in eo ſpiritus domini. Quemadmodum enim ſol non inquinatur attingens gurgitem; vel ſtercus; ſed magis ſiccat & abigit fœtorem, ita & pura mens in inquinationibus terræ contendat, ut magis ædificet, ipſa verò non inquinatur. Intelligo autem ex ſermonibus Enoch juſti, & actus in vobis malos fore. Fornicabimini enim fornicatione Sodomorum, & peribitis usque ad paucos, & renovabitis in mulieribus motus inordinatos; & regnum domini non erit in vobis, quoniam confeſtim ipſe accipiet illud. Veruntamen in parte noſtra fiet templum Dei, & glorioſum erit in vobis. Quoniam ipſe dominus accipiet regnum, & duodecim tribus illic congregabuntur, & omnes gentes, uſquequo altiſſimus mittat ſalutare ſuum, in viſitatione unigeniti. Et ingredietur in primum templum, & illic dominus injuriam patietur, & contemnetur, & in ligno exaltabitur. Et erit velum templi ſciſſum, & deſcendet ſpiritus domini ſuper gentes, ut ignis effuſus. Et aſcendens ex inferno, aſcendet à terra in cœlum. Recordabitur quàm fuerit humilis in terra, & quàm glorioſus in cœlo. Quando autem Joſeph erat in Ægypto, deſiderabam videre ſpeciem ejus, & formam aſpectus ejus. Et per orationes Jacob patris mei, vidi eum in die vigilans, ſecundum quod erat

omnis

omnis ſpecies ejus. Cognoſcite igitur filii mei, quoniam nunc morior. Facite igitur veritatem & juſtitiam unusquisque cum proximo ſuo judicium & fidei operationem, & legem domini & mandata ejus cuſtodite, hoc enim vos pro omni hæreditate doceo. Et vos igitur date hæc filiis veſtris in poſſeſſionem ſempiternam. Hoc enim fecerunt Abraham, Iſaac & Jacob, omnia hæc dederunt nobis in hæreditatem, dicentes: Cuſtodite mandata Dei usquequo revelet Dominus ſalutare ſuum omnibus gentibus. Tunc videbitis Enoch, Noe, Sem, Abraham, Iſaac & Jacob reſurgentes à dextris in exultatione. Tunc & nos reſurgemus unusquisque in ſceptrum noſtrum, adorantes regem cœlorum, qui in terra apparuit in forma humanæ humilitatis. Et quotquot crediderint ei in terra, congaudebunt ei tunc. Et omnes hi quidem reſurgent in gloriam, iſti verò in ignominiam. Et judicabit Dominus inprimis Iſrael de ea, quæ in ipſum, injuſtitia. Quoniam in advenientem Deum in carne liberatorem non crediderunt. Et tunc judicabit omnes gentes, quotquot non crediderunt ei in terra apparenti. Et arguet in electis gentium, Iſrael, quemadmodum redarguit Eſau in Madmeis ſeducentibus fratres ipſius per fornicationem & Idololatriam. Et abalienati ſunt à Deo, excidentes ab hæreditate filiorum qui non timent Deum. Vos autem ſi ambuletis in ſanctificatione ſecundum faciem Domini, rurſus habitabitis in ſpe in me. Et congregabitur omnis Iſrael ad Dominum, & non amplius vocabar lupus rapax propter rapinas veſtras, ſed operator Domini, tribuens cibum operantibus bonum. ET SUSCITABITUR EX SEMINE MEO IN EXTREMIS DILECTUS DOMINI AUDIENS IN TERRA VOCEM EJUS, COGNITIONEM NOVAM, ILLUMINANS OMNES GENTES, LUX COGNITIONIS, ASCENDENS ISRAELI IN SALUTEM. Et rapiens ut lupus ab ipſis, & dans ſynagogæ gentium, & usque in conſummationem ſeculorum erit in ſynagogis genitum. Et in principibus earum ſicut muſicum melos in ore omnium. Et in libris ſanctis erit inſcriptus, & opus & ſermo ejus. Et erit electus Dei usque in ſeculum, & propter ipſum

inſtruxit me Jacob pater meus dicens: Ipſe replebit defunctus tribus tuæ. Et ut implevit ſermones ſuos, dixit. Mando vobis filii mei, referte oſſa mea ex Ægypto, & ſepelite me in Hebron prope partes meos. Et mortuus Benjamin centum viginti annorum & quinque in ſenectute bona, & poſuerunt eum in thecam. Et in nonageſimo primo anno ante exitum filiorum Iſrael, ex Ægypto ipſi & fratres eorum, reduxerunt oſſa patrum ſuorum in abſcondito, in locum dictum Chanaan. Et ſepelierunt eum in Hebron, juxta pedes patrum ſuorum. Et ipſi reverſi ſunt ex terra Chanaan, & habitaverunt in Ægypto, usque ad diem exitus eorum de terra Ægypti.

F I N I S.

18h
7
28

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google